UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Jure Rerum Ecclesiasticarum Ad Germaniae Catholicae Principia Et Usum Pars ...

Complectens Sectionem III. & IV.

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii, 1762

urn:nbn:de:hbz:466:1-68067

Visual Library

W. IV. 6.

Th. 5202

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE JURE RERUM ECCLESIASTICARUM AD GERMANIÆ CATHOLICÆ PRINCIPIA ET USUM

PARS POSTERIOR

COMPLECTENS

SECTIONEM III. & IV.

AUTORE

P. FRANC. XAV. ZECH, S. J.

SS. Canon. Profess. Publico & Ordin.

ANNO MDCCLXII.

Cum Privilegio Cæsareo, & Facultate Superiorum.

Prostat Monachii & Ingolstadii

Sumptibus Joan. Franc. Xav. Crätz Bibliopol. Academ. & Thom. Summer, Aug. Vind.

Typis, Mariæ Annæ Schleigin, Typogr. Acad. Viduæ

DE IURE RERUM ECCLESIASTICARUM IN GERMANIA CATHOLICA PRINCIPIA ET USUM

PARS POSTERIOR COMPLECTENS SECTIONEM III. & IV.

AUCTORE
P. FRANC. XAV. WECH. S. I.
SS. Canon. Prof. Publico & Ordin.

ANNO MDCCXII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

OECONOMIA OPERIS

POstquam De Jure Rerum Ecclesiasticarum in Parte Priore egimus *Sectione Prima* de Locis Ecclesiasticis; in *Secunda* de iis quæ peraguntur in Ecclesiis: superest, ut in Opusculi hujus Parte Posteriore *Sectio Tertia* tradat Principia Juris Canonici de Bonis Ecclesiarum & Ecclesiasticorum; *Quarta* demum de Acquisitione & Alienatione Rerum Ecclesiæ. Igitur

SECTIO III.

De Bonis Ecclesiarum et Ecclesiasticorum

Supponit potius, quam probet, quod Ecclesia convenienter possideat Bona temporalia. Universim agit

Titulus I.

De Bonis Temporalibus Ecclesiarum.

Præcipui horum Bonorum fontes sunt Oblationes & Decimæ. De his tractat

TITULUS II.

DE OBLATIONIBUS. Fol. 15.

TITULUS III.

DE ORIGINE, NATURA ET DIVISIONE DECIMARUM. Fol. 36.

TITULUS IV.

QUINAM, EX QUIBUS REBUS, ET QUOMODO SOLVERE TENEANTUR DECIMAS. Fol. 72.

TITULUS V.

DE SUBJECTO ET JUDICIO DECIMARUM. Fol. 93.

Curandum, ne quæ ex his fontibus hauriuntur, in alienos fundos deriventur: unde solicitus est

TITULUS VI.

DE FIDELI BONORUM ECCLESIASTICORUM ADMINISTRATIONE. Fol. 125.

Sejuncta ab Ecclesiæ rationibus Bona tenent Ecclesiastici. Hæc attingit

TITULUS VII.

DE PECULIO CLERICORUM. Fol. 143.

Jus percipiendi fructus ex Bonis Ecclesiæ explicat

TITU-

TITULUS VIII.
DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS. Fol. 164.
TITULUS IX.
DE ADQUIRENDIS, VEL AMITTENDIS BENEFICIIS. Fol. 200.

Quis conferat Jus istud, tradit

TITULUS X.
DE PROVISIONE PONTIFICIA. Fol. 222.
TITULUS XI.
DE ORDINARIIS ET INFERIORIBUS COLLATORIBUS. Fol. 251.

Decet, ut Ministri Ecclesiæ Fundatorum liberalitate plenissime fruantur: instar regulæ est

TITULUS XII.
UT ECCLESIASTICA BENEFICIA SINE DIMINUTIONE CONFERANTUR. Fol. 270.

Variæ possunt contingere mutationes circa Beneficia: breviter has recenset

TITULUS XIII.
DE MODIS, QUIBUS EXTINGUITUR VEL ALTERATUR BENEFICIUM. Fol. 315.

Postquam universim actum est de Bonis Ecclesiæ & Ecclesiasticorum, enumerandi sunt modi, quibus

bus potissimum hæc Bona acquiruntur vel alienantur. Istud præstat

SECTIO IV.

De Acquisitione et Alienatione Rerum Ecclesiæ. Fol. 329.

Generalem Doctrinam præmittit

Titulus I.

De Rebus Ecclesiæ non alienandis. Fol. 330.

Pro legitima Acquisitione vel Alienatione utiles doctrinas tradit

Titulus II.

De Pactis et Contractibus. Fol. 362.

Aliqui Actus sunt mere liberales: de quibus

Titulus III.

De Donationibus. Fol. 417.

Alii sunt Contractus benefici quidem, non tamen sine omni obligatione reciproca. Hos recensет

Titulus IV.

De Contractibus Beneficis, et primum de Commodato et Precario. Fol. 432.

Titulus V.

De Mutuo. Fol. 446.

TITU-

TITULUS VI.

DE DEPOSITO. Fol. 456.

TITULUS VII.

DE MANDATO. Fol. 468.

TITULUS VIII.

DE FIDEJUSSIONE. Fol. 475.

Post Contractus Beneficos considerandi sunt Contractus Permutatorii, utrinque æqualem Obligationem imponentes.

TITULUS IX.

DE RERUM PERMUTATIONE. Fol. 493.

TITULUS X.

DE EMPTIONE ET VENDITIONE. Fol. 502.

TITULUS XI.

DE LOCATIONEET CONDUCTIONE, AC DE EMPHYTEUSI. Fol. 520.

Inter hos Contractus mentionem merentur Societas, Cambium, Contractus Chirographarius, & Æstimatorius. De his breviter agit

TITULUS XII.

DE ALIIS CONTRACTIBUS PERMUTATORIIS. Fol. 539.

Juris Canonici Institutiones silentio præterire non debent obligationem, quæ oritur ex Sorte, Ludo,

Ludo, Sponsione. Assecuratione, cum in his summum versetur periculum lædendæ conscientiæ. Breviter hæc complectitur

Titulus XIII.

De Contractibus Aleam continentibus. Fol. 549.

Veris Contractibus merito subjungitur

Titulus XIV.

De quasi Contractibus. Fol. 564.

Plerique ex enumeratis Contractibus conferunt dominium rei: alii ex natura sua dant Jus in re aliena. Horum naturam explicat

Titulus XV.

De Pignoribus. Fol. 573

Titulus XVI.

De Servitutibus. Fol. 594.

Titulus XVII.

De Dominio Utili, ac inprimis de Feudo. Fol. 614.

Enumerati sunt hucusque actus inter vivos, per quos Ecclesia acquirit vel alienat.: agendum nunc de actibus mortis causa.

Titulus XVIII.

De Testamentis. Fol. 666.

TITU-

TITULUS XIX.
DE ALIIS ULTIMARUM VOLUNTATUM SPECIEBUS. Fol. 772.

TITULUS XX.
DE SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO. Fol. 795.

Contingit nonnunquam, ut dominia non transferantur, quando scilicet res est aliena: longævæ tamen possessioni consulunt Leges per Præscriptionem. Unde tradit

TITULUS XXI.
GENERALIA PRINCIPIA DE PRÆSCRIPTIONIBUS. Fol. 839.

TITULUS XXII.
TRADITA DE PRÆSCRIPTIONIBUS PRINCIPIA AD CAUSAS PARTICULARES APPLICANTUR. Fol. 892.

Parum prodessent Obligationes ex dictis acquirendi vel alienandi modis ortæ, nisi illis satisfieret. Itaque subjicitur

TITULUS XXIII.
DE SOLUTIONIBUS ET ALIIS MODIS TOLLENDI OBLIGATIONEM. Fol. 922.

Si tamen damnum aliquod incurreret Ecclesia, supereſt remedium, quod insinuat

TITULUS XXIV.
ED IN INTEGRUM RESTITUTIONE. Fol. 948.

SECTIO III.
DE BONIS ECCLESIARUM, ET ECCLESIASTICORUM.

TITULUS I.
DE BONIS TEMPORALIBUS ECCLESIARUM.

Confer. Decretal. lib. 3. tit. 39.

§. 1.

NOMINE Bonorum Ecclesiasticorum intelligimus ea omnia, quæ ad fines & usus Ecclesiæ Christianæ proprios, legitima autoritate destinata sunt 1.). *Bona ad Cultum Divinum destinanda esse, do-*

A Non

1.) LAUNOJUS lib. de Cura Eccles. pro miseris & pauperib. Oper. tom. 2. vol. 2. c. 2. perperam defendit definitionem Eccle-

cent mores omnium gentium:

Non molior hoc loco Apologiam contra malevolos Bonorum Ecclesiasticorum insectatores, qui totius humani generis judicio condemnantur. Nulla enim gens tam barbara, nulla tam scelerata unquam extitit, quæ non censuerit sibi onus incumbere conferendi liberales sumptus ad Cultum Numinis promovendum, alendos ejusdem Ministros, struenda conservandaque Templa, & alia Religionis ac Pietatis obsequia exercenda. Superfluum foret, hanc Legis naturalis obligationem multis argumentis ac exemplis omnium Gentium demonstrare: nec Legem Mosaicam adduco.

Ordinatio;

§. 2. Christianis sufficit sanctissima Ordinatio, qua Divinus Servator noster Christus Jesus Ecclesiam suam informavit, ut Evangelii Præconibus, & in procuranda animarum salute occupatis, non solum necessaria vitæ

Ecclesiasticarum facultatum tanquam adæquatam, quod nihil aliud sint, quam Patrimonia seu Res pauperum. Horum curam gerit Ecclesia: sed alia etiam curat Divino Cultui promovendo necessaria.

tæ, ſed quæcunque opportuna Cultus Divini promovendi, Charitatisque fovendæ adminicula Populus ſubminiſtraret. Unde Sapientiſſimus hic Legislator Apoſtolos ſe vivo, per vicos & oppida Palæſtinæ ad promulgandum Adventum ſuum ablegavit, auri argentique vacuos; cum ſciret, ab iis, ad quos Diſcipuli pervenirent, alimenta negari non poſſe: *dignus enim eſt Operarius cibo ſuo* 2.). Juſſit igitur eos in eadem domo manere, *edentes & bibentes, quæ apud illos ſunt: dignus eſt enim Operarius mercede ſua* 3.).

§. 3. Ipſum etiam Chriſtum, comitantibus Apoſtolis ſuis, per Civitates & Caſtella iter facientem, ſequebantur opulentæ fæminæ *multæ, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis* 4.). Nec minus in futuros uſus reſervabantur a Chriſto Eleemoſynæ, teſte ipſo Juda, qui *fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat* 5.). Hæc non pro ſua neceſſitate, ſed pro informanda Eccleſia fecit ille, cui *Et Exemplum Chriſti:*

2.) Matth. X. 10. 3.) Luc. X. 7.
4.) Luc. VIII. 3. 5.) Joan. XII. 6.

esurienti ministrabant Angeli 6.); & pro dando censu piscis præbebat staterem 7.). Ad sacrum ultimæ Cœnæ ritum solemnius peragendum exigebatur opportunus locus: ad eum obtinendum alio opus non erat, quam dicere *domino domus, quia Magister dicit: ubi est refectio mea, ubi Pascha cum discipulis meis manducem* 8.)? mox demonstrabatur *Cœnaculum grande, stratum*, & ad hos pios usus abunde instructum. Imo hic ipse Novæ legis Autor, qui strictissimam sequebatur, suosque sequi docuit paupertatem, eo tempore, quo ad gravissimos cruciatus & acerbissimam mortem pro nobis subeundam promptissima voluntate properabat, non est dedignatus, delicias quasdam religioso affectu sibi impensas benigne acceptare, dum pedes ejus unguento pretioso ungebantur 9.), fracto alabastro Caput perfundebatur 10.), ita ut domus impleta sit ex odore unguenti 11.).

§. 4.

6.) Matth. IV. 11. 7.) Ib. XVII. 26. 8.) Marci XIV. 14. 9.) Joann. XII. 3. 10.) Matth. XXVI. 7. Marc. XIV. 3. 11.) Joann. XII. 3.

§. 4. His documentis & exemplis animabantur Evangelii Præcones ad omnia vitæ ſubſidia tuto ſperanda; fideles autem populi ad eadem largiter ſubminiſtranda. Hieroſolymis quidem, quam Urbem ex oraculo Magiſtri ſui paulo poſt evertendam ſciebant, Bona ſua diſtrahebant, pretio diſpenſato in omnes, *prout cuique opus erat* 12.). In itinere Apoſtoli, exemplo Chriſti alebantur a piis & opulentis fæminis, & ubique reperiebant promptam recens converſorum liberalitatem. Quamvis Apoſtolus Paulus eodem jure non ſit uſus, inculcat tamen Fidelibus obligationem naturalem alendi Miniſtros Chriſti, & conferendi ſumptus ad pias Eccleſiæ functiones, firmatam mandato Chriſti 13.). *Ac Apoſtolorum.*

12.) Act. II. 45, 13.) *Numquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi? nunquid non habemus poteſtatem, mulierem ſororem circumducendi, ſicut & ceteri Apoſtoli, & Fratres Domini? .. quis militat ſuis ſtipendijs unquam? .. ſi nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus? .. Ita & Dominus ordinavit ijs, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* 1. Corinth. IX.

Convenienter servantur Bona immobilia oblata:

§. 5. Non deerant unquam in Ecclesia, qui quotidiana vitæ subsidia a Fidelibus identidem exspectarent, vel qui suo labore & industria exemplo Pauli illa sibi procurarent: nihilominus sanctissimi & rerum temporalium contemptu notissimi Viri, a primis jam Ecclesiæ sæculis censuerunt, consultum non esse, ut universim necessarii sumptus pro Cultu Divino amplificando, & alendis Ecclesiæ Ministris a quotidiana Fidelium liberalitate dependerent. Gauderet Ecclesia, ejusque Ministri facilius puras in Bonis administrandis manus conservarent, si hæc Bona ex solis Fidelium Oblationibus constarent, præsenti tantummodo & quotidianæ necessitati suffecturis. Verum non poterant decenter repudiari omnes fundi a Fidelibus oblati; nec integrum semper erat eos vendere, tum quod ij, qui illos DEO consecrabant, servatos in dominio Ecclesiæ vellent; tum quod in eorum possessione haberetur fons perpetuus & securus pro Ecclesiæ & pauperum subsidio, cui abdicatis bonis immobilibus præjudicari non poterat, præsertim cum decrescens

Fide-

Fidelium liberalitas non promitteret in futura tempora ſufficientes Oblationes pro aucto Miniſtrorum & pauperum numero 14.), quorum congruam ſuſtentationem Laici nollent in ſe ſuſcipere 15.).

§. 6. Unde fundos proprios ſub Imperatoribus Gentilibus primævam Eccleſiam poſſediſſe conſtat. *Cum Chriſtiani quendam locum, qui publicus fuerat, occupaſſent, contra popinarij dicerent, ſibi eum deberi,* reſcripſit ALEXANDER SEVERUS, *melius eſſe, ut quo-* *Qualia habuit Eccleſia jam ſub Imperatoribus Gentilibus.*

14.) *Eccleſia propter veſtram parcitatem neceſſe habet, habere quæ nunc habet.* S. CHRYSOST. homil. 21. in 1. Epiſt. ad Corinth. quæ tota Homilia lectu digniſſima eſt.

15.) *Dum forte, ut aſſolet, de poſſeſſionibus ipſis invidia Clericis fieret, alloquebatur* (Auguſtinus) *plebem DEI, malle ſe ex collationibus magis plebis DEI vivere, quam illarum poſſeſſionum curam vel gubernationem pati; & paratum ſe illis cedere, ut eo modo omnes DEI ſervi & Miniſtri viverent, quo in Veteri Teſtamento leguntur Altari deſervientes de eodem comparticipari; ſed nunquam id Laici ſuſcipere voluerunt.* Ita POSSIDIUS in vita S. Auguſtini, cap. 23.

quomodocunque illic DEus colatur, quam popinariis dedatur 16.). Cum Paulus Samosatenus ab Episcopatu Antiocheno legitima Episcoporum sententia dejectus, ex Episcopi domo, ejus Ecclesiæ propria, exire nollet, Imperator AURELIANUS de ea re interrogatus, præcepit, ut domus Ecclesiæ illis tribueretur, quibus Christiani Italiæ, & Urbis Romæ Episcopi per literas tribuendam præscriberent 17.). Postquam Diocletianus, tandem furori Maximiniani cedens, persecutionem in Christianos decreverat 18.), & Ecclesias spoliarat, DEO demum Christianorum rebus propitiato, Constantinus omnia, quæ ad Ecclesias pertinuisse probabantur, *sive domus, sive agri, sive horti, vel si quæ sunt alia ejusdem generis*, restitui per Edictum mandavit 19.).

§. 7.

16.) ÆLIUS LAMPRIDIUS in Alexandro Severo.

17.) EUSEB. Hist. Eccl. lib. VII. c. 30.

18.) De hac re vid. LACTANTIUS de Mortib. Persecutor. c. 11. seqq.

19.) EUSEB. de vita Constantini lib. II. c. 39.

§. 7. Mirum eſt, quanta ex eo tempore Eccleſiis acceſſerint opum, virium & dignitatum incrementa. Cum enim creſceret identidem multitudo Fidelium, eorumque numero etiam Cæſares, Senatores, Virique Clariſſimi annumerari ambirent, augeri etiam debuit numerus Miniſtrorum, amplitudo ac magnificentia Templorum, ad ingenerandam hominibus reverentiam erga Divina Myſteria. Inſuper multorum, qui ſe ſuaque obſequia Eccleſiis mancipabant, Zelus extendebat ſe ad utiliſſima officia pro Cultu Divino promovendo, pro inſtruendis omnis conditionis & ætatis hominibus, pro Evangelio in remotiſſimas Provincias invehendo, pro emolumento non tantum ſpirituali animabus, ſed etiam corporali pauperibus, ægrotis, debilibus impendendo. Ad hæc omnia copioſi requiruntur ſumptus & reditus, vel a Republica, in cujus utilitatem cedunt, ſupeditandi; vel a privatis exhibendi, qui Bona ſua non aliorum magis, quam Eccleſiæ miniſterio ad optimos uſus & emolumentum publicum diſpenſanda exiſtimabant. Quamvis autem Veteres do-

Conſultum erat, ut ea poſtea augerentur;

nationibus ſuis certa onera non adjunxerint, quod hodie plerumque fieri ſolet: erant tamen Benefactores ſatis certi, liberalitatem ſuam pro Cultu Divino, ſubſidio Fidelium, aliisque piiſſimis uſibus, prout occaſio & neceſſitas tuliſſet, impendendam eſſe 20.).

Adjecta etiam poteſtate ſæculari:

§. 8. Bona Eccleſiarum æſtimabiliora fiebant exemptione ab omnibus oneribus, cenſibus, publicis contributionibus: quæ exemptio non cenſebatur præjudicare bono publico, cum cederet in ſubſidium pauperum, & uſus toti populo utiliſſimos. Acceſſit multis Eccleſiis poteſtas ſæcularis: unde SOCRATES 21.) Novatianorum fautor jam Sæculo V. queritur, Cœleſtinum Romanum, & Cyrillum Alexandrinum Epiſcopum, hoc dominatu in illos hæreticos uſum eſſe. Acceſſerunt denique integra Dominia, Principatus & Ducatus, præſertim in Germania noſtra

20.) Vid. Conſiderationes de Statu & Bonis Eccleſiaſticis ſub nomine NORBERTI AGATHANDRI.

21.) Hiſt. Eccleſ. lib. VII. c. 7. 13.

ſtra 22.), adeo ut Epiſcopi & Abbates non ſolum potentia ſæculares Principes æquarent, & dignitate præcederent: ſed etiam Nobiles Vaſallos, conceſſis in Feudum prædiis, ad defenſionem & obſequia obſtrictos Eccleſiæ tenuerint 23.). Quanto Cultus Divini emolumento id factum ſit, tum præcipue patuit, quando plures ſæculares Principes ſe, ſuasque Regiones in hæreſin præcipitarunt; plerique autem Eccleſiaſtici avitam Religionem in ſuis Provinciis intactam conſervarunt: & illi præcipue, qui in eligendo Romanorum Imperatore jure ſuffragii potiuntur, hucusque prohibuerunt, ne alius, quam Romano-Catholicus ad iſtam Dignitatem eveheretur.

§. 9.

22.) Thomassinus Vet. & nov. Eccleſ. Diſcipl. part. 3. lib. 1. c. 27. ſeqq. enarrat Principatus & Ducatus, Eccleſiæ datos per varia ſæcula. Vid. D. Barthel Tom. I. Opuſcul. IV. Regale Sacerdotium &c.

23.) Eccleſiaſticorum ſæcularia dominia tuetur Otto *Friſingenſis* in Prolog. ad lib. IV. Chronici.

Fruſtra ringentibus malevolis.

§. 9. Sentiunt his temporibus multi, quod ad initium ſæculi XVI. ſentiebant turbulenti homines, quando ſeditioſi contra legitimos Magiſtratus Ruſtici, ſuæ felicitati opes Clericorum obſtare credebant 24.), rati, aurea ſæcula reditura, ſi Eccleſiaſticis ſua Bona adimerent. Cum tamen experientia poſtea teſtatum fecerit, pauperibus plus nocuiſſe, quam profuiſſe, quod Bona Eccleſiaſtica fuerint profanata, & in manus magis rapaces, vel tenaces devoluta 25.).

Horum Bonorum dominium.

§. 10. Quæri ſolet, penes quem ſit dominium Bonorum temporalium Eccleſiæ? Non agitur hoc loco de Rediti-

---

24.) Qui conſpiraverant, hanc mutuæ agnitionis teſſeram habebant, ut ſi quis ejus fœderis eſſet percontatus ab alio: *vvas iſts nun für ein Weſen?* interrogatus reſponderet: *vvir mägen vor den Pfaffen nicht geneſen.* Vid. Monumenta rediviva Wirtemberg. Fol. 296.

25.) Vid. liber a Clar. P. Desing editus, cui titulus: Opes Sacerdotii num Reipublicæ noxiæ? ex rerum natura, ſana Politica, & communi ſenſu Generis humani examinatum.

Reditibus in ſuſtentationem Clericorum, vel pauperum jam diſtributis aut perceptis: ſed de rebus ſtabilibus, ſive immobilibus, ac etiam de mobilibus ſingulariter ad ſtabilem ſacrum uſum Eccleſiæ deſtinatis, de Reditibus quoque nondum perceptis, aut in communi interim aſſervatis, donec diſtribuantur. Harum rerum dominium communiter dicunt 26.), eſſe penes DEum ſeu Chriſtum, cum Concilium Tridentinum 27.), & ſacri Canones 28.) eas *DEI eſſe* & *Patrimonium Chriſti* appellent: huic enim, vel ejus intuitu Miniſtris Eccleſiæ, tanquam ejus Procuratoribus & Diſpenſatoribus donan-

minium penes quem ſit?

26.) Navarrus tract. de Redit. Eccleſ. q. 1. monit. 40. item q. 3. monit. 31. *n.* 7. Item Apolog. q. 1. monit. 24. impugnans Franciscum Sarmiento de Reditib. Eccleſ. part. 1. c. 1. n. 15. & part. 4. c. 6. Vid. Suarez Defenſ. Fid. Cathol. lib. 4. c. 18. n. 7. ſeq. Del Bene de Immun. Eccleſ. part. 1. c. 5. dub. 1. ſect. 5.

27.) Seſſ. 25. c. 1. de Reform.

28.) C. 16. de Præbend. c. 34. de Elect. in 6.

donantur ac offeruntur 29.). Alii dicunt, Ecclesiastica Bona esse sub humano dominio Ecclesiæ particularis, aut universalis, id est, Corporis mystici sub Christo Capite 30). Quidquid in hac re, quæ multum habet de nomine, dicatur; quoad usum tamen ac effectum civilem, & actiones, quibus Bona vel acquiruntur, vel retinentur, Ecclesia potest considerari tanquam persona ficta, ad modum hæreditatis jacentis, cui omnia jura competunt, quæ aliorum dominorum sunt propria.

TITU-

29.) BOEHMERUS tom. 1. Consult. p. 1. arg. 4. n. 68. fol. 84. affert fragmentum Diplomatis Fundationis Ecclesiæ Verdensis & Bremensis Caroli M. ex SCHATENIO in Annal. Paderborn. P. I. p. 3. ubi Decimæ donantur *Domino nostro JEsu Christo & Sacerdotibus ejus*, id est, Episcopis.

30.) TURRECREMATA ad C. videntes. 16. XII. q. 1. art. 2. CAJETAN. in 2. 2. q. 43. art. 8.

TITULUS II.
DE OBLATIONIBUS
Confer. ex lib. 3. Decretal. tit. 30.

§. II.

PRIMUM & perennem Bonorum suorum fontem habent Ecclesiæ in *Oblationibus* Fidelium, qui ex suo patrimonio exhibent supremo Numini devotas hostias, Ministris Ecclesiæ grati animi monumenta, pauperibus pignora charitatis. *Oblatio* generaliter sumpta dicit alicujus rei non petitæ spontaneam largitionem: quæ si homini fiat, *Donatio* nominatur. *Oblatio* autem hoc loco est earum rerum, quæ a Fidelibus in usum Ecclesiæ DEO consecrantur. Distinguimus hodierno more Oblationes a Decimis, aliisque Censibus: Oblationes enim citra ullam in quantitate aut specie determinationem a beneplacito offerentium dependere solent; cum vicissim Decimæ & Census partim ex jure, partim ex consuetudine ad certam quotam & speciem determinentur. Quoad finem autem a Fidelibus intentum, & usum Sacris Canonibus

Oblationum natura.

con-

conformem, nullum est omnino discrimen inter Decimas, Census Ecclesiæ, aliasque Oblationes.

Varia genera. §. 12. Varia hodie sub nomine *Oblationum* veniunt: I. Quæ sub celebratione Missæ Altari imponuntur. II. Quæ ipsi Celebranti, ut fructum Missæ ad certam intentionem applicet, in stipendium vitæ conceduntur. III. Quæ post administrata Sacramenta, aut alias functiones Pastorales populus offerre solet. IV. Quæ in truncos ad colligendas populi largitiones expositos immittuntur. V. Quæ circumeuntibus per Ecclesiam, & Eleemosynam colligentibus dantur. VI. Quæ quovis modo, in carnibus, ovis, butyro, lino &c. in usum Ministrorum Ecclesiæ vel pauperum, in ipso Templo ponuntur, vel a Clericis aut Ædituis ostiatim colliguntur. VII. Quæ in Oratoriis vel Sacellis, in quibus Imagines beneficiorum fama celebres, vel Sanctorum Reliquiæ quiescunt, a visitantibus offeruntur. Hæ omnes Oblationes plerumque in modica quantitate consistunt: majori autem consideratione dignæ sunt VIII. Oblationes ultra quotidianam

nam consuetudinem ex liberalitate Patronorum, Principum aut Potentiorum factæ.

§. 13. Quæ primo loco sunt memoratæ, Oblationes tempore Sacrificii Aræ imponi solitæ, consistebant primis sæculis in Pane & Vino, in Corpus & Sanguinem Christi consecrando 31.): ut enim populus ad incruenti Sacrificii Oblationem se concurrere ostenderet, suam unusquisque partem, ex qua rursus par-

Aliquæ ad usum Sacrificii:

B tici-

31.) Quando S. Gregorius Eucharistiam porrigebat Matronæ, ridebat hæc, quod Pontifex Corpus Dominicum esse perhiberet panem, quem ipsa confecerat: miro autem eventu monstravit DEus, non amplius panem, sed carnem Christi esse. JOANNES *Diaconus* in Vit. Gregorii M. l. 2. c. 41. PASCHASIUS RADBERTUS de Corpore & Sanguine Domini c. 14. in Collect. Vet. Script. *Edmundi Martene tom. IX.* Concilium CARTHAGIN. III. cap. 24. ann. 397. constituit, *ut in Sacramentis Corporis & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis & vinum aqua mixtum.*

ticiparet, offerebat 32.): aliorum autem Oblationes ad Altare admissæ non fuerunt, quam eorum, qui Communionis cum Ecclesia consortes essent: qui vero excludebantur a Communione Corporis & Sanguinis Christi, iidem etiam excluſi censebantur ab Oblationibus 33.): quorum autem Oblationes susceptæ fuerant, eorum nomina ex Diptychis recitabantur ex Ambone inter Missarum solennia 34.). Hoc etiam intuitu Orationes, quæ *Secretæ*, vel *super Oblata* dicuntur, plerumque afficiunt hostias tam a Sacerdote, quam a Populo oblatas 35.).

§. 14.

32.) Unde S. CYPRIANUS libr. de opere & Eleemos. reprehendit Matronam divitem, quæ in Ecclesiam sine Sacrificio veniret, & partem de Sacrificio, quod pauper obtulit, sumeret.

33.) Juxta Concil. CARTHAG. IV. c. 93. & 94. ann. 398. Oblationes dissidentium Fratrum neque in Sacrario, neque in Gazophylacio recipiantur: eorum qui pauperes opprimunt, dona a Sacerdotibus refutanda.

34.) INNOCENTIUS I. Papa Epist. 29.

35.) Dominica V. post Pentecost. Secreta post Offertorium Oratio ita sonat: *Propitiare, Domine, supplicationibus nostris*

§. 14. Postquam numerus Communicantium imminutus, numerus autem Missarum auctus fuit, desiit mos offerendi panem, qui in Corpus Christi consecraretur: offerebantur autem Nummi, ad usum Sacrificii impendendi; aut colligebatur farina, ex qua nitidiores & candidiores formulæ opera Clericorum conficerentur 36.). Nihilominus

Vel saltem tempore Sacrificii:

nostris: & has Oblationes famulorum, famularumque tuarum benignus assume: ut quod singuli obtulerunt ad honorem Nominis tui, cunctis proficiat ad salutem.

36.) Vid. Synod. Tolet. XVI. c. 6. Ann. 693. Capitular. Theodulfi c. 5. & 6. Ann. 797. Unde inferunt aliqui, etiam in Ecclesia Latina pro Eucharistia adhibitum olim panem fermentatum, saltem promiscue cum Azymo: solius autem Azymi continuum usum invectum, quando panes mundiores & nitidiores Clericorum manibus fiebant. Ita sentiunt Jacobus Sirmondus, Card. Bona Rer. Liturg. lib. 1. c. 23. Honoratus Tournely Theol. tom. 3. de Sacram. Euch. Econtra Mabillonius & Christianus Lupus Oper. tom. 4. Dissert. de Actis S. Leonis IX. c. 7. seqq. contendunt, Azymi panis usum ab Apostolicis temporibus in Ecclesia Latina nunquam inter-

multis in Ecclesiis viget adhuc consuetudo, offerendi panes & vinum tanquam symbola charitatis & unionis, in usum Ministrorum Ecclesiæ & pauperum 37.). Ex usu autem offerendi Nummos ad Altare, orta est demum consuetudo porrigendi dena-

---

interruptum fuisse. Utriusque opinionis argumenta recenset NATALIS ALEXANDER Hist. Eccl. sæculi XI. & XII. Dissert. II. art. 3. Constat ex Concilio FLORENTINO, valide consecrari in Azymo & fermentato: adhibendum esse in utralibet Ecclesia Panem, quem postulat mos illius Ecclesiæ: impie Græcos fulminare Anathema in Latinos ob usum Azymi. Vid. BARONII Annal. tom. II. ubi ad Ann. 1053. & 1054. varia recenset acta inter Leonem IX. Pontificem, & Michaëlem Cerularium Patriarch. Constantinop. ad calcem autem Tomi adjungit Dialogum HUMBERTI Cardinalis de Azymo & Fermentato. Add. supra Sect. II. §. 215.

37.) Distingui solent Oblationes & Panes: scilicet per Oblationes intelliguntur panes illi modici, candidiores pro Eucharistia; per panes intelliguntur alii panes pro pauperibus. Ex utrisque conficiebantur Eulogiæ. THOMASS. p. 3. l. 1. c. 14. n. 7. ubi allegantur alii Autores.

denarios ante vel post Sacrificium Sacerdoti, qui pro offerente specialiter Missam celebraret (supra Sect. II. §. 243, 244.). Retentus est etiam in variis Ecclesiis mos distribuendi panem benedictum, sicut alias distribuebantur Eulogiæ, decisæ ex panibus pro Consecratione destinatis (supra Sect. II. §. 392.). Præterea semel quolibet anno offerebatur ad Altare Mel & Lac, eo tempore, quo Baptismo initiabantur Catechumeni, & degustare jubebantur Mel & Lac, velut Symbola Innocentiæ Christianæ, ejusque suavitatis, qua exhilarandi essent, ingressi in Ecclesiam, utpote terram vere olim promissam, nunc per Baptismum repræsentatam. Quamvis autem ista & similia postea *ad Altare* offerre non licuerit 38.), ne ex sinistra quorundam intentione speciem veri Sacrificii habere viderenten-

38.) Can. 3. Apost. *Si quis Episcopus vel Presbyter, præter Domini de Sacrificio ordinationem, alia quædam ad altare attulerit, vel Mel, vel Lac. . , deponatur.* Item Can. 57. Trull. *Quod ad Altare Mel & Lac offerre non oportet.*

rentur, privatim tamen offerebantur & acceptabantur, uti etiam oleum ad luminaria & Incensum ad usum Sacrificii 39.).

Aliæ majores ad alendos Ministros & Pauperes.

§. 15. Aliæ Oblationes ad usum Ministrorum, aut pauperum, erant liberalissimæ: præibantque Reges & Imperatores exemplo suo. Etiam Ethnici Imperatores admirabantur & fovebant pios hos usus, uti legimus de liberalitate M. Aurelii Imp. in Christianos propter Abercium Episcopum 40.). Facile inde conjicimus, quam profusi fuerint Imperatores Christiani. Constantinus constituit annuam distributionem frumenti in viduas Lybiæ & Ægypti, cujus Administrator esset Episcopus Alexan-

---

39.) Can. 3. Apost. cit. qui etiam uvas offerre permittit: postquam autem consuetudo invaluit, ut succus ex uvis in calicem exprimeretur, simulque cum Sanguine Christi populo distribueretur, improbatus est iste mos in Can. 28. Trullano, solumque permissum, ut uvæ non in usum Sacrificii, sed cum aliis Primitiis frugum in usum Clericorum cederent.

40.) Vid. Baronius ad ann. 163.

Alexandrinus : Conſtantius autem eam curam Arianis delegavit 41.). Idem Conſtantinus immenſam quantitatem frumenti ad ſuſtentationem Virginum dedit, revocatam a Juliano Apoſtata, a Joviniano ex parte tertia reſtitutam 42.) : Eccleſiis autem Lybiæ conſtituit frumentum ad alendos pauperes, & incruentum Sacrificium 43.). Manuel Comnenus offert auri Centenarium 44.). Aliorum etiam Oblationes adeo fuerunt notabiles, ut invidiam moverint apud Gentiles. Unde Ammianus Marcellinus 45.), homo Ethnicus nimium exaggerat Romanorum Pontificum ambitum & luxum ex Oblationibus Matronarum. Id facile conceſſerim, ingentem opum

41.) S. Athanas. Apolog. contra Arianos. 2. circa finem.

42.) Theodoret. l. 2. c. 2. l. 4. c. 4. Sozomenus l. 1. c. 8. l. 5. c. 5.

43.) Concil. Chalcedon. act. 3. ubi de rapacitate Dioſcori conqueritur Iſchyrion.

44.) Cinnamus in vita Manuelis lib. 2. ad initium. Thomass. p. 3. l. 1. c. 15. n. 3.

45.) Lib. 27.

vim in Ecclesia Romana ex piorum Oblationibus coacervatam, pro alendis Clericis, & pauperibus pene innumerabilibus 46.), non solum Romæ degentibus, sed missis etiam in Metalla, aut alibi incarceratis: certe magnam liberalitatem exserere volebat Victor II. qui Sæculo XI. Humberto concessit Oblationes duorum dierum 47.). Præterea offerebantur a Principibus & Nobilibus multa Mancipia seu homines proprii, quorum servitus in eo potissimum stabat, ut singulis annis, præter operas quorundam dierum 48-),

Cen-

46.) Prudentius Peristephanon hymn. 2. Judicem, qui credebat Oblationes has solicite conservari, inducit loquentem ad S. Laurentium: *Tum cura summa est Fratribus, ut sermo testatur loquax,* Offerre *fundis venditis sestertiorum millia.*

47.) Thomass. p. 3. l. 1. c. 15. n. 1. Harduin. Collect. Concil. tom. 6. p. 1. col. 1037.

48.) Conc. Meldens. ann. 845. Can. 62. *Servi Ecclesiarum, quibuscunque potestatibus subditi . . . saltem viginti diebus in anno, eidem Ecclesiæ ad reficien-*

Cenſum quendam pecuniarium præſtarent Eccleſiæ 49.): & jus Mortuarii poſt mortem 50.). De Oblationibus Villarum, Prædiorum, & Ditionum ad uſum Eccleſiarum & Monaſteriorum factis, innumera pro-

ficiendas ipſius ruinas absque moleſtia ſervire ſinantur &c. De Servis Eccleſiarum vid. GONZALEZ ad c. 4. de Rer. permut.

49.) In libello Sæculo XII. ſcripto, continente Mancipia Eccleſiæ in Münchsmünſter oblata, primo loco legitur: *Divina gratia favente Otto Rex tradidit cum manu duorum Heinrici & Wolframmi unam ancillam Adalsvindam nomine ad Sanctum Petrum. Iſti ſunt teſtes in conſpectu Regis per aures tracti, Engilpo, Rutpreth, item Rutpreth. Deinde præcepit idem Rex Otto cuidam nobili Viro nomine Aripin, ut ille præſentaret eam ad ipſum Altare, quod illa per ſingulos annos & filii ejus redderent unam tremiſam ad ſupradictum Altare, quando nuberent, & ex ipſis degent. Adſtant teſtes &c.* Tremiſſis eſt tertia pars Aſſis, ſeu quatuor denarii. Vid. LINDEBROGUS & DU CANGE in Gloſſario.

50.) De ejusmodi hominibus propriis videantur Scriptores, qui antiquum Jus Germaniæ explicant. MAGERUS de Advocat. armat. Cap. 6. n. 730. ſeqq.

ENGAU

ſtant exempla in libris illis, qui vel Diplomata colligunt, vel Epiſcopatuum ac Monaſteriorum Hiſtoriam recenſent 51.)

Non omnium Oblationes ſuſcipiuntur:

§. 16. Honori ſibi ducebant Fideles, ſi eorum Oblationes ſuſciperentur; intendebatur enim potius dantium ſalus, quam accipientium utilitas: & ſicut ſupra §. 13. dictum eſt de Oblationibus ad Euchariſtiam conficiendam & ſumendam Altari impoſitis; ita etiam Oblationes ad ædes Presbyteri vel Epiſcopi delatæ, aut in

---

Engau Elem. Jur. Germ. lib. 1. tit. 3. Nicol. Hertius Vol. 1. tom. 2. Diſſert. de Hominibus propriis. Clariſſ. D. Collega, Benedict. Schmidt Princ. Jur. Germ. tit. 7.

51.) Supra *Tit. I. §. 7.* Lunig, Mabillonius, Martene, Hundius, Collector Documentorum Redivivorum in Wirtembergia: Gretserus de Liberalitate Principum in Eccleſiam Romanam; & omnes, Monaſteriorum aut Epiſcopatuum Hiſtoriographi, alibi nominati. De Oblatione omnium Bonorum agit Marianus Socinus *Senior* Tract. de Oblationib. libell. 8. Totus tractatus eſt lectu digniſſimus, inſertus Tract. Tract. tom. 14.

in Gazophylacio factæ, signum sunt Communionis cum aliis Fidelibus. Circa annum 170. Marcion in Ecclesia Romana fecit magnam Oblationem, sed quia fovebat quasdam opiniones hæreticas, pulsus est ex Ecclesia, & restituta pecunia oblata, cum Ecclesia se contaminari crederet Oblatione hæretici. Nam juxta S. Epiphanium 52.) Ecclesia *Oblationes accipit a non injustis, neque iniqua agentibus, sed a juste viventibus.* Liberius Papa respuebat munera Constantii Imperatoris: cumque ea in Templo S. Petri Altari essent imposita, increpito Custode Templi, quod id non prohibuisset, dona illa, ut victimam illicitam projecit Pontifex 53.). Cum etiam Monachis mitterentur Oblationes, S. Menas dignoscebat Oblationes viri scelerati ab aliis & rejiciebat 54.). Imo Gregorius VII. 55.) prohibet Oblationes fieri in Ecclesia Anicienſi, donec Stepha-

52.) Contra Hæreses in fine.
53.) S. Athanas. Epist. ad Solitar. fol. 300. seq.
54.) S. Gregor. M. Dialog. l. III. c. 26.
55.) Lib. IV. Epist. 19.

Stephanus Episcopus discederet. Nihilominus suadet Prudentia, rigorem Canonum ob temporis & personarum conditionem nonnunquam temperare. Unde S. Basilius suscepit Oblationes Valentis Imperatoris, qui fovebat Arianos, & insectabatur Catholicos 56.). Displicuit etiam Gregorio M. quod Syracusanus Episcopus Oblationes respuisset Patritii Venantii 57.). S. Theodosius Cœnobiarcha juxta Hierosolymam suscepit Oblationes, quibus cum Anastasius Imperator in suæ impietatis partes trahere volebat 58.).

§. 17.

56.) Gregor. Nazianz. Orat. 20. Theodoret. lib. IV. c. 17.

57.) Lib. V. Epist. 42. 43.

58.) Addit Vitæ Autor apud Bollandum in Actis SS. ad diem 11. Januar. c. 11. §. 48. fol. 694. *Aurum quidem non repellit, ne forte videretur temere suspicari, & offensionis aliquam præberet occasionem; sed duplici damno afficit Adversarium, simul quidem privans pecuniis, cum esset alioqui avarus; & simul etiam spem vanam & inanem ostendens, qua ducebatur, & quæ nihil habebat ad scopum pertingens.*

§. 17. Pœnitentes quidem aliquo modo per tempus ſegregabantur ab aliis Fidelibus: nihilominus Oblationes eorum nomine factæ jubentur ſuſcipi, quos labente adhuc pœnitentiæ tempore, nondum Eccleſiæ reconciliatos mors inopinata ſuſtulerit 59.); nam Oblationes etiam fiebant pro mortuis 60.): & Sacri Canones graviter invehuntur in eos, qui Oblationes defunctorum in ultima

Benetamen Pœnitentium & pro mortuis.

59.) Conc. VASENSE c. 2. Anno 442. Conc. CARTHAG. IV. Ann. 398. c. 79. item Capitul. lib. V. c. 130.

60.) Mulier offerebat pro viro captivo, quem credebat mortuum: & hic illis diebus ſolutus erat vinculis. S. GREGOR. M. Hom. 37. in Evang. tom. 3. col. 134. Oblationum pro mortuis exemplum habemus in Teſtamento S. Remigii, ſi tamen authenticum ſit, apud FLODOARD. Hiſt. Remenſ. l. 1. c. 18. Sanctus iſte Epiſcopus, paternis bonis abundans, partem hæreditatis Eccleſiæ ſuæ Remenſi, & inſuper pinguiſſima prælegata reliquit, Nepoti etiam ſuo Agathemero vineam donavit, *ſub ea conditione, ut omnibus diebus feſtis & Dominicis, pro commemoratione mea ſacris Altaribus offeratur Oblatio, & Presbyteris atque Diaconibus annua convivia, concedente DEO, præbeantur.*

tima voluntate relictas detinebant, & hac ratione defunctos Communione Ecclesiæ, pauperes autem subsidio privare audebant 61.). Eorum etiam defunctorum Oblationes recipiendæ alicubi statuuntur, qui pro crimine fuerunt occisi 62.): alibi ab Oblationum Communione excluduntur 63.): non autem recipitur Oblatio pro eo, qui sibi ipsi violentas manus intulit 64.).

Oblationes recipiendi Mos vetus:

§. 18. Circa modum offerendi, sequentia notanda sunt. Quando Oblatio fiebat in Templo, plebs tamen in Sanctuarium ad Altare penetrare non permittebatur, solo Imperatore excepto 65.). Subdiaconi obviam

61.) Cit. Conc. Vasense c. 4. Et Carthag. IV. c. 95.

62.) Conc. Aurelian. II. can. 15. Mogunt. Ann. 848. c. 27.

63.) Conc. Brachar. c. 16. ubi etiam rejiciuntur Oblationes Catechumenorum. Pro utraque disciplina dantur rationes congruæ. Thomass. p. 3. l. 1. c. 13. n. 10.

64.) Capitul. lib. VI. c. 70. & lib. VII. c. 442. item Addit. IV. c. 81.

65.) Constantinopoli admittebatur Imperator ad Presbyterium: non tamen Mediolani, ubi S. Ambrosius id non permisit.

viam procedebant, Fidelium Oblationes accipiebant, & ad Diaconum deferebant, a quo Altari imponebantur 66.). Ordo Romanus describit modum colligendi Oblationes cum Fanonibus candidis 67.).

§. 19. Quod decebat sponte & liberaliter fieri, & forte a multis negligebatur, demum stricte exactum est 68.). Optabatur quidem, ut quotidie fierent 69.): saltem singulis diebus Dominicis exigebantur 70.): aut quatuor præcipuis Festis 71.). Post Concilium Tridentinum *Et cautelæ novæ.*

66.) Isidorus Origin. lib. 7. c. 12.

67.) Ordo Romanus mox ab initio sub Rubrica de Ordine Processionis. De Fanonibus vid. Du Cange Glossar. V. Fanon. qua voce denotatur mappa, Sindon, ex Germanico *Fahnen.*

68.) Conc. Rom. Anno 1059. c. 5. Anno 1078. c. 12. In Anglia Anno 1256. & 1287. Can. 54. Conc. Exoniens. item Concilia Galliæ Burdigal. ann. 1255. c. 25. ad Castrum Guntherii ann. 1336.

69.) Capitul. lib. VI. c. 170.

70.) Capitul. lib. V. c. 371.

71.) Concil. Colon. Ann. 1536. part. 8. c. 6. 7. item Ann. 1549. Can. 20. Mogunt. Ann. 1549. Can. 75.

num novo fervore urgebantur Oblationes: propter irrepentes autem abusus variæ cautelæ præscriptæ sunt, scilicet *caute* excitandos esse Fideles 72.): alliciendos, non cogendos Laicos 73.): cavendum, ne Eleemosynæ colligantur per puellas 74.).

In Ecclesiis Parochialibus præ-

§. 20. Oblationes fieri solent in Ecclesiis Parochialibus 75.), & ad Parochum pertinere præsumuntur, nisi aliud constet de mente offerentium 76.). Id solum adverto, non impro-

---

72.) Conc. I. Mediolan. Ann. 1565. Can. 62.

73.) Conc. Turon. Ann. 1583. Can. 14. Tolosan. Ann. 1590. Vorcestrense Ann. 1240. ubi vituperantur Parochi, qui Fideles offerre compellunt, dum communicant.

74.) Conc. II. Mediol. Ann. 1569. Can. 24.

75.) Juxta Synodum Excestrens. Ann. 1287. c. 54. Oblationes Pentecostales ad Ecclesiam Cathedralem comportandæ erant. In eadem Synodo, cap, 12. succidi jussi sunt trunci, seu Gazophylacia Laicorum in Ecclesias intrusa.

76.) De Oblationibus ad Imagines alicujus Sancti factis, utiles quæstiones examinat Troylus Malvitius Tract. de Oblationib. qui continetur Tract. Tract. tom. 14.

improbandam consuetudinem recipiendi stipendium ab iis, quibus speciales fructus Missæ applicatur; nec turbandum jus Parochi ad Oblationes Altari impositas sub sua Missa: nihilominus a nullis Synodis aut Statutis laudatam aut approbatam esse consuetudinem recipiendi simul Honorarium pro applicatione Missæ, & simul Oblationes Altari sub eadem Missa impositas 77.). Nam, ut supra dictum, eorum nomina, qui Oblationem fecerant, recitabantur olim ex Diptychis: qua ratione idem præstabatur, quod hodie fit per specialem applicationem fructus Missæ. Cum igitur loco Oblationum in privatis Missis stipendium Sacerdoti da-

sumptio stat pro Parocho;

C ri

77.) In Eboracensi Synodo, quam refert Rogerus Hovedenus Annal. part. poster. ad Ann. 1195. m. fol. 429. b. & Harduin. tom. 6. part. 2. col. 1931. can. 3. Hubertus Archiepiscopus Cantuarensis constituit: *decrevimus prohibendum, ne Sacerdos aliquis pro celebratione Missarum pretio constituto pactum ineat; sed hoc duntaxat, quod offeretur in Missa, recipiat.*

ri ſoleat, indecorum ſane videtur, ſi Parochus ſimul ſtipendium, ſimul etiam Oblationes recipiat. Dubitari hoc loco poteſt, an Parocho Oblationes cedant, factæ ſub Miſſa Vicarii, vel Sacellani ejusdem. Controverſia circa hunc Articulum aliquando orta eſt inter Goffridum Abbatem Vindocinenſem, & Epiſcopum Santonenſem 78.), & hac ratione decidenda videtur, ut Oblationes pertineant ad Vicarium, penes quem jure

---

78.) Vid. inter Epiſtolas Goffridi lib. III. Epiſt. 40. ſcilicet Eccleſia Parochialis Surgeriarum incorporata erat Monaſterio Vindocinenſi, quod Parochiam illam per Vicarium adminiſtrabat. Epiſcopus igitur Oblationes Confeſſionum, quales in noſtris terris tempore Paſchali a Pœnitentibus dari ſolent, contulit Vicario Parochiali, ea ratione ductus, *quod ille Oblationem Confeſſionis habere debet, cui Pœnitens confitetur.* Reponit Abbas, ſimili ratione judicari debere, *ut Oblationem Altaris habeat, a quo Miſſa cantatur: & Oblationem mortui, a quo mortuus ſepelitur: & ſic Miniſter noſter totum accipiat, ut nihil Oblationum in Eccleſiis, quibus die ac nocte ſervimus, nobis relinquat.*

jure perpetuo est totum exercitium Curæ animarum : secus vero si Vicarius ad nutum sit amovibilis, & Cura animarum non tantum habitualiter, sed etiam actualiter resideat in Parocho. Hoc teneri potest de Jure communi, ubi non constat de contraria consuetudine, vel de alia offerentium voluntate.

In Ecclesiis Regularibus pro Religiosis.

§. 21. Postquam Regulares aliqui ex institutione sua & Bullis Pontificum adgregati sunt ad Hierarchicas functiones; Oblationes quoque tum privatim, tum inter sacra admittebant, quod novum & intolerandum videbatur Prælatis, qui tamen a Gregorio IX. ab ejusmodi gravaminibus desistere jubebantur 79). Si enim Oblationes dividendæ sunt inter pauperes, æquius est, ut concedantur illis, qui paupertatem Christi sponte sequuntur, simulque juxta Statuta sua se dicant sublevandis Parochis. Plurimum recedunt illi Episcopi, qui non tantum Ecclesiastica, sed etiam Politica sua potestate utuntur, vel potius abutuntur ad impediendas

79.) C. 16. & 17. de Excessib. Prælat.

Oblationes, quas nonnulli Cœnobiis facere intendunt, ut merito innovari deberent dictæ Constitutiones Gregorii IX.

TITULUS III.

DE ORIGINE, NATURA ET DIVISIONE DECIMARUM.

Conf. ex lib. 3. Decretal. tit. 30. Sext. tit. 13. Clement. 8. Extrav. Com. tit. 7.

§. 22.

Decimarum varia genera.

INSIGNEM locum inter Oblationes Fidelium merentur *Decimæ*: ipsa vox ostendit, intelligi per eas Decimam partem illius rei, ex qua Decimæ pendendæ sunt. Varia apud Veteres Decimarum fuerunt genera. *Vir & uxor inter se matrimonii nomine Decimam capere poterant* 80.). Decima pars litis a temere litigantibus præstanda erat 81.). Antiqua lex Babylone

80.) Ex Corpore ULPIANI Tit. 15. de Decimis. Quæ Lex abolita fuit L. 2. C. de infirmand. pœn. Cœlib.

81.) Lex hæc vetus in §. 1. Inst. de pœna temere litig. abolita est: quamvis

lone erat, ut solveretur Decima pars omnium, quæ in eam urbem importarentur 82.). Qui in fundo privato lapides effodiunt, unas Decimas Fisco, alteras Domino fundi præstant: reliquum ipsi pro suo labore habent 83.). *Decimas* frugum & animalium, quas Dominicales dicimus, fuisse olim per modum tributi Principibus solutas, sat notum est. Huc respicit Samuel Propheta, ad populum de Regis jure differens 84.). Has in Gallia olim viguisse, colligimus ex Constitutione CLOTHARII

---

vis autem postea Novell. 112. c. 2. videatur Lex ista innovari; obtinuit tamen semper, & hodie obtinet abolitio in Institutionibus posita.

82.) Lex ista nunquam executioni mandata fuerat ante Alexandri M. tempora: Antimenes autem ab hoc Rege viis circa Babylonem præfectus, legem inopinato innovavit, hacque occasione magnam pecuniæ summam congessit. ARISTOTELES lib. II. Oeconom. c. 1. art. 2. n. 34.

83.) L. cuncti. 3. C. de Metallariis &c.

84.) *Segetes vestras & vinearum reditus addecimabit, ut det Eunuchis & famulis suis... Greges quoque vestros addecimabit.* 1. Reg. VIII. 15. 17.

Regis circa Annum 560. ubi Ecclesiæ a Decimis Fisco Regio pendendis ex singulari beneficio eximuntur 85.). Sicut autem Fiscus Regius, ita etiam alii Nobiles & Duces recipiebant Decimas a subditis, quas simul cum fundis in Feudum a Rege concessis, jure beneficiario tenebant, solvendas per modum tributi ex bonis juxta *formam Censualem* æstimatis 86.). Aliæ Decimæ sunt, quæ nonnunquam in gravi necessitate Reipublicæ exiguntur a subditis, vel imponuntur Reditibus Beneficiorum ac Monasteriorum, autoritate Summi Pontificis 87.). Ad tristius Decimarum genus pendendum condemnabantur seditiosæ, vel ignavæ Militum Legiones, ex quibus Decimus quis-

---

85.) *Agraria, pascuaria, vel Decimas porcorum, Ecclesiæ pro fidei nostræ devotione concedimus, ita ut actor aut decimator in rebus Ecclesiæ nullus accedat.* Corp. Jur. German. m. Col. 468.

86.) L. 4. ff. de Censib.

87.) Hæ rationem subsidii Charitativi habent, de quo infra Tit. 12. Ut Ecclesiast. Benef. sine dimin. confer.

quisque ad supplicium forte legebatur 88.). Istis omissis

§. 23. Per Decimas hoc loco intelligimus eam fructuum & emolumentorum partem, quæ Supremo Numini offertur. Naturalis enim ratio suadet, ut ex iis, quæ DEus nobis confert, ad ejusdem Cultum aliquid referamus, tum ut gratos nos pro collatis bonis exhibeamus; tum ut Supremum DEI Dominium in omnes res creatas profiteamur. Cum autem ad Cultum Numinis, & Populorum salutem summopere conducat, ut publici Sacrorum Ministri constituantur, publicisque sumptibus alantur; pronum fuit statuere, ut sumptus isti ex iis, quæ DEO offeruntur, desumantur. Quanta autem pars bonorum ad hos fines destinanda sit, naturalis quidem ratio non determinat, miro tamen *Decimæ fructuum*

88.) Severas has *D*ecimas exigebat Consul Romanus Appius Claudius apud Livium lib. II. c. 59. Cæsar Caligula apud Suetonium in Caligula n. 48. Domitius Calvinus apnd Dionem Rom. Hist. lib. 48. M. Antonius apud Plutarchum in vita M. Antonii. fol. 683.

omnium Gentium consensu pars *Decima* Supremo Numini in Ministris suis offertur 89.).

DEO sunt offerendæ:

§. 24. Exemplo aliis præivit ABRAHAM, qui de omnibus, quæ ex manibus quinque Regum eripuerat, Decimas dedit Sacerdoti Melchisedech 90.). Avum secutus Nepos Jacob, profecturus in Mesopotamiam Syriæ, pro felici reditu vovit, se DEO oblaturum *Decimas* omnium, quæ a Divina Bonitate esset acquisiturus 91.). Hanc Decimæ partis determinationem adeo gratam, ratamque habuit DEus, ut eandem fructuum partem sibi a populo Hebraico offerri, severe per Moysen præceperit 92.): cumque Levitis Decimas

89.) Numerus Decimus juxta Platonicos est perfectissimus, quia continet omnes numeros inferiores: superiores autem numerantur per Decimum. MARSIL. FICINUS in Argum. ad Dialog. X. Platonis de Republ. aliique passim.

90.) Genes. XIV. 20.

91.) *Cunctorum quæ dederis mihi, Decimas offeram tibi.* Genes. XXVIII. 22.

92.) *Decimas tuas & Primitias tuas non tardabis reddere.* Exod. XXII. 29.

cimas pro ministerio assignasset, voluit, ut hi ipsi Decimam partem hujus portionis redderent Aaroni & filiis ejus Sacerdotibus 93.).

§. 25. Eadem fere est ratio *Primitiarum*, quo nomine solent intelligi primi fructus agrorum, vinearum, olearum, &c. quos singulis annis percipimus, DEoque bonorum omnium Largitori consecramus. Quantum autem *Primitiarum* nomine esset offerendum, non determinabatur in Pentateucho, sed arbitrio offerentium ab initio relictum fuisse videtur. Verum ob ingratum populi animum, & Sacerdotum avaritiam, Magistrorum deinde arbitrio effectum esse tradit S. Hieronymus, ut qui plurimum, quadragesimam partem daret; qui minimum, sexagesimam 94.). De pecoribus *Uti & Primitiæ.*

93.) *Cum acceperitis a filiis Israël Decimas, quas dedi vobis, Primitias earum offerte Domino, id est, Decimam partem Decimæ.* Numer. XVIII. 26.

94.) C. 1. de Decim. ex Hieron. super Ezech. C. XLV. Quod enim hic Propheta dicit: *hæ sunt Primitiæ, quas tollet-*

tis

ratione Primitiarum unum datum esse ex ducentis, docent Interpretes 95.).

Gentiles agnoverunt hanc obligationem:

§. 26. Sicut dæmones ab infidelibus Gentibus Cultum Divinum sibi tribui gestiebant, ita etiam Decimarum Oblationem affectabant. Nihil frequentius in antiquis Autoribus occurrit, quam votum solvendi Decimas Herculi 96.), aut etiam aliis Diis 97.): nam universim *Decima quæ-*

---

tis: sextam partem Ephi de coro frumenti, & sextam partem Ephi de coro hordei &c. id de parte sexagesima intelligit HIERONYMUS. Vid. BENED. ARIÆ MONTANI Thubal-Cain sive de Mensuris Sacris. EMMANUEL GONZALEZ, aliique Commentatores in C. 1. de Decim.

95.) Hoc colliguntex cit. loco EZECHIELIS: *& arietem unum de grege ducentorum.*

96.) PLAUTUS in Sticho Act. 2. scen. 2. v. 62. item in Truculento act. 2. scen. 7. PLUTARCHUS in vita Syllæ & M. Crassi. VARRO lib. V. de Lingua Lat. CICERO lib. III. de Natur. Deor.

97.) Camillus Dictator Vejos expugnaturus, *decimam partem prædæ* Apollini vovit. LIVIUS lib. V. c. 21. In Arabia Thuris

quæque veteres Diis suis offerebant 98.). Unde etiam Ulpianus exacte tradit, quid juris sit, *si Decimam quis bonorum vovit* 99.). Eadem religione Ethnici offerebant Diis suis *Primitias* frugum. Certe Romani *ne deguſtabant quidem novas fruges, aut vina, antequam Sacerdotes Primitias libaſſent* 100.).

§. 27. Ab iis, quæ Gentiles in tenebris infidelitatis suæ malignis spiritibus, veri DEI æmulis præstiterunt, ad Lucem Evangelicam transimus. Quamvis in hac Lege Evangelica Præceptum de Decimis non habeamus, nihilominus primi mox Fide-

Multo magis eam implere debent Christiani.

Thuris alio avehendi Decimas Deo, quem vocant Sabin, Sacerdotes capiunt: nec ante mercari licet. PLINIUS Natur. Hist. lib. XII. sect. 32. Etiam Jupiter *Prædator* nuncupatus fuit, quod Veteres decimam partem prædæ illi devoverent. ALEXANDER ab ALEXANDRO Genial. dier. lib. III. c. 22.

98.) FESTUS de Verb. Signif. V. Decimæ.

99.) L. 2. §. 2. ff. de Pollicit.

100.) PLINIUS Natur. Hist. lib. XVIII. c. 2. Hunc morem observavit TIBULLUS lib. I. eleg. I.

Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,
Libatum Agricolæ ponitur ante Deo.

Fideles, vel ex Judaismo, vel ex Gentilitate ad Christum conversi, non minorem liberalitatem, ac antea consuevissent, erga DEum exhibuerunt. Testem habemus sæculo secundo IRENÆUM 1.), qui censet, majora offerre debere Christianos, utpote majorem spem habentes, quam antea obtulerant Hebræi, offerentes Decimas. Eadem doctrina imbuere Fideles conatus est Scriptor Constitutionum Apostolicarum, quisquis demum ille sit, certe antiquissimus 2.), & ORIGENES 3.), qui putat præceptum Legis Veteris de Decimis etiam juxta sensum literalem stringere Christianos, nec horum Justitiam abundare plus quam Pharisæorum, nisi eadem profusione Decimas omnium, quæ possident, DEO red-

1.) Adverf. Hæref. lib. IV. c. 34.

2.) Lib. II. c. 25. 35. *Tametsi vos Deus a servitute ascitorum vinculorum liberavit... nondum tamen a pensionibus liberavit, quas Sacerdotibus debetis &c. &c. Quæ secundum Dei mandatum tribuuntur, Decimas dico & Primitias, insumat Episcopus, ut homo Dei &c.*

3.) In Lib. Numer. Homil. 11.

reddant. Eandem doctrinam inculcant Canones ex Hieronymo, Auguſtino & Ambroſio apud Gratianum relati 4.). Ex his primorum ſæculorum monumentis perſpiçuum fit, Decimarum in nova Lege mentionem, ac de iis ſolvendis doctrinam, non adeo recentem eſſe, ut quidam jactitant. Innumeris autem locis, ſequentium ſæculorum Patres & Concilia inculcant redditionem Decimarum & Primitiarum 5.).

§. 28. Inde lis orta eſt inter Theologos & Juris Canonici Interpretes, an in Lege nova detur Præceptum Divi- *Quamvis de præſtan-*

4.) C. 65. 66 XVI. q. 1. C. 4. ead. cauſ. q. 7. ſi ille ſermo, ex quo allegatur dictus *Canon. 66.* non ſit genuinus partus S. Auguſtini, ſaltem genuinus illius textus eſt in Enarrat. in Pſalm. 146 n. 17. *Exime aliquam partem redituum tuorum. Decimas vis? Decimas xime, quanquam parum ſit: dictum eſt enim, quia Phariſæi Decimas dabant.. Ille ſuper quem debet abundare Juſtitia tua, Decimas dat: tu autem nec illeſimum das. Quomodo ſuperabis eum, cui non æquaris?*

5.) Vid. THOMASS. vet. & nov. diſcipl. Eccl. p. 3. lib. I. c. 4. ſeq.

dis Decimis

Divinum ſolvendi Decimas? Multi inſignes Theologi docuerunt, Præceptum Divinum Decimarum in Lege nova non ligare Chriſtianos. Cum autem populus hac doctrina abuteretur, & Decimas ſolvere recuſaret, GREGORIUS IX. Pontifex 6.) graviter monet Fratres Prædicatores & Minores, ne talia, quæ audientes a Decimarum ſolutione retrahant, in ſermonibus ſuis, vel alibi proponere de cetero præſumant. GREGORII Decreto, & verbis quorundam Canonum 7.), ac SS. Patrum 8.) ſcrupuloſius inhæſerunt Juris Canonici Interpretes, Divinamque Autoritatem pro reddendis Decimis agnoverunt 9.).

§. 29.

6.) C. 1. de Decim. in 6.

7.) C. 47. XVI. q. 1. C. 2. ead. Cauſ. q. 2. C. 1. ibid. q. 7. C. 14. 25. 26. 33. de Decim.

8.) Qui referuntur in Canonibus ſupra N. 25. citatis, item C. 16. Diſt. 5. de Conſecrat.

9.) Iorum rationes refutat ADRIANUS Quæſt. quodlib. 5. ſed noſtris temporibus contra torrentem aliorum reſuſcitavit ?. ANACLETUS REIFFENSTUEL ad lib. III. Decretal. tit. 30. n. 13. ſeqq.

§. 29. Tenent plurimi cum S. Thoma 10.), Præceptum de solutione Decimarum, in Veteri Testamento partim fuisse *Morale*, inditum naturali ratione, ut necessarius victus præberetur iis, qui Divino Cultui ministrabant ad salutem totius populi, sub qua ratione adhuc hodie naturali jure deberi Decimas Ministris Ecclesiæ existimant: partim *Judiciale*, institutione Divina introductum, secundum conditionem Populi Hebraici, in duodecim Tribus divisi, ita ut Tribus Levitica Divinis Ministeriis mancipata, possessiones non haberet, & convenientissime sustentaretur ex Decima fructuum parte a reliquis Tribubus, quibus fere tantundem accrescebat ex portione terrarum, quæ absque hoc Divino Instituto Tribui Leviticæ sorte obtigisset. Sub hac autem ratione antiquum Præceptum Decimarum ad nos in nova Lege non pertinet, sed sola Ecclesiæ institutione impositum est 11.). Unde Decimarum

Præceptum Veteris Testamenti nos non stringat;

10.) 2. 2. q. 87. art. 1.

11.) De obligatione ad Decimas infra redibit sermo *Tit. V.*

rum nomine passim intelliguntur Oblationes ex fructibus & emolumentis pro Cultu Divino Ministris Ecclesiæ solvendæ, licet vel ex consuetudine, vel ex speciali Lege non solvatur determinate pars Decima, sed vigesima, aut alicubi etiam trigesima: imo deprehendimus, vocem *Decimarum* nonnunquam sumptam pro quovis Censu & Tributo 12.).

Et in Nova Lege nullum detur:

§. 30. Antiqui igitur Patres, qui Præceptum Divinum agnoscunt, intelligendi sunt de portione aliqua congrua & conveniente fructuum, DEO in Ministris suis reddenda, quam demum Ecclesia ad portionem Decimam determinavit. Itaque Præceptum Decimarum solet dici Divinum I. quantum ad substantiam, seu quantum ad obligationem conferendi aliquid ad Cultum DEI. II. Se-

12.) S. Cyprianus Epist. 66. dicit, quod Clerici in honore sportulantium fratrum, *tanquam Decimas* ex fructibus accipiant &c. id est, eo modo ex reditibus Ecclesiasticis sustententur, sicuti Levitæ Veteris Legis alebantur ex Decimis.

Secundum imitationem. III. Quia est tale in radice sua, utpote pendens ex potestate Divina spirituali & supernaturali data Ecclesiæ. IV. Quia est determinatio Juris Divini, dum Ecclesia præceptum Divinum conferendi aliquid ad Cultum DEI, determinat ad Decimam partem fructuum Ministris suis solvendam. V. Demum Juris Divini esse dicuntur Decimæ, sicut aliæ res Cultui Divino specialiter dedicatæ.

§. 31. Facile mihi persuadeo, primorum sæculorum Fideles, adhortationibus SS. Patrum obsecutos, liberaliter & devoto animo præstitisse Decimas, quas Judæi solverant ex Divino Præcepto: languente postea fervore, & remittente liberalitate, extimulandi, denique etiam Præceptis & pœnis urgendi erant ad reddendas Decimas, ne periclitaretur sustentatio Cleri & Pauperum, aliaque pia opera, ad quæ fuerunt destinatæ. Unde in Gallia Episcopi Provinciæ TURONICÆ Anno 567. *instantissime* COMMONENT, *ut Abrahæ documenta sequentes, Decimas ex omni facultate non pigeat DEO pro reliquis, quæ* *Fideles tamen vel sponte,*

possidetis, conservandis offerre. Paucis autem post annis Patres Concilii Matisconensis II. Anno 583. Statuunt *ac* Decernunt, *ut mos antiquus a Fidelibus reparetur, & Decimas Ecclesiasticis famulantibus Ceremoniis populus omnis inferat . . . si quis autem contumax nostris Statutis saluberrimis fuerit, a membris Ecclesiæ omni tempore separetur.* In Anglia, ubi jam monumenta Sæculi VII. obligationem Decimarum adstruunt 13.), eos qui Decimas non dederint, pœnis subjiciunt Leges illæ, quæ Sæculo X. a Regibus Anglorum & Danorum mutuo fœdere junctis, latæ sunt 14.), in Dania postmodum innovatæ & ampliatæ a S. Canuto Rege Sæculo XI. 15.). In Russia Wolodimerus Prin-

13.) Capitula Theodori *Cantuariensis* Archiepiscopi c. 24. & 30. Presbyteros & pauperes a Decimis dandis sæculo VII. eximunt; reliquos proin supponunt obstrictos. Harduin. Collect. Concil. tom. III. col. 1774.

14.) *Dacus si Decimas non dederit, Legis violatæ pœnas solvito, Anglus mulctator.* Ibid. tom. VI. col. 497.

15.) *Fœtuum Decimas ad Pentecosten solvito: terræ fructuum Decimas redditoad*

Princeps ad finem Sæculi X. Baptismo expiatus, cum Leone Kioviæ Metropolita Decimas de cunctis bonis ab omni sua gente pendendas sanxisse scribitur 16.). In Palæstina quoque usitatas fuisse Decimas, patet ex Controversia Sæculo XII. ab Aconensi Episcopo ad Cœlestinum III. delata 17.).

§. 32. In Germania S. Bonifacius, qui Disciplinam Ecclesiasticam in his Provinciis potissimum ordinavit, sanctissimas Leges tulit de Decimis præstandis, & rite impendendis. Contra eas Archiepiscopus Moguntinus Sigefridus, confisus armis & autoritate Henrici IV. Imperatoris,

Vel ex præcepto Ecclesiæ præstabant Decimas,

Festum omnium Sanctorum celebre &c. Ibid. col. 899.

16.) Sigismundus de Herberstein Rer. Moscovit. fol. 45. Le Quien Oriens Christian. tom. I. De Episcopis Kioviæ. m. col. 1261.

17.) C. ult. de Parochiis &c. Non tamen ubique in Oriente fuisse Decimas in usu, videtur colligi ex modo loquendi, quo ibidem utitur Pontifex: *quodsi,... in ultramarinis partibus ratione prædiorum Decimæ persolvuntur &c.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

in Thuringia, ubi multi immunitatem a Decimis prætendebant, Decimas ad se violente traxit, præcipue in præjudicium Monasterii Fuldensis & Hersfeldensis 18.) sæculo undecimo, ad cujus finem Othlonus Monachus Fuldensis Vitæ Bonifacianæ Scriptor, in Præfatione amare conqueritur, quod illa divisio & Destinatio Decimarum, quam Sanctus ille Præsul fecerat, præsertim ad pauperum & Monachorum sustentationem, non bene observetur. Spiritu S. Bonifacii repleti erant Præsules Germaniæ, qui Sæculo IX. varia Concilia celebrarunt, præsertim Salisburgi Anno 807. 19.), Moguntiæ

18.) Conciliabulum hac de re Erfurti habitum refert LAMBERTUS *Schaffnaburgensis* Annal. ad Ann. 1073. & Harduin. Conc. Tom. VI. p. 1. col. 1191. seqq.

19.) In hoc Concilio Provinciali referente BRUNNERO Annal. Boic. lib. 6. c. 4. *Episcopi moverunt quæstiones de Decima fidelium populorum, quæ affertur ad Ecclesias: lectis inde capitulis ex Canonum autoritate, quid inde agi debuisset; invenerunt, quatuor portiones fieri, unam Episcopo,*

tiæ Anno 813. 20.), & Anno 888. ubi præsentibus Archiepiscopis Moguntino, Trevirensi & Colonienſi, *qui Decimas dare neglexerint, excommunicantur* 21.).

§. 33. In Capitularibus Regum Francorum, quibus magna pars Germaniæ subjacebat, ubique occurrunt graviſſimæ adhortationes & Mandata *Etiam in Germania.*

---

piſcopo, alteram Clericis, tertiam pauperibus, quartam Fabricis Eccleſiæ. Tum conſenſerunt ibi cuncti Abbates, qui præſentes aderant huic Decreto, ſecundum Canones, & reddiderunt portiones Epiſcoporum Epiſcopis, quæ illos contigiſſet. Ad eosdem fines impendi Decimas jubet Concilium TRIBURIENSE Anno 895. can. 13. & NAMNETENSE c. 10. apud Harduin. tom. VI. part. 1. col. 457. ſeqq. de eadem materia videri poſſunt Capitularia CAROLI M. apud Harduin. tom. IV. col. 958. c. 7. Capitulare AHYTONIS Epiſcopi Baſileenſis, & Abbatis Augienſis cap. 15. ibid. col. 1243.

20.) Ibi *Can. 38. Admonemus atque præcipimus, ut Decimas Deo omnino dari non negligatur, quas Deus ipſe ſibi dari conſtituit: quia timendum eſt, ut quisquis Deo debitum ſuum abſtrahit, ne forte Deus per peccatum ſuum auferat ei neceſſaria ſua.*

21.) Cap. 17.

de *Decimis* DEO & Ecclesiæ dandis 22.), & *Nonis* persolvendis 23.): jubenturq; Presbyteri secundum Canonicam Regulam fideliter eas dividere 24.), eoscilicet modo, quo alii Ecclesiarum Reditus dividi præcipiuntur. Saxones, quos CAROLUS M. sibi & Christo subjecerat, Tributorum nomen horrebant: sed Decimarum, more Christiano solvendarum exactionem recusare non poterant 25.), præsertim

---

22.) Capit. lib. VI. c. 192.

23.) Capit. Anni 779. c. 13. Capit. lib. 2. c. 21. Capit. IV. Anni 819. c. 5. Addit. III. c. 29. Addit. IV. c. 164. item lib. V. c. 154. item Conc. FRANCOFORD. *anno 794. can. 25. Decima* scilicet solvenda est Jure Ecclesiastico; *Nona* autem fructuum pars Jure colonario, quando agri Ecclesiarum alicui concessi sunt in beneficium, prout constat ex Capit. lib. I. c. 157. ubi statuitur, *ut qui Ecclesiarum beneficia habent, Nonam & Decimam ex eis Ecclesiæ, cujus res sunt, donent.*

24.) Capitular. lib. V. c. 173.

25.) Capitul. de partibus Saxon. c. 17. *secundum Dei mandatum præcipimus, ut omnes decimam partem substantiæ & laboris sui, Ecclesiis & Sacerdotibus donent*

tim cum Fiscus Regius exemplo suo præiret 26.). Ex his Decimis stipendia militibus præstabantur, sumptusque fiebant crebrarum in eam Gentem expeditionum, cum hæc revera esset piissima causa Ecclesiæ, & Religionis Christianæ tum introducendæ, tum conservandæ unicum medium, ut proin Decimæ pro bono Ecclesiæ impendi viderentur 27.).

§. 34. Existimant aliqui, ex hac Saxonicarum Decimarum destinatione ortum esse, ut multarum Decimarum exactiones devenerint in manus Laicorum. Aliam huic rei causam accessisse censent plurimi. Cum enim non satis confiderent Pontifices, sua jura a Laicis Principibus de-

Quarum multæ devenerunt

nent tam Nobiles, quam ingenui, similiter & Liti: juxta quod Deus unicuique dederit Christiano, partem Deo reddat.

26.) Ibid. c. 16. *Et hoc Christo propitio placuit, ut undecunque census aliquid ad Fiscum pervenerit, sive in Frido, sive in qualicunque banno, & in omni redibutione ad Regem pertinens, Decima pars Ecclesiis & Sacerdotibus reddatur.*

27.) Albertus Krantzius Metropol. lib. I. c. 2.

defendi ; dediſſe dicuntur partem Decimarum Principibus per ſpeciem Feudi & Beneficii, malentes amittere dimidium, quam totum. Inde factum, ut a Principibus tranſirent in Miniſteriales, qui poſtea Milites appellabantur 28.). Carolus Martellus, teſtantibus Geſtis Francorum per multa bella cenſu, pecuniaque extenuatus, cum compertum haberet, Proceres egregiam operam Reipublicæ navaſſe, fortunisque ſuis deſtitutos eſſe, Decimas, quæ Cleri erant, non diſſentientibus Epiſcopis, Proceribus, dum bellum adverſus Chriſtianæ Religionis hoſtes gererent, percipiendas attribuit, perſancte jurans, ſi vitam diu viveret, ſe omnia & multo majora Sacerdotibus repenſurum 29.). Huic Origini Decimas in Laicos devolutas videtur etiam adſcribere Imperator

Fri-

28.) Krantzius ibid.

29.) Ita narrat Robertus Guaguinus de Geſtis Francorum lib. III. in Carolo Martello fol. 446. addens, Euterium Arelatenſem Pontificem divulgaſſe, ſe per quietem vidiſſe Martellum ejus ſacrilegii pœnas apud inferos luere.

FRIDERICUS *Barbaroſſa*, qui querelas Pontificis hac de re ad Comitia Imperii referebat, Anno 1186. in Geilhauſen habita 30.). Cum enim Pontifex URBANUS III. dixiſſet, *iniuſtum eſſe, aliquam Laicam perſonam Decimas poſſidere, quas manifeſte Dominus his, qui Altari deſerviunt, deputaverit.* Reſpondet Imperator, *ſcire ſe, Decimas & Oblationes a DEO Sacerdotibus & Levitis primitus deputatos, ſed cum tempore Chriſtianitatis ab Adverſariis infeſtarentur Eccleſiæ, easdem Decimas præpotentes & Nobiles Viri ab Eccleſiis in Beneficio ſtabili acceperunt, ut ipſi Defenſores Eccleſiarum fierent, quæ per ſe ſua obtinere non valerent.* Alii ſibi perſuadent, multas Decimas, quæ ſunt in manibus Laicorum, nunquam pertinuiſſe ad Eccleſias, ſed a prima ſua origine fuiſſe *Dominicales* a principibus vel Nobilibus ex curtibus ſuis perceptas. Facile potuit contingere, ut iſti has Decimas Eccleſiis ſuarum Villarum pro lubitu ſuo appli-

30.) Sic refert ARNOLDUS *Lubecenſis* Chronic. Slavor. Lib. III. c. 18. n. 3.

carent 31.): argumentum tamen ab his duci non posse censent ad Decimas, quæ Jure Ecclesiastico ad Ecclesias

---

31.) Capellis Regiis Decimas Dominicales applicaverat Carolus M. jam antequam fieret Imperator, ut patet ex Capitulari de Villis Karoli Magni c. 6. *Volumus ut Judices Decimam ex omni conlaboratu pleniter donent ad Ecclesias, quæ sunt in nostris Fiscis, & ad alterius Ecclesiam nostra Decima data non fiat, nisi ubi antiquitus institutum fuit. Et non alii Clerici habeant ipsas Ecclesias, nisi nostri, aut de familia, aut de Capella nostra.* Unde Capitular. Anni 828. c. 1. agendum determinabatur *de Decimis, quæ ad Capellas Dominicas dantur.* Exemplum aliud habemus in vicinia nostra, ubi Anno 1034. Liutgerus Comes cum consensu Heriberti Episcopi Eustettensis, pro fundando Monasterio Monialium ad S. Walburgam Eustadii tradidit insignia Bona *cum omnibus appendiciis, id est Ecclesiis, Decimis &c.* quo tempore raræ adhuc fuerunt Ecclesiæ Parochiales ruri in his Provinciis: unde conijcere licet, Decimas illas fuisse *Dominicales*, & nunquam pertinuisse ad aliquam Ecclesiam Parochialem, a qua eas abstrahi non passus esset Episcopus ad fundandum Monasterium Monialium.

cleſias parochiales dantur 32.). Quando igitur Principum vel Nobilium Succeſſores, liberalitatem Patrum ſuorum non imitati, Decimas has ad ſuum Fiſcum revocabant 33.), facile potuit contingere, ut Coloni ad alias Decimas Eccleſiæ dandas ſe teneri non crederent.

§. 35.

32.) Inter Decimas Dominicales Capellis Regiis liberaliter applicatas, & Decimas Parochiales accurate diſtinguit Concilium MELDENSE Anno 845. c. 75. ubi Regem Carolum Calvum monent Epiſcopi: *Si Capellas veſtras Presbyteris, aut Viris Eccleſiaſticis dederitis, & Dominicas Decimas acceperint, ſarta tecta Eccleſiæ & luminaria exinde competenter provideant; & Presbyteri Parochianas Decimas accipiant, & populi neceſſitatibus debite invigilent &c.*

33.) S. LUDOVICUS Galliarum Rex Anno 1269. Edicto cavit, ut Decimæ profanæ, ſi Eccleſiis tribuerentur, haberentur tanquam Eccleſiaſticæ: ob inſertam autem clauſulam *quantum in nobis eſt*, Edictum multas patiebatur limitationes, ne præjudicaret alii Domino directo, quam Regi, ſi forte Decimæ feudales donarentur Eccleſiæ. Totum Edictum refert GRIMAUDET Paraphraſe du Droit des Dixmes, lib. II. c. 6. n. 49.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

In manus Laicorum;

§. 35. Extra has Decimas Dominicales, ex allatis & aliis obviis Documentis abunde oſtenditur, Decimarum ſolutionem cum Religione Chriſtiana in noſtra Germania fuiſſe propagatam: multas autem ex illis deveniſſe olim in manus Laicorum autoritate Eccleſiaſtica, eo titulo, ut Laici illas in Beneficium & Feudum ab Eccleſia datum recognoſcerent, & viciſſim Eccleſiarum defenſionem in ſe ſuſciperent; vel potius, ut fructus Decimarum eo uſque perciperent, dum bellum adverſus Eccleſiarum hoſtes gerendum, aut impenſi ſumptus compenſandi eſſent: plurimas autem idem fatum ſubiiſſe ex propria Laicorum violentia, vel ſub colore & fuco ejusdem defenſionis; vel prædæ nomine, turbulentis illis temporibus, quibus Pontifices Romani & Imperatores inter ſe colliſi, Epiſcopos etiam Germaniæ in varias partes diſtraxerunt, Bonaque Eccleſiarum deprædationi militum expoſuerunt.

Variis Decretis revocatæ;

§. 36. Merito hanc uſurpationem Religioni ſibi ducebant multi timorati Laici, quorum pietatem in lucrum ſuum vertebant nonnulli vel

Eque-

Equeſtris, vel alterius Religioſæ Profeſſionis Viri, qui ejusmodi Decimas a Laicis in ſe transferri, ſub prætextu Privilegiorum Apoſtolicorum procurarunt, ea ſæpe conditione, ut iidem Laici eas ex manibus Religioſorum, tanquam in Feudum datas reciperent. Contra hos Concilium LATERANENSE ſub Alexandro III. 34.) Decimas de manu Laicorum ſine conſenſu Epiſcopi Religioſos recipere prohibet, dimiſſis etiam, quas contra tenorem iſtum aliquo tempore recepiſſent. Cum tamen URBANUS III. ejusque Succeſſores fruſtraneo conatu urgerent Laicos ad Decimas Eccleſiis, unde diſtractæ fuerant, reſtituendas; conſultius autem videretur, eas locis Religioſis applicari, quam iniqua uſurpatione a Laicis detineri: demum ALEXANDER IV. Sæculo XIII. permiſit, ut Religioſi de manibus Laicorum recipiant, vel acquirant illas Decimas, quæ ante Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. celebratum, ipſis Laicis in Feudum perpetuo fuerunt conceſſæ 35.). Huic Conſtitutioni

34.) Anno 1179. Cap. 9.
35.) C. 2. §. ſane 3. de Decim. in 6.

tioni acceptas ferunt Fundationes ſuas Monaſteria quædam, quibus Laici pro fundo Decimas aſſignarunt, a ſe antea juſte vel injuſte poſſeſſas, legitime tamen ex dicta conceſſione Pontificis in Monaſterium translatas 36.).

Nec cum Tributis confundendæ.

§. 37. Hæc fuſius, quam anguſtiæ hujus libelli permittere videbantur, annotanda duximus, ut Decimarum Eccleſiaſticarum origo & differentia ab aliis Decimis profanis probe agnoſcatur; cum multi Scriptores Decimas Eccleſiæ, ejusque Miniſtris debitas, confundant cum aliis Decimarum generibus, quæ Tributorum nomine, vel alio profano titulo Principibus ſolvebantur pridem, & adhuc hodie alicubi ſolvuntur.

Uni-

36.) Suſpicantur aliqui, Nobiles nonnullos, qui Decimas Dominicales poſſederant, ignaros, unde jus iſtud Majores ſui acquiſiviſſent, perterritos Pontificiis fulminibus, quæ generaliter Laicos Decimarum poſſeſſores impetebant, Decimas Eccleſiis tradidiſſe, vel ab iis in Feudum recepiſſe: & hac ratione eas effeciſſe Eccleſiaſticas, quæ antea fuerant Laicæ.

Unicum lubet addere exemplum doctrinæ non satis castigatæ ex JOANNE SCHILTERO 37.), qui originem Decimarum Ecclesiasticarum ad Clotharium Regem referendam existimat, allegata in hanc rem Constitutione, quam supra §. 22. Not. 85. retulimus: ubi tamen Clotharius nullas Decimas exigendas dat Ecclesiis, sed has solummodo a præstandis Decimis Dominicalibus immunes reddit. Allegat præterea SCHILTERUS Decretum Episcoporum post Concilium Turonense Anno 567. habitum, ubi populos ad præstandas Decimas adhortantur: ex quo tamen contra opinionem hujus Scriptoris inferri potest, Decimarum Ecclesiasticarum Originem nequaquam ad Clotharium referri debere, cum Episcopi isti populos non adhortentur ad Decimas præstandas ex Constitutione Clotharii, quæ recentissime ante paucos annos fuerat edita; sed potius ab exemplo Abrahæ, ut ob imminentem magnam calami-

37.) De Libert. Eccles. Germ. Lib. V. c. 6. §. 6.

calamitatem 38.), oblata DEO Decima parte, ſervarent partes reliquas.

Decimæ ſunt Reales: §. 38. Decimæ igitur, hoc loco conſideratæ tanquam *Decima pars fructuum & lucrorum licite quæſitorum, Eccleſiæ Miniſtris exſolvenda*, Diviſionem præcipuam habent ratione rerum, ex quibus penduntur. Hoc intuitu ſunt vel *Reales*, vel *Perſonales*. Reales dicimus, quæ ſolvuntur ex fructibus, quos natura profert, vel bonitate fere ſpontanea, vel per induſtriam hominum adjuta & provocata. Tales ſunt Decimæ frumenti, vini, olerum, pomorum, fœni, fœtuum, aliorumque fructuum, quos

38.) Fleury Hiſt. Eccl. tom. 7. lib. 34 §. 17. ſuſpicatur, hanc calamitatem timendam fuiſſe ob bellum civile inter Sigebertum & Chilpericum poſt mortem Chariberti. Sed videtur potius denotari bellum, quod Guntramnus & Sigebertus gerebant contra Chilpericum pro vindicanda nece, qua Chilpericus Conjugem ſuam Galswindam hoc ipſo anno ſuſtuliſſe credebatur: qua occaſione Chilpericus amittebat partem earum ditionum, quas ex hæreditate Chariberti per pacificam inter fratres diviſionem obtinuerat.

quos proferunt animalia, aut quæ ex his fructibus fiunt, ut lactis, lanæ, ovorum, mellis, butyri, caſei &c. omnes hæ Decimæ vocantur etiam *Prædiales*, eo quod ex ſolo & prædio proveniunt, ad quas referuntur etiam fructus civiles, percepti ex locatione, jure emphyteutico, laudemiis, cenſibus &c.

§. 39. *Perſonales* penduntur ex lucris ſeu commodis, quæ præcipue & immediate ſuo labori, induſtriæ, arti ac ingenio debet perſona 39.). Huc referuntur lucra ex artefactis & negotiatione, ſalaria ratione Officii aut Dignitatis, merces locatæ operæ, ſtipendia militiæ, ſpolia ex hoſtibus, pecunia redacta ex venatione, aucupio, piſcatu &c, 40.). Hæ Decimæ *Vel Perſonales.*

39.) Decimæ, quæ vocantur perſonales, proprie non ſunt perſonales, ſed potius patrimoniales; ita tamen vocantur, quia ſolvuntur de iis, quæ acquiſita ſunt a perſona, non ex prædiis: ſunt igitur proprie & immediate onus, non perſonæ, ſed patrimonio impoſitum.

40.) Neceſſarium non eſſe, ut addatur tertium

cimæ *Personales* vix alicubi sub præcepto sunt in usu, saltem quoad determinatam portionem decimam 41.): sed cujusvis pietati relinquitur, ut ex lucris suis se gratum & liberalem exhibeat Deo: adhortari tamen decet Christianos, ut ex lucris suis prompte conferant ad Cultum Divinum. In Veteri quidem Testamento, nomine Decimarum Personalium nihil præstabatur, cum singulæ Tribus haberent divites possessiones, ex quibus abunde providere poterant Levitis & Sacerdotibus, qui etiam

---

tertium genus Decimarum *Mixtarum*, ostendit P. FRIDERICH tract. de Decimis part. 1. q. 2.

41.) In quibusdam Regionibus Hispaniæ solvi Decimas salariorum a famulis, dicit NAVARRUS in Manuali c. 21. n. 31. De Episcopatu Placentino idem testatur GUTIERREZ Canon. Quæst. lib. II. c. 21. n. 34. & Rota Rom. apud BARBOS. de Offic. Paroch. c. 28. §. 2. n. 27. LESSIUS autem de J. & J. lib. II. c. 39. n. 27. dicit, Decimas Personales Venetiis solvi in fine vitæ, alibi in fine anni. Vestigia Decimarum Personalium in nostra Germania indicabimus infra Tit. IV. §. 44.

etiam ex aliis honeſtis negotiationibus lucrum facere non prohibebantur: in nova autem Lege plurimi Fideles per totum mundum diſperſi, poſſeſſiones & prædia non habent, ſed de aliis negotiationibus vivunt, qui proin nihil conferunt ad Cultum Divinum & ſubſidium Miniſtrorum Eccleſiæ, ſi de ſuis lucris perſonalibus Decimas non ſolvant. Dein Miniſtris Legis novæ arctius interdicitur, ne ſe negotiationibus immiſceant.

Majores vel Minores: Antiquæ vel Novales.

§. 40. Reales Decimæ, aliæ ſunt *Majores*, aliæ *Minores*. Quinam fructus ad has, vel illas referantur, conſuetudo locorum determinat. Ad *Majores* plerumque referuntur Decimæ ex frumento, vino, oleo &c. *Minoribus* ſolent annumerari Decimæ olerum, pomorum, leguminum, fœni &c. 42.). Item aliæ dicuntur *Antiquæ*, aliæ *Novales*, quæ ſcilicet ex Novalibus, ſeu fundis recens cultis colli-

42.) Juxta Codicem Civilem Bavariæ p. 2. c. 10. §. 2. ad Minores referuntur etiam Decimæ ex Lupulis, foliis tabaci &c.

colliguntur. Novale autem hoc loco non sumitur in sensu Juris Civilis *pro terra præcisa, quæ anno cessavit* 43.): sed in sensu Juris Canonici intelligimus *agrum de novo ad culturam redactum, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuisset* 44.). Imo etiam in ordine ad Decimas, censetur plerumque fundus ille *Novalis*, qui nunc redigitur ad culturam fructuum decimabilium; cum antea tulerit quidem fructus, sed nequaquam juri decimationis subjectos. Sic in locis, ubi ex consuetudine non dantur Decimæ fœni, *Novale* dicitur, quando pratum convertitur in agrum.

Explicatur natura Realium:

§. 41. Porro, ut bene apprehendatur natura Decimarum *Realium*, sciendum est, onus Decimarum immediate inhærere fructibus, & solummodo mediate prædiis, quatenus hæc virtualiter continent fructus. Unde Ecclesia nec habet ullum jus in ipsos agros, vel res frugiferas: nec habet proprium & privatum dominium Decimarum, antequam

43.) L. 30. §. 2. ff. de V. S.
44.) C. 21. de V. S.

tequam sint separatæ : habet tamen Jus Jurisdictionis & Superioritatis ad determinandam quotam, & compellendos Fideles : sicuti Tributa non sunt Principis, antequam illi præstentur : potest tamen Princeps ea imponere & subditos compellere ad solutionem; licet enim exigere non tantum rem suam, sed etiam rem sibi quocunque jure debitam 45.). Propriissime autem loquendo, onus Decimarum Prædialium, licet dicatur reale, principalius tamen est personale : nam personæ sunt, quæ ex præcepto tenentur ad Decimas ex fructibus rerum, vel ex lucro actionum suarum, quia Leges imponentes Decimam, respiciunt personas, quas obligant ad solvendam partem fructuum, vel lucrorum, intuitu passivæ receptionis Divinorum a Ministris Ecclesiæ.

§. 42. Demum solent Decimæ communiter dividi in *objective seu materiali-* *Quæ vel materia-*

45.) Vox *vindicandi* Decimas in c. 23. XVI. q. 1. non sumitur in sensu Juridico pro actione Civili : sed idem significat, ac appropriare, usurpare &c.

liter, vel rialiter sumptas, & in *formaliter* ac-
formali- ceptas. Per Decimas *materialiter* spe-
ter consi- ctatas intelligitur ipsa pars decima
derantur: fructuum: per *formaliter* considera-
tas, intelligitur jus petendi decimam partem fructuum, fundatum in titulo spirituali, scilicet ministerio sacro, vel Cura animarum. Huic divisioni scriptores superstruunt varias Decisiones. Ajunt, Decimas materialiter sumptas posse præscribi etiam a Laicis, posse pro pretio temporali vendi, permutari &c. secus Decimas formaliter spectatas. Ista alium sensum non habent, quam illum, quo in ceteris bonis Ecclesiasticis distinguitur dominium directum Bonorum a dominio utili, quando Bona Ecclesiæ traduntur Laicis in Feudum, vel Emphyteusin. Eodem enim modo, si Decimæ dantur in Feudum, dominium directum manet penes Ecclesiam; dominium utile transit in vasallum. Si vero prædia Ecclesiæ alio contractu, per quem dominium bonorum transferri solet, in Laicos alienentur, nemo suspicatur, jus aliquod spirituale in eos transire, vel penes Ecclesiam permanere. Nam per ejusmodi alienationem ri-

te

te factam, omnis proprietas bonorum ab Ecclesia sejungitur, & pleniſſimo jure in emptorem transit, redeunte viciſſim, si contractus sit utilis, eo commodo ad Ecclesiam, quod æquivaleat spei & juri percipiendorum ex talibus bonis proventuum. Eadem prorsus ratione si Decimæ per venditionem, aut alium ejusmodi contractum alienantur, omni ad eos jure privabitur Ecclesia, modo requisitæ ad alienationem solemnitates adhibeantur, & tanta redeat ad Ecclesiam utilitas, qua compensentur fructus singulis annis percipiendi.

§. 43. Id asseri potest, Laicis in ejusmodi casu competere solummodo jus exigendi Decimas ministeriale, seu procuratorium, vi cujus exigant Decimas nomine Ecclesiæ, ad propriam tamen utilitatem: cum enim Decimæ singulis annis offerantur DEO, colligi non possunt, nisi nomine Ecclesiæ ab iis, quibus Administratores Bonorum Ecclesiasticorum id legitima autoritate concedunt, ex ea præcedente causa, quæ suo modo singulis annis hanc concessionem censetur expetere, cum

A Laicis autem iure procuratorio colliguntur.

singulis annis Oblatio nova per præstitas Decimas fiat Numini. Simili ratione jus ad certas Oblationes potest concedi Musicis, ædituis, aliisque ad Ecclesiæ obsequia destinatis Laicis.

TITULUS IV.
QUINAM, EX QUIBUS REBUS, ET QUOMODO SOLVERE TENEANTUR DECIMAS?

Confer. ut in priori Titulo.

§. 44.

Regulariter ad Decimas præstandas

REGULA generalis est, ad Decimas præstandas teneri omnes Fideles. Et quidem ad Decimas *Personales*, ubi consuetudo non est contraria, tenentur omnes, qui ab Ecclesia Sacramenta percipiunt 46.). Harum

46.) Concilium TROSLEJANUM in Gallia Anno 909. cap. 6. sic loquitur: *fortassis vero dicet aliquis: non sum agricola, non habeo, unde possim dare Decimas fructuum terrenorum, vel etiam armentorum. Audiat quicunque est ille, miles sit, negotiator sit, artifex sit: Ingenium, quo pasceris, Dei est, & ideo inde ei dare debes Decimas &c.* Dein militibus proponit exemplum Abrahæ.

rum vestigia quædam in Germania restant. Ingolstadii ubi hæc scribo, ad finem anni Cooperatores Parochorum ex singulis ædibus colligunt nummos, quorum numerum liberalitas Parrisfamilias determinat. Eadem consuetudo viget Monachii & alibi: vocaturque Germanice *Leib-Pfening*. Huc refertur Nummus tempore Paschali a Confitentibus dari solitus; Mortuarium; Jura Stolæ, quando confertur Baptismus, benedicuntur Nuptiæ, administrantur Sacramenta moribundis &c. 47.).

§. 45. Ad Decimas *Prædiales* tenentur, qui titulo profano possident fundos in districtu Parochiali, nisi justo titulo sint exempti. Tenentur igitur etiam Reges & Principes, quia non possunt seipsos eximere 48.): item Religiosi. nisi habeant pri-

Tenentur omnes Fideles.

47.) Vid. supra Tit. III. §. 38. Not. 41.

48.) ÆTHELSTANUS Rex Anglorum in Concilio GRATELEANO circa Annum 928. c. 1. præcipit Præfectis suis, ut ex Regiis bonis præstent Decimas, apud HARDUIN. Tom. VI. col. 565. & 568. ubi nominantur *Aldermanni* voce hodie usitata.

privilegium; isto si sint muniti, debent tamen solvere Decimas ex fundis jam antea juri Decimarum subjectis, nisi etiam quoad hoc specialiter sint privilegiati 49.): item Clerici non habentes Beneficium Ecclesiasticum 50.). Tenentur etiam Acatholici, quia sunt subjecti Ecclesiæ, quam ingressi sunt per Baptismum; & hinc, licet Sacramenta a Catholicis Parochis non recipiant, recipere tamen deberent, utpote Ecclesiasticis Præceptis obstricti. Singulari Constitutione Imperii 51.) Catholicis reservantur Decimæ ex Territorio alieno Acatholicorum antiquitus debitæ.

§. 46.

49.) Tale privilegium Patres Societatis Jesu habent a Gregorio XIII. per Breve *Pastoralis*. Anno 1578. ubi derogatur Capitulo Nuper. 34. de Decimis.

50.) Verba C. 2. de Decimis: *illi Clerici, qui a Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, Decimas eis debent*, intelligi possunt de Clericis non habentibus Beneficium Ecclesiasticum.

51.) Pax Relig. Augustæ 1555. Art. 7. 8. & 9. Pax Westphal. Osnabrug. art. 5. §. 46.

§. 46. Succeſſor univerſalis tenetur ad ſolvendas Decimas a Teſtatore non ſolutas, cum quo cenſetur eadem perſona: nequaquam autem Succeſſor particularis, qui ex emptione, permutatione, aut ſimili titulo fundum acquirit. Nam obligatio ſolvendi Decimas immediate & directe annexa eſt perceptioni fructuum: qui igitur hos non percipit, non tenetur ſolvere Decimas. Aliter ſentiendum de Tributis, quæ inhærent rebus: proin obligatio ſolvendi tributa tranſit ad quemcunque poſſeſſorem. Reges enim & Principes, quibus Tributa debentur, certam & determinatam eorum quantitatem quovis anno exigunt, ſuis ſumptibus & communibus Reipublicæ oneribus ſuſtinendis proportionatam, ac dimenſis Regionis ſuæ portionibus reſpondentem, ſive major, ſive minor ſit anni fertilitas. Econtra annua Decimarum præſtatio non reſpondet amplitudini fundorum, aut exigentiæ Parochorum, ſed majori vel minori copiæ fructuum: ſi iſti ſint copioſi, replebitur Parochi horreum; ſi fructus ex injuria tempeſtatis ſint rari, horreum Parochi exhibebit

Decimas non-dum ſolutas compenſat prædii ſucceſſor univerſalis:

bebit vacua ruſtica, quæ replere non tenebitur colonus, cum ex ſola perceptione fructuum oriatur obligatio, offerendi DEO Decimam eorum partem, ad Cultum Divinum applicandam. Unde juxta phraſes Sacrorum Canonum *homines de frugibus Decimam ſolvunt; de fructibus quos percipiunt, Decimæ ſunt ſolvendæ: fructus ipſos alienari poſſe non credimus, niſi cum onere Decimarum* 52.), quia onus Decimarum nondum præſtitarum tranſit cum fructibus, non autem cum agro, ſicut onus Decimæ carnaticæ nondum præſtitæ, non tranſit cum vendita vacca vel ove. Æquivocationis anſa ſumi videtur ex eo, quod Decimæ prædiales paſſim vocenrur onus *reale*, ſcilicet non fundatum in *perſona*, vi cujus jus decimandi tranſiret cum perſona ad alium Parochum; ſed quia remanet apud eum Parochum, intra cujus limites ſunt agri. Hinc dicitur onus prædiale, *reale*, onus fundi, in quantum opponitur oneri *perſonali* 53.).

§. 47.

52.) C. 7. 24. 28. de Decim.

53.) Quænam vocentur Decimæ Perſonales, dictum eſt in priori Titulo Not. 39.

§. 47. Contraria opinio eorum 54.), qui dicunt, obligationem Decimarum non ſolutarum tranſire ad ſucceſſorem particularem, præcipue nititur hac ratione, quia Decimæ dicuntur onus reale, & prædia dicuntur obnoxia pro Decimis; item quod obligatio ſolvendi Decimas ſequatur rem, juxta Gloſſam & S. Thomam. Hæ autem rationes vim movendi non habent, cum denominatio oneris realis ſit prorſus æquivoca, ut dictum: & prædia dicuntur obnoxia non pro Decimis præteritis, ſed pro futuris, quatenus virtute continent fructus futuros; nam præteritos jam protulerunt, & in illos tranſtulerunt onus Decimarum indirecte & mediate ſibi incumbens. Si autem manerent obnoxia pro prioribus debitis, id eſſe deberet per modum Hypothecæ, vel vi alicujus Legis: neutrum autem horum invenitur. Demum obligatio ſolvendi Decimas ſequitur rem, id eſt, ſequitur fructus nondum decimatos 55.).

Non autem particularis, niſi ſimul ad eum tranſeant fructus nondum decimati:

§. 48.

54.) Auguſt. Barbosa, Rebuffus, Azor, Moneta &c.

55.) Ita ſentiunt Suarez tom. 1. de Religi-

Secus ac in Tributis.

§. 48. Proteſtantium aſſertiones in hac cauſa attendi non debent, cum juxta eorum principia Decimæ eandem cum Tributis profanis naturam habeant: conſequenter non debent intelligi, niſi de Decimis Dominicalibus (ſupra priori tit. §. 22.): nos autem hic loquimur de Decimis ſpiritualibus & Eccleſiaſticis DEO in gratitudinem & obſequium ob fructus perceptos debitis 56.).

De Locatoris, aliorum

§. 49. Si locatus ſit fundus, pro diverſo locandi modo diverſimode reſpondendum eſt ad Quæſtionem, an Locator, an vero Conductor ſeu Co-

---

lig. tr. 2. lib. 1. c. 38. n. 9. FAGUNDEZ in quint. Eccl. præcept. lib. 3. c. 6. LAYMAN Theol. Mor. lib. 4. tract. 6. c. 2. n. 5. HENRIC. CANISIUS in lib. 3. Decretal. tit. 30. c. 4. n. 3. ſeqq. PIRHING ibid. n. 161. SCHAMBOGEN ibid. n. 51. SCHMALZGRUEBER ibid. n. 24. MELCHIOR FRIDERICH de Decimis n. 132. ſeqq. FRANC. SCHMIER Jurisprud. tom. 2. ad lib. 3. Decretal. fol. 456. PLACIDUS BÖCKHN ad Tit. de Decim. n. 43. ſeq.

56.) Diſcrimen inter Tributa Principum & Decimas Eccleſiaſticas tradunt omnes allegati.

Colonus teneatur ad præſtandas De- *que ob-*
cimas: ſcilicet prout alteruter vel in- *ligatio-*
tegros, vel partiales percepit fru- *ne ad*
ctus; tenebitur etiam integras, vel *Deci-*
pro rata pendere Decimas 57.). Le- *mas.*
ge Decimarum non tenetur *Epiſco-*
pus, *Parochus*, nec etiam *Clericus Be-*
neficiatus de prædiis propriæ menſæ,
Eccleſiæ, aut Beneficii. De Patri-
monialibus aut titulo profano poſ-
ſeſſis plerumque tenentur ad Deci-
mas ex generali illa ratione, quod
Bona non debeant tranſire ad alios
cum præjudicio Decimatoris ordina-
rii. Unde licet infideles, utpote
non indigentes miniſterio Clericali,
ratione perſonarum ſuarum non te-
neantur; nihilominus jubentur com-
pelli *Judæi ad Decimas perſolvendas vel*
poſſeſſiones penitus renuntiandas 58.),
prohibendo ſcilicet, ne Judæis ali-
ter vendantur prædia, niſi cum one-
re

57.) De diverſo locandi modo intelliguntur inprimis C. 24. & 26. de Decim. dein C. 8. & Clement. 1. eod. demum c. 32. & 33. eod. Diſtincte ſingula explicantur a P. FRIDERICH de Decimis. a n. 116.

58.) C. 16. de Decim.

re Decimarum, *ne forte occasione illa Ecclesiæ valeant suo jure fraudari* 59.): quod multo magis per modum pœnæ observandum est in prædiis, quæ Judæi per usuras obtinuerunt, ut sic Ecclesiæ conserventur indemnes 60.). *Pauperes* debent necessitatem suam exponere Parocho, qui cognita causa, Decimas remittet; quando scilicet deprehendit tantam indigentiam, ut solutis Decimis non supereſſent sufficientes reditus ad se, suosque alendos.

§. 50.

59.) Ex simili ratione C. 17. de Excess. Prælat. insinuatur, aliquid exigi de Judæorum domibus, quod, nisi Judæi ibidem morarentur, ab aliis habitatoribus proventus aliqui Parochis provenirent. In quibusdam locis singulæ familiæ Judæorum, Parocho loci ad Festum S. Martini pendunt saginatum anserem. Oettingæ in Rhœtia Judæi, qui Catholicis & Lutheranis immixti habitant, singulis annis solvunt Parocho Catholico viginti florenos, & totidem Præconi Lutherano *pro Juribus stolæ, die Juden-Stol*: scilicet ad compensanda ea emolumenta, quæ obvenirent Parocho ab incolis Christianis earum ædium.

60.) C. 18. de Usuris.

§. 50. A regula generali ſolvendi Decimas varii ſingulari titulo eximuntur 61.). Modi autem acquirendæ hujus Immunitatis communiter recenſentur: I. Privilegium. II. Conſuetudo. III. Præſcriptio. IV. Pactum de non petendo, Tranſactio, Compenſatio, Remiſſio gratuita. *Privilegium* exemptionis a Decimis poteſt ex juſta cauſa concedere Summus Pontifex, ſalva tamen congrua ſuſtentatione Cleri, ſive ex aliorum Decimis, ſive ex aliis Reditibus Beneficialibus. Epiſcopis talis facultas non ſolet permitti, multo minus Laicis 62.): poſſunt tamen Epiſcopi remittere Decimas Menſæ ſuæ debitas ad tempus vitæ ſuæ; interponere Decretum in compoſitione ſuper Decimis alias permiſſa; item Decimas, quas nunquam poſſederat, aut ad nullam Eccleſiam ſpectantes, ſibi retinere, vel alteri Eccleſiæ concedere

Immunitas a ſolvendis Decimis

acquiritur Privilegio:

61.) *Cum quilibet Decimas ſolvere teneatur, niſi a præſtatione ipſarum ſpecialiter ſit exemptus.* c. 24. de Decim.

62.) C. 25. eod.

dere 63.). Privilegium exemptionis habuerunt olim fere omnes Religiosi, varie tamen postea restrictum, ita scilicet, ut solummodo de Novalibus suis, quæ propriis manibus aut sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & de hortis suis Decimas non persolvant 64.). Privilegium hoc sine limitatione concessum, eximit a Decimis antiquis & Novalibus: licet enim ejusmodi Privilegium sit odiosum & strictæ interpretationis; verba tamen ejus sensum proprium retinere debent. Non autem extenditur ad prædia conducta, vel Emphyteutica: neque ad Colonos conducentes agrum Privilegiatorum, nisi sit reale, quale est, si non præcise persona ob labores proprios agris impensos, sed ipse fundus sit exemptus 65.). Etiam Leprosi in commune viven-

63.) C. 13. eod.
64.) C. 10. & Clem. 1. eod.
65.) Extra Corpus Juris communis varii Religiosi exhibent singularia Privilegia, quale etiam in amplissima forma dedit Gregorius XIII. Societati Jesu

viventes, non tenentur de ſuis hortis & animalibus Decimas ſolvere 66.). Privilegium non ſolvendi Decimas ceſſat I. quando Privilegiatus bona ſua alienat in non privilegiatum, niſi ab immemoriali tempore conſtet, prædia ipſa gaudere hac immunitate, a quocunque demum poſſideantur. II. Si ex illo enormis læſio ac gravamen ſucceſſu temporis naſcatur legitimis Decimatoribus 67.). III. Per non uſum, ſeu per ſolutionem Decimarum per tot annos, intra quos completur præſcriptio contra Privilegiatum 68.). IV. Con-

Jeſu (ſupra Not. 49.). Ad ea quæ opponit PIGNATELLI tom. 1. Conſult. 223. & 355. item 8. Conſult. 8. reſpondet P. FRIDERICH. tr. de Decimis n. 233. ſeq. & n. 242. ſeq. Videri poteſt Reſponſum circa talem Cauſam datum apud P. ANT. SÖLL de Decim. Noval. a n. 176. Et noviſſime juxta hoc Privilegium Societatis, ſignanter quoad Decimas Novalium, pronuntiatum eſt Romæ ab Ill. Auditore Cameræ, Joan. Conſtantio Caracciolo, in favorem Collegii Friburgenſis in Brisgoja contra Parochum M. 26. Martii 1757.

66.) C. 2. de Eccleſ. ædif.

67.) C. 9. de Decim.

68.) C. 6. & 15. de Privileg.

traria partium conventione & pacto, quod debito modo, ac cum requisita solennitate factum est.

Consuetudine: §. 51. Alter modus obtinendi exemptionem a præstandis Decimis, est *Consuetudo*. Multi Doctores, illi præcipue, qui obligationem ad Decimas ex Jure Divino deducunt, talem Consuetudinem non admittunt. Dum autem perpendunt, etiam in Italia, sciente & tolerante Pontifice, Decimas non dari Clericis & Ecclesiis, variis responsionibus implicant magis, quam solvunt quæstionem 69.). Ex principiis supra positis, communissime permittitur aliquid Consuetudini circa Decimas, vel omni-

69.) Antonius de Butrio in C. Parochianos. 14. de Decim. pensatis omnibus in utramque partem, denique scribit: *unde breviter nescio quid dicam, nisi quod omnes damnamur non solvendo.* Andreas *Hispanus*, Episcopus Ajacensis in Regula Decimarum quæst. 1. n. 17. de iis, qui non solvunt integras Decimas, dicit: *omnes tales sunt filii perditionis, non obstante quacunque consuetudine, imo verius usurpatione & violentia, & sunt in statu damnationis æternæ.*

omnino tollendas, vel saltem imminuendas; cum earum collectio pertineat ad Disciplinam Ecclesiasticam, quæ non ubique, nec omni tempore est eadem: modo aliunde ex bonis Fidelium & Reditibus Ecclesiasticis honesta sustentatio suppetat Clericis, ita tamen, ut Ecclesia semper habeat potestatem tollendi istam Consuetudinem, & imperandi Decimas. Debet autem Consuetudo esse rationabilis, & legitime præscripta, saltem quadraginta annis continuata. Multo facilius potest introduci Consuetudo non solvendi Decimas ex certo genere fructuum, sicut hodie plerumque non solvuntur Decimæ personales: item solvendi huic vel alteri Ecclesiæ: solvendi in pecunia, vel alia specie. Si dubia est consuetudo loci particularis, attenditur consuetudo loci vicini, vel prædominantis. Consuetudo tamen non debet extendi ad non solita: ideo se non extendit ad Novalia.

§. 52. Tertius modus est *Præscriptio, Præscri-* vi cujus non solum Clerici, sed etiam *ptione*: Laici se liberare a Decimis solvendis possunt, quoad quotam, vel etiam

integram Decimam, ut omnino nihil ſolvant, cum etiam Laici hujus immunitatis, utpote quæ nihil ſpirituale continet, ſint capaces. Contra Parochiam requiruntur 40. anni cum titulo; ſine hoc, tempus immemoriale: contra alium, cui Jure communi Decimæ non debentur, ſufficit tempus ordinarium cum titulo, quadragenarium ſine titulo.

Pacto, Tranſactione &c.

§. 53. Quartus modus ſe eximendi a ſolvendis Decimis, eſt *Pactum* de non petendo, Transactio, Compoſitio, gratuita remiſſio, de præteritis, vel futuris. Parochus vel Beneficiatus non poteſt per tale pactum præjudicare ſuis ſucceſſoribus ſine conſenſu Epiſcopi: ſi autem eſſet compoſitio gratuita, præcipue cum Laicis, requirerentur etiam aliæ ſolemnitates alienationibus propriæ, dummodo Clericis aliunde ex Reditibus Eccleſiaſticis ſufficienter proviſum ſit de honeſta ſuſtentatione. Laicus Decimator non indiget conſenſu Superioris, niſi Decimas habeat in Feudum. Poteſt etiam ſuper Decimis Eccleſiæ non ſolvendis fieri Transactio pro pretio temporali, quia hæc immunitas non eſt aliquid ſpirituale,

ſed

sed præcise convenitur de fructibus ex proprio fundo non solvendis. Quæ autem dicuntur de plena immunitate a dandis Decimis, multo magis intelligenda sunt de immunitate partiali, vi cujus loco Decimarum detur pars vigesima, vel Decimæ non præstentur ex certo frugum genere &c.

§. 54. Qui ex prædictis tenentur ad Decimas, solvere quidem *Personales*, si essent in usu, deberent ex omnibus lucris, quæ active ex opere, labore, studio & humana industria vere ac juste acquiruntur 70.) : si acquisitio esset *injusta*, non debentur exinde Decimæ, sed obligatio est restituendi : si esset *turpis*, Ecclesia non vult acquirere Decimam, ne tales actiones videatur approbare. *Reales* *Ex quibus rebus*

70.) Unde Decimæ personales non debentur de iis, quæ ex Donatione, Hæreditate, successione, Legato, Eleemosyna acquiruntur : quia ista bona non sunt fructus rerum, vel actionum humanarum ; nec homo illa proprie acquirit, sed illa potius acquiri homini dicuntur, qui se moraliter passive habet ad hujusmodi acquisitionem.

autem solvendæ sunt ex omnibus corporalibus fructibus & proventibus rerum mobilium & immobilium. Si terra pluries in anno fructificet, de singulis Decimæ solvendæ sunt. Excipiuntur autem res minutissimæ, quæ ex privatis hortis, vivariis domesticis &c. percipiuntur, non ad lucrum, sed ad usum quotidianum & commoditatem propriam. Hinc Parochi habent hortos, ut non debeant exigere minuta olera a Parochianis; nam minimas Decimas exigere, sapit avaritiam.

Solvendæ sint Decimæ?

§. 55. Quamvis igitur regula generalis sit, Decimas esse solvendas omnium proventuum ex rebus fructiferis, vel actionibus humanis obtentorum: nihilominus varia particularium locorum Consuetudo determinat, ex quibus rebus pendendæ sint Decimæ 71.). Ut autem aliqui Canones rite intelligantur, sequentia notari possunt. Quando solvendæ dicuntur Decimæ ex *Apibus*

71.) In districtu Ingolstadiensi, ubi hæc scribuntur, non dantur Decimæ fœni: in vicinis vero locis Ditionis Eustettensis illæ solvuntur.

bus 72.); intelligitur id de earum cera & melle. De *Paſcuis* 73.) cenſentur ſolutæ, data Decima pretii, ſi pratum ad paſcendum locetur, vel ſi herba colligatur in faſciculos, vel exſiccetur in fœnum & vendatur. De fructibus animalium domeſticorum ſolent ſolvi Decimæ, ſcilicet agni, vituli, pulli. Ex lacte, butyro, caſeo &c. conſuetudo horum locorum non patitur exigi Decimas. Adeps & ſevum, ex quo fiunt candelæ, non ſunt fructus, ſed partes animalium, ſicut etiam pelles: unde non poſſunt inde peti Decimæ. Inſuper æquitas non videtur permittere, ut de eadem re duplex Decima ſolvatur: ſi quis igitur ex fœtibus ovium Decimum agnum accipit, non poteſt petere Decimam partem lanæ ex iisdem ovibus tonſis, uti etiam non exiguntur ex baccis ſimul, & ex oleo; ex manipulis frumenti in agro, & dein ex granis in horreo; ex uvis & poſtea ex vino 74.).

72.) C. 6. de Decim.
73.) C. 4. eod.
74.) Contraria conſuetudo in his vix eſſet probanda. vid. Fevret de l'Abus tom.

De feris Silveſtribus nihil ſolvitur, donec capiantur: tunc autem ſi Decima pars pretii exigatur, erunt potius Decimæ Perſonales, deductis expenſis ex venatu, piſcatione, aucupio ſolvendæ, ubi in uſu ſunt. Quæ quis autem capit ad proprium alimentum, non ſubjacent Decimis; quia hæc animalia non ſunt fructus, ſed res fructifera: conſequenter nec debentur Decimæ Prædiales, quæ ſupponunt fructus rei; nec Perſonales, quæ ſupponunt lucrum ex propria actione.

§. 56.

---

tom. 1. lib. 4. c. 8. n. 3. ſi conductor prædii jam ſolvit in agro decimum manipulum, dein conventam partem tritici aut pecuniæ tradit locatori, an ex hac ipſa ſua portione locator ſolvere debeat Decimas, aut potius redecimas, diſputant Doctores Hiſpani. Vid. GUTIERREZ pract. quæſt. p. 1. q. 18. & 19. ſimiliter ex locato molendino, venatione, lapidicina, fodina metalli &c. ſolvendæ eſſent Decimæ prædiales: an autem conductor ex actione ſua propria lucrum capiens, teneretur ad perſonales redecimas, dependet ex conſuetudine.

§. 56. Obligatio offerendi DEO Decimas incumbit Fidelibus, etiamsi illæ non exigantur, nisi alia vigeat consuetudo : nam ubi solent præstari sine exactione, ipsa consuetudo interpellat pro homine. Negligentes excitandi sunt, ut satisfaciant Religioni erga DEum, & Præcepto Ecclesiæ; compensentque defectum, priori anno circa Decimas ex perceptis fructibus non solutas admissum, nisi forte prudenter potuerit præsumi liberalis remissio, sicuti S. Paulus remisit præstationem alimentorum 75.). Solvendæ autem Decimæ sunt integræ sine diminutione 76.), non deductis expensis & oneribns 77.). Satisfacit Colonus obli- *Quomodo?*

75.) Antonius Faber lib. 1. tit. 2. def. 66. ait, Decimas suo tempore non petitas, postea pro annis præteritis peti non posse, quasi tacito judicio remissas. Et ita judicatum dicit in supremo Sabaudiæ Senatu. Verum ejusmodi remissio communiter præsumi non potest, nisi circumstantiæ personarum aliud suadeant.

76.) C. 4. 5. 8. 21. 23. & 32. de Decim.

77.) C. 26. 28. 33. ibid. Intelligenda hæc sunt de Decimis *Prædialibus*; nam *Per-*

obligationi Decimarum prædialium, ſi Decimos quosque manipulos ſeparatos in agro dimittit, quos Parochus propriis expenſis ad horreum ſuum defert, quod in his locis paſſim fieri ſolet. Ubi vero conſuetudo viget fruges decimandi in horreo, vel in manipulis, vel in granis jam excuſſis, aut aſſignandi Decimam quamque ſtriam agri, fructibus adhuc pendentibus, ea ſervari debet, ut etiam conſuetudo Decimas horreo Decimatorum inferendi ſumptibus Colonorum: vel etiam dandi pretium loco fructuum, niſi conſtet illud prioribus annis eſſe ſolutum titulo locationis, aut venditionis. Si ſeparatis Decimis manipulis, nonnulli ſuperſint, vix decet, ut iſti reſidui in minores partes dividantur, vel ſequenti anno nume-

---

ſonales, ubi in uſu ſunt, ſolvuntur ex lucro, quod non intelligitur, niſi deductis expenſis. In prædialibus autem Decimis conſiderantur fructus a Deo dati ex modico ſemine, ita ut uni facile reſpondeant decem aut plura: econtra in negotiatione plerumque vix unum reſpondet pro decem.

numeratio continuetur 78.): oporteret tamen numerationem manipulorum continuari ab uno agro ad alium ejusdem Coloni, ab una sorte frumenti ad eandem sortem.

§. 57. Decimæ Prædiales statim post collectos fructus solvendæ sunt. Decimæ ex fœtibus animalium præstantur, & ad ædes Parochiales deportantur, cum a lacte depulsi sunt, & sine matre nutriri possunt. Decimæ autem Personales, ubi in usu sunt, debentur in fine cujuslibet anni. *Quando?*

TITULUS V.

DE SUBJECTO ET JUDICIO DECIMARUM.

Confer. ut in præcedentibus Titulis.

§. 58.

DEcimæ ex primæva sua inter Christianos origine sponte offerebantur DEO, scilicet ad Cultum DEI promovendum. Languescente *Decimas colligit Administ-*

78.) Jure Bavarico id prohibetur. Cod. Bav. Civil. p. 2. c. 10. §. 13.

ſtrator Redituum Eccleſiaſticorum:

ſcente Fidelium pietate, Pontifices & varia Concilia demum ſub præcepto imperarunt Decimas, earumque adminiſtrationem reliquerunt Epiſcopis, & poſt diviſionem Beneficiorum etiam aliis Clericis, tum ad eorum ſuſtentationem, tum ad alios pios uſus, ad quos applicari reliquas Oblationes dudum Sacri Canones ſtatuerant. Illis igitur ſolvendæ ſunt Decimæ, quibus Redituum Eccleſiaſticorum adminiſtratio commiſſa eſt, præcipue ſi his ipſis ob Curam ſpiritualem populo impendendam aſſignata eſt ſuſtentatio ex Decimis recipienda. Unde Decimæ dicuntur fundatæ in titulo & jure ſpirituali, cum pleræque colligantur tanquam ſtipendium vitæ ab iis, qui operam ſuam pro ſalute animarum collocant.

Epiſcopus:

§. 59. Epiſcopus, diviſis Parochiis, percipit Decimas Parochiæ ſuæ propriæ, ſcilicet Eccleſiæ Cathedralis 79.). Hæ ſolent ſpectare vel ad Epiſco-

79.) Nomen *Parochiæ* olim ſumptum fuiſſe pro tota Diœceſi, notavi de Hierarch. Eccleſ. tit. 31. n. 84. cui addi poteſt c. 3. &

ſcopum, vel ad Capitulum: ſi pertineant ad Capitulum, dividuntur inter Canonicos. Ab eodem Epiſcopo percipiuntur Decimæ ex prædiis, quæ non ſunt intra fines cujusdam Parochiæ particularis: item ſpectato Jure communi quarta pars omnium Decimarum ſuæ Diœceſis 80.): quæ *Quarta* hodie in plurimis Diœceſibus vel Conſuetudine, vel Præſcriptione, vel ultronea Epiſcoporum ceſſione ſublata eſt, cum aliunde ipſis ſufficienter proviſum ſit, & in multis Parochiis fere totas Decimas ſoli percipiant: quod haud dubie

& 10. IX. q. 2. præſertim in cauſa Decimarum vox iſta hoc ſenſu ſumitur in Diplomate, quod habetur apud MEICHELBECK Hiſt. Friſing. tom. 1. part. 1. fol. 273.

80.) C. 4. de Præſcript. In Excerption. EGBERTI *Eboracenſis* Archiepiſcopi nulla fit mentio hujus Quartæ Epiſcopalis: ſed Can. 5. Decimæ dividi jubentur in tres partes, ut Sacerdotes *ad ornamentum* Eccleſiæ primam eligant partem: ſecundam autem *ad uſum pauperum atque peregrinorum*: tertiam vero ſibimet ipſis reſervent. HARDUIN. tom. 3. col. 1962.

bie inde contingit, quia tales Parochiales Eccleſiæ poſterioribus temporibus fuerunt erectæ, quando Decimæ horum diſtrictuum jam Epiſcopali Menſæ fuerant applicatæ. Habet tamen Epiſcopus per totam ſuam Diœceſin jus aliquod eminentius, quam Parochus, vi cujus poteſt exigere Decimas nomine Eccleſiæ Parochialis, ſi Parochus non adſit, vel negligat.

parochus: §. 60. Regulariter debentur Decimæ Rectoribus & Adminiſtratoribus illarum Eccleſiarum, ſeu Cauſarum piarum ad Cultum Divinum ordinatarum, quibus legitima autoritate aſſignatæ ſunt 81.). Poſtquam enim non

81.) In Concilio Confluentino Anno 922. præſentibus Carolo Franciæ, & Henrico Germaniæ Regibus habito, cap. 5. ſic ſtatuitur: *Si Laici Capellas proprias habuerint, a ratione & autoritate alienum habetur, ut ipſi Decimas accipiant; & inde canes, aut geneciarias ſuas paſcant: ſed potius Presbyteri Eccleſiarum eas accipiant, & inde reſtaurationem Eccleſiarum, & luminaria, & hoſpitum ac pauperum receptionem exhibeant, & pro ſancta Eccleſia, ac pro ſtatu Regni*

non ſolum Parochiæ, ſed etiam aliæ Beneficia Eccleſiaſtica diviſa ſunt, & Epiſcopi adminiſtrationem Redituum ipſis Beneficiatis & Parochis reliquerunt; neceſſario debuit ſingulis congrua ſuſtentatio aſſignari, ſive ex Decimis, ſive ex aliis Reditibus: quicunque igitur fructus Decimarum pro ſuis alimentis aſſignatos habet, illi debentur Decimæ, ſive ſit Parochus, ſive Beneficiatus non Curatus; cum non ſolum illi, qui Sacramenta adminiſtrant, & Verbum DEI prædicant, ſed ij quoque ſint Miniſtri Eccleſiæ, qui titulo Beneficii, & ex Officio inſerviunt Choro & Altari pro ſalute populi.

§. 61. Quando vero Decimarum quarundam deſtinatio dubia vel incerta eſt, Parochus dicitur ad eas ha- *Pro quo ſtat præſumptio Juris,*

G

gui, Dei miſericordiam ſtudioſe implorent. Similia ſtatuuntur in Concilio METENSI Anno 888. Can. 2. Univerſim notandum eſt, Sacros Canones de colligendis Decimis ſtatuentes, ſi non ſæpius, ſaltem toties mentionem facere de pauperibus, quoties nominant Clericos.

habere intentionem fundatam in Jure, quia Decimæ, aliis Beneficiis non annexæ, censentur deberi Ecclesiæ Parochiali, cui præprimis incumbit Cura animarum 82.): Parochus autem tanquam Rector illius habet administrationem Redituum Ecclesiasticorum, consequenter etiam Decimarum, quæ non sciuntur alteri cuidam determinato Beneficio assignatæ. Unde illi, qui Decimas solis Parochis deberi dicunt, intelligendi sunt de Decimis, post alia Beneficia sufficienter dotata residuis, quæ Parochorum administrationi competere censentur 83.). Mala vita

82.) In Concil. Cabillon. II. Anno 813. Can. 19. questi sunt quidam Fratres, quod essent Episcopi & Abbates, qui Decimas non finerent dari Ecclesiis, ubi illi Coloni Missas audiunt &c.

83.) In multis locis Decimæ jam Episcopali Mensæ, vel Monasterio, vel alteri Piæ Causæ applicatæ erant, antequam Parochus proprius constitueretur: ibi igitur debile est argumentum, quod Parochus habeat intentionem fundatam in Jure ad Decimas; nisi forte per Parochiam intelligatur Diœcesis.

vita Parochi non obeſt juri Decimarum 84.): bene tamen neglectus Officii & ſacri Miniſterii 85.). An etiam Clerici divites, & ex patrimonio vivere valentes, poſſint percipere Decimas, eadem ratione reſolvitur, qua de aliis Reditibus diſſeritur (infra Tit. VII. de Pecul. Cler. §. 100).

§. 62. Si plures ſint Eccleſiæ Parochiales, quæ poſſent prætendere Decimas, communiter dicitur, quod Decimæ *Perſonales*, ubi in uſu ſunt, debeantur illi Parochiæ, in qua quis domicilium habet, & Divina percipit: *Prædiales* autem illi, intra cujus fines prædia ſita ſunt 86.): quod prudentiſſime ordinatum eſt, ut jura Eccleſiarum firma & immutabilia permanerent. Si Eccleſia alia ſit Parochialis, alia Baptiſmalis, Decimæ debentur Parochiali. Ex fœtibus, aliis-

In prædiis ſui diſtrictus.

84.) C. 26. de Decim. Propoſitio 18. Wicleffi damnata.

85.) In Capitulari I. Anni 805. c. 6. actum eſt *de his, qui Decimas quidem aſſumunt, & de Eccleſiis non curant, ut omnimodis emendetur.*

86.) C. 13. de Decim. C. ult. in fin. de Paroch. C. ult. de Reſtit. ſpoliat. in 6.

aliisque fructibus cicurum animalium Decimæ solvuntur Ecclesiæ, intra cujus fines illa pascuntur, & nutriuntur. Si pascantur intra fines plurium Parochiarum, vel in una pascantur, in altera stabulentur, Decimæ essent dividendæ: in his tamen plurimum potest consuetudo.

Religiosis non debentur vi sui status.

§. 63. Religiosis de Jure communi & vi sui status non debentur Decimæ, uti neque Clericis non habentibus Beneficium Ecclesiasticum. Quidquid enim isti pro salute populi faciunt, id non ex speciali Ecclesiæ destinatione præstant, sed ex propria voluntate se ad ea applicant: unde Decimæ non aliter ipsis debentur, ac aliis pauperibus de Ecclesia bene meritis, illis præcipue, qui ex Instituto suo Clericales functiones obeunt, & Parochis adjumento sunt. Possunt tamen Religiosis & aliis Clericis competere Decimæ ex ordinatione Ecclesiæ, ex Privilegio vel Fundatione &c.

Cui debeantur Novales proprie dictæ,

§. 64. Decimæ Novalium proprie dictorum, de Jure communi pertinent ad Parochiam, in qua fiunt Novalia, tametsi alius habeat jus colligendi Decimas antiquas, nisi iste rationa-

tionabilem causam ostendat colligendi etiam Decimas Novalium 87.). Talis causa esset, si non integer fundus, sed solum aliqua pars agri de novo colatur; tunc enim qui Decimas hucusque collegit ex agro, colliget deinceps etiam ex illius parte recens culta, quia eadem res non debet diverso jure censeri 88.): vel si Persona Ecclesiastica per tempus longissimum aut immemoriale sit in possessione colligendi Decimas etiam ex Novalibus quibuscunque. Privilegium autem decimandi non extenditur ad Decimas Novalium, uti neque Præscriptio, vel Consuetudo, nisi hæ expresse versentur circa Novalia 89.).

87.) C. 29. de Decim.

88.) C. 30 ibid.

89.) In Bavaria ex antiqua Consuetudine Decimæ Novalium primo triennio debentur Parocho: annis sequentibus illi, qui Decimas antiquas in illo districtu colligit. Cod. Bav. Civil. p. 2. c. 10. §. 10. Controversia sæpe movetur, an Decimæ Novalium debeantur Vicario, qui actualem curam animarum exercet, an vero Parocho habituali, seu Pri-

Et improprie dictæ.

§. 65. Quoad Novalia improprie dicta, ubi ſcilicet ratio culturæ mutatur, attendendum eſt, an præter Parochum cuidam debeantur Decimæ ex certo genere fructuum, an ex certis fundis? In priore caſu, qui ſubeſſe præſumitur, quando quis in certis quibusdam fundis vi Privilegii colligit Decimas e. g. Fœni, vini &c., mutatio culturæ mutat etiam Decimatorem, ſecus in poſteriore. Si tamen per talem variationem nimis gravaretur Parochus, compenſatio ipſi facienda eſſet ab eo, qui Decimas ex fundo aliter culto colligit 90.). Idem dicendum, quando fundus, qui ferebat prius fructus decimabiles, nunc mutata cultura, proferat fructus ex conſuetudine non decimabiles, quales ſunt alicubi fœnum, aſparagi &c.: horum enim fructuum Decimæ in his locis non eſſent ſolvendæ, niſi forte ob læſam

---

Primitivo, e. g. Monaſterio, cui incorporata eſt Eccleſia Parochialis. Videri meretur VAN ESPEN in ſingulari Diſſertatione de priſtinis Altarium Incorporationibus.

90.) C. 9. de Decim. C. 2. §. 2. eod. in 6.

læsam Parochi congruam sustentationem compensatio esset facienda.

§. 66. Hucusque de jure ordinario decimandi: jure *extraordinario* idem jus nonnunquam possident Personæ *Ecclesiasticæ*, nonnunquam *Laicæ*. Ecclesiasticæ Personæ vel Com̃unitates possunt jus Decimarum acquirere per Transactionem 91.), Compromissum, Privilegium Pontificis, Unionem, Consuetudinem & Præscriptionem quadraginta annorum cum titulo, vel immemorialem sine titulo. Monent plerumque Autores, curandum esse, ut nulla interveniat Simonia, aut pretium temporale, si agatur de ipso jure Decimarum formaliter sumpto: sed juxta dicta (Tit. III. §. 42.), eadem est ratio Decimarum, & aliorum Bonorum, ex quorum proventibus sustentatio Ministris Ecclesiæ est assignata. Præmissa enim cura, ne congrua Ministrorum Ecclesiæ sustentatio nimium diminuatur, caveri debet, ut in alienatione Decimarum interveniat justa causa, evidens Ec-

Jure extraordinario perveniunt ad quosdam Ecclesiasticos:

91.) Transactio super Decimis cum Persona Ecclesiastica potest fieri de assensu Episcopi. C. 2. de Transact.

cleſiæ utilitas, autoritas eorum, quorum conſenſus juxta Eccleſiaſticas Leges requiritur, cum aliis ſolennitatibus. Hac enim ratione Jus decimandi adeo avellitur a titulo ſpirituali, ut more aliorum prædiorum acquiri poſſit etiam a Laicis.

Et Laicos. §. 67. Variis tamen modis Decimæ in Laicos transferuntur: nonnunquam conceditur ipſis ſola utilitas temporalis, ſeu jus utendi Decimis jam exactis: nonnunquam jus exigendi Decimas miniſteriale, ſeu procuratorium, quo quis exigit nomine vel vice alterius, ſed tamen ad propriam utilitatem: quod fit per locationem, per conceſſionem pro opere Eccleſiæ præſtito, pro Cantu in Eccleſia &c. Nonnunquam conceduntur per Infeudationem, vel perpetuam autoritate Pontificis, vel temporalem autoritate Epiſcopi, qui Decimas etiam antiquitus infeudatas, & linea extincta ad Eccleſiam redeuntes non poteſt in feudum perpetuum dare, niſi redeant acceſſorie cum Caſtro, vel vacante Dignitate, alteri Familiæ concedenda, cui Caſtro vel Dignitati jam ab anti-

antiquo Decimæ ſunt annexæ 92.). Quamvis via Præſcriptionis in jure Decimarum communiter dicatur Laicis occluſa; nihilominus ex poſſeſſione immemoriali præſumitur titulus legalis, & datur Manutenentia, ſaltem ſi concurrat fama Privilegii vel Inveſtituræ.

§. 68. Id univerſim obſervatur, Laicis plerumque competere ſolum jus Decimarum ſecundarium & quoad utilitatem, vel procuratorium nomine Eccleſiæ, remanente penes Eccleſiam iure primario & directo. Hinc ſequitur, non poſſe Laicos pro arbitrio ſuo diſponere de Decimis a ſe poſſeſſis, eas alienando, vendendo aliis Laicis &c.: poteſt tamen Epiſcopus concedere, ut alie-

Saltem quoad utilitatem.

92.) Hodie ſi extincta Linea Familiæ nobilis, Feuda redeant ad Monaſteria, vel Communitates Eccleſiaſticas, quæ non ſunt immediata membra Imperii; Principes territoriales non ſolent tolerare, ut hæc Feuda maneant penes Eccleſiam, ſed exigunt, ut alteri familiæ Nobili, præcipue Agnatæ, concedantur. Quo jure hoc fiat, nolumus hoc loco diſcutere.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nentur in aliam Ecclesiam, si infeudatæ fuerant ante Concilium Lateranense. Possunt etiam Laici Decimas legitime sibi infeudatas transmittere in suos Successores juxta naturam Feudi. Hodiernam autem consuetudinem, ejusmodi Decimas a Laicis possessas, pro libitu alienandi, vendendi ad modum Bonorum patrimonialium, vix occurrit congrua ratio salvandi, nisi forte dicatur, Decimas has olim cuidam Laico omnino donatas esse in remunerationem cujusdam beneficii perpetui in Ecclesiam collati, ita ut Ecclesia censeatur tanta utilitate semper frui, quantam attulissent ipsæ Decimæ. Alia ratione non potest præsumi donatio, sed solum infeudatio: multo minus in dubio præsumitur, quod Decimæ sint omnino sæcularizatæ, quæ proin manent oneratæ, ut ex iis subveniatur necessitatibus Ecclesiæ 93.).

§. 69.

93.) Böhmerus Tom. 1. Consult. part. 1. arg. IV. n. 52. seq. absurdum putat esse, si exigatur, ut Decimatores Laici concurrant ad Ecclesiæ reparationem: alias

§. 69. Decimas Ecclesiasticas deberi Clericis non solum ex Religione, sed etiam ex Justitia commutativa, passim dicunt. Magis placet opinio eorum, qui tenent, Decimas deberi ex virtute Religionis, quæ est vera Justitia erga DEum, non vero ex Justitia commutativa, quæ datur inter homines: nam non dantur tanquam verum pretium, aut merces laboris, quem Clerici gratis præstant; sed potius ex Virtute Religionis, quia dantur vel in protestationem supremi Dominii DEI; vel in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ; vel ut isti liberius & expeditius vacent Divinis; vel etiam in pauperum subventionem & Ecclesiarum conservationem: hæc autem omnia Religionem concernunt. Quando igitur dicunt Theologi & Cano- *Decimæ debentur ex Religione,*

---

alias enim etiam Episcopus, Clerici & Pauperes possent exinde suam portionem exigere, ita ut Decimatori nihil relinquatur. Sed facile respondetur, Decimatores Laicos teneri etiam ad subsidium pro dictis causis, in casu magnæ necessitatis, & in defectu aliorum subsidiorum, ita tamen, ut ipsi non incidant in æqualem indigentiam.

Canoniſtæ, Decimas deberi ex Juſtitia, intelligi poteſt Juſtitia erga DEum, cui Fideles debent Cultum & ſuſtentationem Miniſtrorum; ſicuti qui vovit dare Eleemoſynam Titio, tenetur illi hanc dare, non ex Juſtitia ad Titium, ſed ex Religioſa Juſtitia ad DEum 94.). Unde Clerici mediate acquirunt jus exigendi Decimas, ſimulque jus privativum impediendi alios a Decimarum collectione: Prælati autem Eccleſiæ poſſunt compellere renuentes ad eas ſolvendas; ut ſatisfaciant DEO, ejusque Cultum promoveant.

Quæ eſt ſumma Juſtitia erga DEum.

§. 70. Si aſſertio hac ratione explicetur, non habebit tot Adverſarios, quot prima fronte illi videntur oppoſiti. Multorum locutiones nec

94.) Hic ſenſus eſt Concilii TRIDENTINI Seſſ. 25. c. 12. de Reform. *cum Decimarum ſolutio debita ſit Deo: & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt.* Ubi res *aliena* vocatur, quæ *debita* eſt Deo, ita ut retinens Decimas, peccet contra Juſtitiam, qua Deo obligatur: hæc autem alia non eſt, quam Virtus Religionis.

nec præciſæ, nec ſatis claræ ſunt. Vel enim ſupponere videntur, Decimas unice & quidem immediate ex natura ſua deſtinari ad ſuſtentationem Miniſtrorum Eccleſiæ: vel omnia ea, ex quibus ſuſtentari hi Miniſtri ſolent aut poſſunt, intelligunt ſub nomine Decimarum. Ex utrovis loquendi aut ſentiendi modo multas oriri æquivocationes neceſſe eſt: unde nulla cum ejusmodi viris miſcenda eſt diſceptatio. Dein imperceptibile eſt, intercedere Juſtitiam commutativam (alia enim Juſtitiæ ſpecies huc applicari non poteſt) inter Colonum & Parochum, niſi dicatur, deberi Decimas Parocho tanquam veram & proprie dictam mercedem, pretium, & æqualem compenſationem pro functionibus Parochialibus, eo prorſus modo, quo debetur merces ædituo ſæculari pro obſequiis profanis Eccleſiæ præſtitis 95.): hæc autem phraſis propitio Numine nunquam irrepet in iſtud opuſculum. Cenſentur itaque plerique Scriptores cum

95.) Vid. PASSERINUS in 6. Decretal. tit. de Decimis n. 20. ſeqq.

cum Concilio Tridentino intelligere Juſtitiam erga Deum, ſeu Religionem 96.), quæ non ſolum ad Decimas dandas obligat, ſed ſi negatæ fors fuerint, etiam ad reſtituendas illi, cui legitima autoritate Eccleſiæ fuerunt pro ſuſtentatione aſſignatæ. Cum igitur debitum, quod ex virtute Religionis oritur, ſit altius, fortius & validius, quam ſit debitum Juſtitiæ commutativæ, ſufficiatque ad hoc, ut Decimæ ſolvantur; & ſi opus ſit, renuentes ſolvere Decimas ad id compellantur; ideo ſuperflue & ſine ſufficiente ratione, Juſtitiæ erga Deum adderetur debitum Juſtitiæ commutativæ inter homines.

Cujus autoritate poſſint exigi?

§. 71. Igitur Decimator privatus, qui Jurisdictionem forenſem non habet, non poteſt propria autoritate eas per vim auferre, aut moroſos debitores per denegationem Sacramentorum ad ſolutionem compellere: poteſt autem, quando piæ adhortationes non proficiunt, Officium Judicis

96.) S. Thomas 2.2.q.80.& q.81.art.5.oſtendit, quod Religio ſit pars juſtitiæ, qua debitum cultum Deo deferimus.

dicis implorare. Ad evitandam terminorum confusionem bene distinguendum est inter finem, ad quem Decimæ sunt institutæ; inter jus vivendi ex Decimis; & inter jus Decimas exigendi & administrandi. Finis est Cultus Divinus & pius usus Ecclesiæ: jus vivendi ex Decimis competit illis, quibus collectarum Decimarum portio pro sustentatione assignatur: jus exigendi & administrandi pro variis temporibus penes varios fuit, sicuti administratio aliorum Bonorum Ecclesiæ. Unde Clerici ex eo solo, quod debeant sustentari ex Decimis, non habent jus exigendi & administrandi Decimas: sicuti etiam pauperes, quibus per plurimos Canones assignatur sustentatio ex Decimis, non habent jus illas exigendi & administrandi: illi autem qui administrant Decimas, obligantur illis subvenire.

§. 72. Causa Decimarum diversimode in Judicium deduci potest. Vel enim agitur de ipsis fructibus Decimarum, vel de jure decimandi. Ipsi fructus decimales vel sunt jam separati a reliquo cumulo; & repetuntur *Rei Vindicatione* a quocunque detenLis de fructibus Decimarum,

tentore, cum eorum dominium plenum, & proprietatem jam acquiſiverit Decimator: vel nondum ſunt ſeparati a reliquis fructibus; & repetuntur *Condictione ex Canone* 97.), cum jus plenum ad illos nondum acquiſiverit Decimator. Unde ſi fructus nondum decimati transferuntur in alium, tranſit etiam onus Decimarum 98.) poteſtque agi non ſolum contra venditorem, ſed etiam contra emptorem, tum ratione rei detentæ, tum ratione irreligioſæ retentionis: ſi vero mala fide eripiantur, deſtruantur &c. reſtitutio facienda eſſet domino, & ab hoc poſtea Decimæ præſtandæ. Datur enim in Foro ſpirituali Eccleſiæ, quod ſalutem animarum & Dei cultum reſpicit, actio ad omne id, ad quod Virtus obligat, & præcipue ad id, ad quod obligat Religionis Virtus, quæ eſt altiſſima Juſtitia ad Deum: & ideo Eccleſia habet Jurisdictionem, ut com-

97.) *Si obligatio lege nova introducta ſit, nec cautum eadem lege, quo genere actionis experiamur, ex lege agendum eſt.* L. un. ff. de condict. ex lege.

98.) C. 28. de Decim.

compellat ad ſolvendas Decimas; & Clerici habent actionem ex Lege Divina & Canone.

§. 73. Si lis verſatur circa *proprietatem Juris* decimandi, veteres & ſervitutibus communes Actiones inſtituere licet, cum proprias Sacri Canones non ſuppeditent 99.), ſcilicet *Confeſſoriam*, vel *Negatoriam*. Si agatur in *Poſſeſſorio Juris* decimandi, locum habet vel Interdictum Adipiſcendæ *ex Officio Judicis*, allegando Parochialitatem, vel titulum poſſeſſioni transferendæ idoneum: vel interdictum Retinendæ *uti poſſidetis*: vel Interdictum Recuperandæ *ex Cap. ſæpe contingit.* penult. de Reſt. ſpoliat. Laicus tamen ſpoliatus Decimis a Parocho, vel a Cauſa pia, cui Parochia eſt incorporata, non eſt reſtituendus, antequam titulum e. g. Donationem aut Conceſſionem in Feudum a ſummo Pontifice factam, vel im- *Vel de Jure Decimandi.*

99.) *Quoties lex obligationem introducit niſi ſi nominatim caverit, ut ſola ea actione utamur, etiam veteres eo nomine actiones competere.* l. 41. pr. ff. de O. & A.

memoriale tempus ſuæ quaſi poſſeſſionis oſtendat: reſtituitur autem contra Laicum ſpoliantem, imo etiam contra Clericum vel Monaſterium, cui Jure communi Decimæ non debentur. Clericus ſpoliatus a Parocho, non reſtituitur, donec conſtet de titulo, aut tituli præſumptione e. g. Privilegio, Inveſtitura, Incorporatione, Præſcriptione, Conſuetudine, Transactione, Compromiſſo, Permutatione: tunc enim non datur reſtitutio, quando jus reſiſtit ſpoliato, & aſſiſtit ſpolianti 100.). Parochus autem tam in Poſſeſſorio, quam in Petitorio in Cauſa Decimarum ad aliud probandum non tenetur, quam ſe eſſe Parochum, ſaltem in iis locis, ubi adminiſtratio Redituum Eccleſiaſticorum Parocho commiſſa eſt. Si Parochiani allegant Præſcriptionem, Conſuetudinem, Privilegium, vel Compoſitionem pro Immunitate a ſolvendis Decimis, Parochus eſt in ſuo jure manutenendus, donec illi probent allegatum titulum, vel immemorialem quaſi poſſeſſionem: ſi non

100.) C. 2. de Reſtit. ſpoliat. in 6.

non probent; condemnantur ad Decimas non tantum futuras, sed etiam præteritas solvendas: habebitque interposita Appellatio effectum devolutivum, non tamen suspensivum, saltem quoad Decimas futuras: uti etiam quando Laicus contendit cum Parocho super jure decimandi, nisi titulum Privilegii, vel Feudi ab Ecclesia concessi, saltem præsumptive ex quasi possessione immemoriali ostendat, Si autem de ipso jure decimandi contendunt inter se plures Ecclesiæ, Appellatio habebit etiam effectum suspensivum.

§. 74. Curandum summopere, ut competens adeatur Judex. Si Clericus quidem conveniatur, aliunde ratione Personæ conventæ notum est, Judicem competentem esse Ecclesiasticum, non tantum in Petitorio, sed etiam in Possessorio, aut de mero facto. Quando autem Ecclesia agit contra Laicum, Causa Decimarum, ratione suæ naturæ privative spectat ad Judicem Ecclesiasticum tam in Petitorio 1.), quam in Possessorio,

Defe-renda est ad competentem Judicem.

1.) Unde Camera Imperialis non admittit Appellationem in Causa Decimarum in

forio, non ſolum quando de recuperanda vel acquirenda, ſed etiam quando de retinenda poſſeſſione agitur, vel de mero facto *decidendo* 2.). Si tamen agatur de facto liquido, adiri etiam poteſt Judex Laicus, non quidem ut cognoſcat Cauſam, ſed ut debitorem Decimarum Laicum compellat ad ſolutionem, vel reſtitutionem 3.). Quando Decimæ ab Ecclе-

in Petitorio. ANDR. GAILL. lib. 1. obſerv. 38. MYNSINGER. Cent. 1. obſerv. 100.

2.) Concilium INGELHEIMENSE Anno 948. can. 9. ſic ſtatuit: *Ut Decimæ, quas Dominus præcipit in horreum ſuum deferri, ſi Eccleſiis Dei non fuerint redditæ, ſed nefaria cupiditate, quæ ſævior Ætnæ ignibus ardet, a ſæcularibus fuerint retentæ, ſæcularia ſuper hoc non exerceantur judicia, nec in forenſibus diſcutiantur cauſis: ſed in ſancta ſynodo ab ipſis Sacerdotibus, quorum deputatæ ſunt uſibus, quid exinde debeat actitari, certis diffiniatur promulgationibus.* Item Synodus AUGUSTANA Ann. 952. cap. 10. *Ut omnis Decimatio in poteſtate Epiſcopi ſit, & ſi neglecta fuerit, quidquid inde emendandum ſit, coram Epiſcopo ejusve miſſo corrigatur.*

3.) GRIMAUDET de Jure Decimar. lib. 3. c. 5. teſtatur, in Gallia Epiſcopum & Cle-

cleſia Laicis in Feudum conceſſæ ſunt, ſolus Judex ſacer eſt competens, etiam in Poſſeſſorio, etiam inter Laicos. Unde ſi Epiſcopus, qui ſimul eſt Princeps Imperii, Decimas olim conceſſit in Feudum, lis ſuper iis orta non ad Curiam Feudalem profanam ejusdem Epiſcopi, ſed ad Tribunal ſacrum pertinet. Idem dicendum, ſi Decimæ ex Privilegio, vel Donatione ad Laicos perveniſſent, quamdiu præſumi poteſt, jus directum & primarium percipiendi has Decimas manere penes Eccleſiam, ita ut Laici ſolummodo fructus percipiant nomine Eccleſiæ. Si tamen conſtaret, Decimas eſſe penitus ſæcularizatas, & valore Decimarum aliunde Eccleſiis compenſato, a titulo ſpirituali abſtractas; tunc Cauſa hujusmodi Decimarum tractari poteſt a Judice Laico. Laicus Conductor, vel Emptor fructuum Decimalium conveniri poteſt coram Judice

Clerum Carnutenſem primos fuiſſe, qui contra fraudes colonorum circa ſolutionem Decimarum impetrarunt Literas Regias Franciſci I. Anno 1546. quas integras refert fol. 176.

Laico, vel Eccleſiaſtico. Quando autem Judex Laicus in Cauſa Decimarum adiri non poteſt, etiam in Arbitrum Laicum compromitti non poteſt. Hæc de Jure communi dicta ſunto.

Conſuetudines quorundam locorum Germaniæ.

§. 75. Conſuetudines quarundam Provinciarum Germaniæ plus tribuunt Judici Laico. Et quidem in Bavaria inter Sereniſſimos Duces & Ordinarios conventum eſt 4.), ut Cauſæ Decimales ad ſæcularem *quoque* Magiſtratum ſpectent *in Poſſeſſoriis, ubi nuda facti quæſtio eſt, nihilque proprietatis admixtum continetur.* Similis conſuetudo paſſim alibi in Germania viget. Porro ubi exercitium Religionis Acatholicæ toleratur, ſingulari Conſtitutione Pacis Weſtphalicæ (ſupra Tit. IV. §. 45.), uti de aliis Reditibus Eccleſiaſticis, ita etiam de Decimis cautum eſt, ut illæ Decimæ, quæ vigore Pacis Religionis 5.) Statibus

4.) Concord. Bavar. Cap. V.

5.) In Pace Religionis Auguſtæ Anno 1555. §. 19. ſtatutum fuerat, ut Bona Eccleſiaſtica a quibusdam Statibus ad Ec-

tibus Augustanæ Confessionis ob immediatas vel mediatas fundationes Ecclesiasticas ante vel post pacem Religiosam acquisitas e Catholicorum Provinciis debentur, quarumque in possessione, vel quasi possessione percipiendi An. 1624. die prima Januarii fuerunt, absque ulla exceptione 6.) solvantur... Item Decimæ Augustanæ Confessionis Statibus, fundationibus jam destructis & collapsis, ex alienis territoriis debitæ, iis exsolvantur qui Anno 1624. die prima Januarii in possessione perceptionis vel quasi fuerunt: quæ vero ab Anno 1624. de-

Ecclesias, scholas, pios & alios usus applicata, quæ non pertinent ad Status immediatos, in ea ordinatione permaneant &c. dein §. 21. Ecclesiarum necessaria ministeria, Parochias & scholas, eleemosynas & hospitalia, qui ab antiquo tempore ex dictis bonis curare debebant, etiam deinceps ita præstare & providere teneantur, non considerato, cujus Religionis sint.

6.) Ex his verbis *absque ulla exceptione* infert Böhmerus tom. 1. Consult. part. 1. arg. IV. n. 201. quod Acatholicis Possessoribus Decimarum non possit

ſtructæ fuerunt, aut in futurum concident, earum penſiones etiam in alienis territoriis Domino deſtructi Monaſterii ſeu loci, in quo id ſitum fuit, exſolvantur. Non eſt hujus loci, ut fuſiorem Commentarium addamus. Id ſolum obſervamus, quando Proteſtantes Decimas ex quaſi poſſeſſione anni normalis exigunt, vel dare recuſant, iisdem incumbere onus probandi: quando vero lis de ejusmodi Decimis, ſive in Poſſeſſorio, ſive in Petitorio oritur, cauſam debere deferri ad Tribunal Imperatoris, cum per Pacem Weſtpha-

---

obijci exceptio juris retentionis ob contributionem faciendam ad fabricam Eccleſiæ, quamvis illæ Decimæ, antequam in manus Laicorum devenerint, ad hoc onus deſtinatæ fuerint. Allegat pro iſta explicatione HENNIGES ad I. P. cit. loco. Neſcio an hic Autor alio loco hanc obſervationem ſuis Meditationibus inſerat; certe in Commentario ad hæc verba *absque ulla exceptione* eam non invenio. Contrarium poteſt inferri per cit. verba Pacis Religionis, ubi Eccleſiis ex his Decimis providendum ſtatuitur, prout antea proviſum fuerat.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Westphalicam Jurisdictio Diœcesana erga Acatholicos suspensa sit. Pro Decimis autem illis consequendis, in quarum possessione Catholici liquide fuerunt Anno 1624. possunt Episcopi contra Acatholicos procedere ad Excommunicationem post tertiam denuntiationem 7.), scilicet eos publice ac nominatim excommunicando: qua ratione essent vitandi, & Catholicis omne commercium cum illis prohibitum 8.).

§. 76. Causa Decimarum, quæ ordinario Jure competunt, est summaria: ubi autem ex pacto, aliove Jure speciali debentur, aut inter Laicos controvertuntur, Judicio ordinario experiri solemus. Non admittenda est Compensatio, qua debitor Decimarum negare possit Decimas futuras prætextu ejus, quod *Modus procedendi in Judicio.*

7.) Instr. Pacis Westph. Art. 5. §. 48.

8.) Henniges ad hunc §vum ingenue fatetur, se hujus loci sensum, & pacisentium mentem non penitus assequi: sed perpensa notione Excommunicationis publice ac nominatim factæ, facile quivis assequetur.

sibi debetur a Decimatore: posset tamen facilius admitti circa Decimas, quæ præteritis annis solutæ non sunt. In concursu creditorum præfertur Decimator aliis non solum in Decimis jam separatis, sed etiam nondum separatis a reliquo cumulo; quia hi fructus transeunt cum suo onere: si tamen fructus nondum decimati, jam essent consumpti, privilegium prælationis non reperitur datum Decimatori 9.). Judex Ecclesiasticus competens, ex Officio, etiam nemine petente, Fideles debitores Decimarum cogere ad eas solvendas potest & debet, etiam per Excommunicationem, implorato etiam brachio sæculari: incipi autem processus potest a præcepto cum monitione de infligenda pœna Excommunicationis, qua præter pœnas a Deo infligendas, feriendi sunt Decimarum defraudatores; neque absolvendi, nisi plena restitutione secuta; sepultura insuper Ecclesiastica pri-

9.) Privilegium tale Decimatori multis argumentis adjudicat P. Söll de Decim. Noval. a n. 433.

privandi 10.), & aliis arbitrariis pœnis a Judice sæculari & Ecclesiastico ad ponendam contumaciam compellendi. Excommunicationem in Bulla Cœnæ 11.) latam incurrunt Laici, qui exigunt, usurpant, occupant, sequestrant Decimas, vel ad id auxilium præstant. Ex variis etiam causis excommunicationem incurrunt Religiosi, jubenturque certis diebus in Concionibus Auditores informare, & Confitentes admonere de obligatione solvendi Decimas, si ab Ecclesiarum Rectoribus requisiti fuerint 12.).

§. 77. Hæc nobis sufficere debent de hac frequentissima Decimarum materia, de qua omnes, qui scripserunt Commentaria in Jus Canonicum, *Scriptores de Decimis.*

10.) Sic communiter extenditur C. 19. de Decim.

11.) Art. 17.

12.) C. 1. de Decim. in 6. Clem. 3. de Pœnis. Antiquior modus procedendi contra eos, qui Decimas negant, videri potest in Legibus Ludovici *Pii* Augusti n. 34. in Corp. Jur. Germ. col. 1208. seq. Item inter Leges Ecclesiasticas Regis Edgari. apud Harduin. Coll. Concil. tom. VI. col. 657. seqq. ad ann. 967.

cum, fuſe plerumque agunt Lib. III. Tit. 30. Item in Sexto Decretal. Lib. III. Tit. 13. præcipue PASSERINUS. Dein omnes, qui ſcripſerunt de Jure Eccleſiaſtico univerſim, nominatim AUGUSTINUS BARBOSA, PAX JORDAN, VAN ESPEN, GIBERT, P. FRANC. SCHMIER, PETRUS GREGOR. *Tholoſanus*. Aut de Beneficiis Eccleſiaſticis, uti THOMASSINUS, LEURENIUS. Singulares Tractatus de Decimis ediderunt REBUFFUS, MONETA, ANDREAS HISPANUS, TYNDARUS, GRIMAUDET, HENR. CANISIUS, WERNDLE, LÆLIUS, P. FRIDERICH, P. SÖLL, CHRISTOPH. CHLINGENSPERGER. Aliis ſuis Tractatibus materiam de Decimis fuſius inſeruerunt FRANC. SUAREZ de Relig. tom. 1. tr. 2. lib. 1. c. 9. ſeqq. LUDOVICUS MOLINA & alii, qui ſcripſerunt de Jure & Juſtitia. Item Theologi Morales, JOANN. AZOR, FERD. DE CASTRO PALAO, JACOBUS ILLSUNG, aliique plurimi. Præterea BŒHMERUM, SCHILTERUM, CARPZOVIUM aliosque Acatholicos.

TITU-

TITULUS VI.

DE FIDELI BONORUM ECCLESIASTICORUM ADMINISTRATIONE.

Confer. Decreti Caus. XII. Quæst. 2.

§. 78.

Bonorum Ecclesiasticorum fidelis administratio

QUo sublimiores, Populoque Christiano utiliores sunt fines illi, ad quos temporalia Bona liberaliter in Ecclesias conferuntur, eo major sit oportet cura & solicitudo, fideliter illa beneque administrandi ad intentionem Fidelium offerentium, ac Christi has oblationes acceptantis. Quantumcunque autem hac in re invigiletur, nunquam tamen deerunt, qui aut cum Juda loculis insidientur; aut cum Discipulis de profusione murmurent; aut se neglectos conquerantur. Hæc vitia Divinus Servator noster tum se vivo, tum sub cura Apostolorum suorum permittere voluit, ut futuris Bonorum Ecclesiasticorum Administris essent terrori, exemplo, solatio.

§. 79.

Committebatur olim Diaconis sub autoritate Episcoporum:

§. 79. Primum Christianæ Ecclesiæ ærarium Judæ proditori commissum fuit dispensandum ex nutu ipsius Divini Magistri, in necessitates Discipulorum, & subsidium pauperum. Post Christi in Cœlos Ascensionem, Apostoli Hierosolymis, ex collatis in commune Bonis, singulorum necessitati abunde providere curabant, & provisum esse sibi persuadebant, cum unum esset cor multitudinis credentium & anima una, neque quisquam egens esset inter illos: orto tamen murmure Græcorum de neglectis suis Viduis, Apostoli, ut Orationi & Ministerio Verbi instare possent, septem constituebant Diaconos, qui singulis necessaria ministrarent 13.). Quamvis autem Bonorum communio inter Christianos alibi non vigeret, & etiam Hierosolymis cessaret, munus tamen Diaconorum adeo per uni-

13.) Paulus Sarpi tr. de Benefic. observat, mutatis jam moribus, Prælatos Ecclesiæ gerere curam Reddituum, & munus prædicandi relinquere inferiori Clero.

universam Ecclesiam invaluit, *ut a solis ortu usque ad occasum, Leviticorum luminum coruscante fulgore, quam clarificata est Jerosolyma Stephano, tam illustris fieret Roma Laurentio* 14.), qui Oblationes Fidelium in Ministros Ecclesiæ & egenos, sub præcipua tamen cura & autoritate Episcoporum distribuerent. Non autem permittebantur vivere ex Reditibus Ecclesiæ illi, qui ex Bonis propriis sustentari poterant: unde etiam S. Paulus prohibebat Viduam Ecclesiasticis obsequiis deputatam ex Ecclesiæ Bonis sustentari, cui ab Agnatis & Propinquis subsidium suppeteret 15.).

§. 80. Clerici pauperes ut plurimum utebantur mensa communi, instructa per Diaconos aut Oeconomos ex Oblationibus. Auctis Ecclesiæ divitiis, multi Clerici commodius vivere volebant, instructa sibi

Non tamen solis Episcopis sine assistentia

14.) S. Leo in Natali S. Laurentii.

15.) 1. Timoth. V. 16. *Si quis Fidelis habet Viduas, subministret illis, & non gravetur Ecclesia: ut iis, quæ vere viduæ sunt, sufficiat.*

Oeconomi. sibi mensa separata, ad quem finem dabatur ipsis pecunia vel quotidie, vel singulis mensibus, vel etiam pro longiori tempore. Tolerabatur istud a primis SS. Patribus. Sensim etiam ad Episcopos nonnullos pervasit cupido habendi, qui magis sibi, quam pauperibus invigilantes, Reditibus Ecclesiæ inhiabant, quod S. Cyprianus deplorat, de iis loquens, qui se Episcopatu indignos fecerant; nihilominus gerere hoc Officium præsumebant ad cumulandas divitias 16.). Cum enim summa in distribuendis Oblationibus & Reditibus autoritas semper esset penes Episcopos, horum aliqui submovebant Clericos Oeconomos, ne testes haberent impiæ dissipationis. Unde Concilium Generale CHALCEDONENSE 17.) statuit: *quia in quibusdam Ecclesiis, sicut ad nos pervenit, sine Oeconomo Episcopi res Ecclesiasticas tractant: placuit, omnes Ecclesias Episcopos ha-*

16.) Epist. 64. *Stipes & Oblationes & lucra desiderant, quibus prius insatiabiles incubabant.*

17.) Anno 451. Can. 26.

habentes, etiam Oeconomum habere de proprio Clero, qui gubernet Ecclesiæ res cum arbitrio sui Episcopi, ut non sine testimonio sit gubernatio ipsarum rerum Ecclesiasticarum, & ex hoc eveniat res ejusmodi Ecclesiæ dispergi, & Sacerdotali dignitati obtrectatio generetur 18.). Hunc Canonem inviolabiliter custoditum cupit Synodus Nicæna II. 19.), quæ Metropolitanis dat facultatem ponendi Oeconomum in illis Diœcesibus, quarum Episcopi id neglexerunt; & Patriarchæ Cpolitano in Eccleſiis Metropolitanorum, qui nullum constituissent 20.).

I §. 81.

18.) Occasionem huic decreto dedit Ibas Episcopus Edessenus, qui in eodem Concilio Actione X. accusatus de rerum Ecclesiasticarum dissipatione; etiam ab iis, qui ipsi maxime favebant, persuasus fuit promittere, *quod de cetero secundum formam Antiochenæ maximæ Ecclesiæ gubernarentur res per Oeconomos ex Clero ordinatos ab ejus religiositate.* Ibid. Act. IX.

19.) Anno 787. Can. 11.

20.) Ad hunc Canonem se refert Alexius Patriarcha Cpolitanus in sua Constitutione, quæ refertur apud Leunclav. Juris

Divisio Redituum in quatuor partes,

§. 81. In Ecclesia Occidentali majus imminebat periculum dissipandi Bona Ecclesiarum, postquam irruentibus Barbaris plura Regna non tantum ab Imperio avulsa, sed etiam inter se disjuncta fuerant, ita ut Ecclesiæ quoque non eodem ubique spiritu, nec communi consilio regerentur. Deprehenso gravi Bonorum Ecclesiasticorum abusu, Sæculo V. circa annum 475. famosa illa divisio Redituum Ecclesiasticorum in quatuor partes inculcata fuit a Simplicio Papa 21.), ut scilicet una pars cederet Episcopo, altera Clericis, tertia pauperibus, & quarta Fabricæ Ecclesiæ 22.). Ubi advertendum, nequaquam divisa esse Bona

---

Juris Græco-Rom. tom. 1. lib. 4. fol. 250. Multa de Oeconomi munere, obligatione rationum Episcopo reddendarum &c. dispositа leguntur in PHOTII Nomo-Canone Tit. 9. c. 1. & Tit. 10. c. 1.

21.) Epist. 3. vel alibi 2. relata a GRATIANO c. 28. XII. q. 2.

22.) Eandem divisionem repetit GELASIUS Papa Anno 494. Epist. 6. fol. 373. circa fin. *Quatuor autem tam de Reditu, quam*

Bona immobilia Ecclesiæ in ejusmodi quatuor partes: sed solummodo insinuatum a Pontifice, ut Oblationes ac Reditus Bonorum Ecclesiæ, qui tunc etiam sub cura & autoritate Episcoporum administrabantur a constitutis Oeconomis, impenderentur ad hos quatuor fines, non quidem proportione aliqua arithmetica, sed pro singulorum necessitate, vel meritis 23.). Major utique portio pro Clericis requirebatur, ubi multi eorum erant sustentandi, scilicet in majoribus Ecclesiis

quam de Oblatione Fidelium, prout cujuslibet Ecclesiæ facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenit fieri portiones: quarum sit una Pontificis, altera Clericorum, Pauperum tertia, quarta Fabricis applicanda &c. refertur a GRATIANO c. 27. ibid.

23.) Unde idem Papa GELASIUS c. 23. ibid. monet, ut postquam dictis quatuor finibus satisfactum est, *si quid forte sub annua remanebit expensa, tradatur enthecis. Ut si major emerserit fabrica, sit subsidio, quod ex diversi temporis diligentia potuerit custodiri: aut certe ematur possessio, quæ utilitates respiciat communes.*

Civitatum, quam ubi unus aut alter in anguſtis locis Eccleſiæ præerat: Majores utique ſumptus in fabricam impendendi erant in celebribus urbibus, quam in modicis oppidis. Per pauperes intelligebantur præcipue pauperes ejus loci, ubi Reditus colligebantur 24.): Peregrinos enim juxta plures Canones tenebatur ſuſcipere Epiſcopus. Per Fabricam non intelligitur ſolum ædificium Templi, ad quod confluunt Parochiani, ſed etiam ædes Parochi & alia ædificia ad uſus Eccleſiaſticos aptata. Demum diſtributio hæc non ſolum intelligebatur de Bonis eo tempore exiſtentibus, ſed etiam de Bonis, Reditibus, Oblationibus, quæ futuris Eccleſiæ temporibus obventuræ eſſent 25.).

§. 82.

24.) Inter pauperes loci facit diſcrimen S. Gregorius lib. IX. Indict. IV. Epiſt. 29. ubi in quodam contingente caſu, plus aſſignat *hominibus honeſtis ac egenis, quos publice petere verecundia non permittit, quam reliquis pauperibus, qui eleemoſynam publice petere conſueverunt.*

25.) Id optime declarat S. Gregorius relatus in Decreto Gratiani C. 29. XII. q. 2.

§. 82. Hæc Bonorum Ecclesiasti- *Debet*
corum Divisio congruit omnino pri- *adhuc*
mævo Ecclesiæ spiritui: & hodie- *hodie*
dum vigorem suum exserere debet *observa-*
ex Constitutionibus sequentium Pon- *ri:*
tificum & Conciliorum, quamvis administrandi hæc Bona modus sæpius fuerit immutatus 26.). Nam tempore Simplicii Papæ, & aliquot post Simplicium sæculis, rerum Ecclesiæ temporalium summa potestas in plerisque locis penes Episcopos fuit; his autem in administratione subsidio ac levamento erant Presbyteri vel Archidiaconi & Diaconi Ecclesiæ, qui rationes Episcopis reddere debebant: ipsi autem Episcopi unius Dei judicio obnoxii fuerunt; quanquam causam dicere in Concilio Provinciæ compulsi quandoque fuerint, ubi obliquis suspicionibus

26.) Concilium Parisiense VI. Anno 829. lib. 1. cap. 15. ait: *licet crescente Fidelium devotione copiosissimis ac munificentissimis eorum liberalitatibus, sancta donata sit Ecclesia, eundem tamen usum Apostolorum Successores in tractandis & dispensandis Ecclesiasticis rebus se servare debere meminerint.*

fuerant exagitati 27.). Fatendum nihilominus est, Episcopum & Clericos, ad quos pertinebat administratio, ea solicitudine frequenter res suas egisse, ut pauperum & Fabricæ obliti viderentur. Hoc eo præsertim tempore contingebat, quo singulis Parochis ac Beneficiatis Reditus Ecclesiarum suarum administrare concessum fuit, quamvis de eorum usu & dispensatione, Episcopi judicio & examini adhuc subessent.

Licet variis temporibus

§. 83. Juvat quorundam sæculorum mores percurrere, & ex singulis unicum specimen dare. Ad finem *sæculi V.* sub Pontifice Gelasio certa Bona in beneficium Clericis assignari nondum poterant, monente Administratores Pontifice: *omnia prædia ad vestrum revocetis studium, nec cuiquam Clerico pro portione sua aliquod solum Ecclesiæ putetis esse deputandum, ne per incuriam & negligentiam minuatur: sed omnis pensionis summam. . . ad Antistitem deferatis &c.* 28.) Sæculo VI. vestigia

27.) Singula hæc declarantur a THOMASSINO vet. & nov. Discipl. part. 3. lib. 2. c. 5. seqq.

28.) C. 23. XII. q. 2.

stigia bonorum jure beneficii Clericis datorum ab Episcopis, sed rariora jam occurrunt. Nam in AGATHENSI Concilio Anno 506. quibusdam talia bona permissa, vel credita, vel commendata reperiuntur 29.): circa idem tamen tempus SYMMACHUS Papa solicite monet, ut Clerici, quibus ob merita conceduntur Bona Ecclesiæ, *hæc ipsa non perpetuo, sed temporaliter perfruantur* 30.), scilicet ad arbitrium Episcopi; ac etiam post obitum Clerici, non ad successorem, sed ad ordinationem Episcopi reversura. Sæculo VIII. nondum passim in Germania permissa fuit Parochis administratio oblationum 31.): ortis tamen frequentibus querelis contra infideles Oeconomos, seu etiam Episco-

29.) C. 32. 35. 36. XII. q. 2.

30.) C. 61. XVI. q. 1. Inter Epistolas Decretal. Pontif. tom. 1. part. 2. fol. 425. & apud HARDUIN. Collect. Concil. tom. 2. col. 957.

31.) *De oblationibus, quæ in Ecclesia, vel in usus pauperum conferuntur, Canonica observetur norma, & non ab aliis dispensentur, nisi cui Episcopus ordinavit.* Concil. FRANCOFORD. Anno 794. Can. 48.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pos, cœperunt Parochi sibi arrogare Oblationes in Ecclesia sua factas, quæ antea ad Episcopum dividendæ ferri consueverant: demum etiam fundi, qui in cujuslibet Parochia siti erant, cuilibet assignati sunt, unde proventus ipsimet perciperent: quod quidem non eodem tempore, nec ubique, aut aliquo Decreto conciliari introductum, sed paulatim de una Ecclesia ad aliam transiit.

Mutata sit ratio administrandi,

§. 84. Nono demum sæculo invaluisse & stabilitam esse hanc administrandi rationem, varia Concilia insinuant. Nam ad initium Sæculi X. Concilium TROSLEJANUM 32.) mentionem ejus rei facere videtur his verbis: *a nostris est Majoribus constitutum, ut sicut habet Episcopus in sua ordinatione omnem generaliter Parochiam, cum omnibus rusticanis Parochiis, quas per tricennium inconcusse possedit: ita & unusquisque Presbyter in sua ordinatione ac dispositionis cura habeat Parochiam suam cum dote & Decimis Ecclesiæ, videlicet cum sui Episcopi consilio ac dispositione, secundum regulas antiquitus & divinitus constitutas.* Aliam adhuc mutatio-

32.) Anno 909. Cap. 6.

tationem subiit administratio Bonorum ad Ecclesiam Cathedralem pertinentium, ubi Episcopi & Capitula dividere Bona cœperunt. Secuta mox est Bonorum Capitularium inter ipsos Capitulares divisio, qua singulis Canonicis sua præbenda assignata fuit: quæ divisio invaluit, dum Canonici deserta vita communi ad vitam singularem transierunt. Sensim istud contigit, dissimulante potius, quam probante Ecclesia. Initium aliqui referunt ad Sæculum X. Singularem autem curam & fidelitatem in administrandis Proventibus Episcopalibus tempore Sedis vacantis commendat Capitulis Synodus Tridentina 33.).

§. 85. Quæcunque demum mutatio facta sit, sive per Beneficiorum erectionem, sive per partitionem inter Episcopum & Capitulum, *Eodem semper manente spiritu* vel *Ecclesiæ*

33.) Sess. 24. c. 16. de Reform. *Capitulum sede vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, Oeconomum unum, vel plures fideles ac diligentes deputet, qui rerum Ecclesiasticarum & proventuum curam gerant, quorum rationem ei, ad quem pertinebit, sint reddituri.*

vel inter ipsos Canonicos: hoc unum contigit, ut dispensatio Bonorum, quæ vel integra erat penes Episcopum; vel communis inter Canonicos in communi viventes; tandem ad ipsos particulares Beneficiatos, vel Canonicos transierit; manente ipsa Bonorum Ecclesiasticorum natura, aut conditione invariata, dispensationis norma nonnihil duntaxat immutata. Unde in Pontificum Rescriptis, Conciliorum Canonibus, ac Episcoporum Decretis, etiam post eam Bonorum divisionem, Bona Ecclesiæ dicuntur Patrimonium pauperum, Patrimonium Christi, Res Dei, non secus atque ante eam Divisionem. Facta tamen hac Beneficiorum partitione, & singulis Clericis familiam separatam alentibns, *procul dubio periclitari maxime cœperunt illæ duæ quartæ, pauperum & fabricæ* 34.). Qualiscunque demum administrationis forma circa proventus Ecclesiasticos inducta sit; mens Ecclesiæ est, ut ex illis sibi quivis moderatam & honestam sustentationem

34.) Ita Boëtius Epo De Jure provent. Eccles. in Cap. 1. de Testam. n. 52. seqq.

nem accipiat, superfluis ad eos fines impensis, quos intentio Offerentium, & Spiritus SS. Canonum exigit. Ad quod obtinendum summa opus est fidelitate eorum, quibus administratio Bonorum Ecclesiasticorum, seu Oblationum, Decimarum, aliorumque Redituum commissa est. Exemplo præeunt Romani Pontifices, præcipue INNOCENTIUS XII. 35.): Concilia autem plurima solicitudinem suam hac in re demonstrant 36.): & ipse Deus impu-

---

35.) In Constitutione moderatoria Donationum & Distributionis redituum Ecclesiasticarum in Consanguineos, vel Affines &c. Anno 1692.

36.) Ab Oblationibus excluduntur Laici & usus profani in Conc. AQUENSI Anno 1585. tit. de Parochis. Eas non esse dividendas inter Patronos Ecclesiæ, monet Conc. BRACARENS. II. c. 6. PICTAV. anno 1100. c. 14. ROTOMAG. & NEMAUS. Anno 1096. Conc. LATERAN. I. anno 1123. c. 14. TURON. anno 1163. c. 3. ABRINCENSE anno 1172. Aliqua tamen pars conceditur Patrono in Concil. CAMERAC. 1565. tit. 16. c. 2.

impunitam non finit rerum Ecclesiasticarum dissipationem 37.).

Observationes pro hodiernis temporibus.

§. 86. Pro hodiernis temporibus, pauca annotasse sufficiat. Inprimis Episcopus etiam hodie supremam habet autoritatem circa Reditus Parochorum. Unde Concilium Trident. 38.) statuit, qua ratione Episcopus providere debeat Ecclesiis Parochialibus, quarum fructus adeo exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere. Alterum notatu dignum est, ut dispiciatur, an utiliter simul & convenienter constituantur Laici Administratores Oblationum, aliorumque Redituum Ecclesiasticorum? Rex Joas 39.) voluit, ut omnem pecuniam

37.) Rainaldus Annal. Eccl. ad ann. 1205. n. 6. narrat, quod Galli & Veneti Urbe & Imperio Cpolitano potiti, consilium inierint, ut Clero relinquerentur fundi ad sustentationem necessarii, reliqui dividerentur. Inde ratiocinatur Thomassin. p. 3. l. 1. c. 15. n. 5. mirum non esse, tam brevi corruisse Imperium, cujus conditores ipsimet fundamenta jam inde ab exordio subtraxerant, Religionem & Pietatem.

38.) Sess. 24. c. 13. de Reform.

39.) 4. Regum XII. 4. seqq.

cuniam sanctorum, quæ illata fuerit in templum Domini, accipiant Sacerdotes, & instaurent sarta tecta domus. Quid factum? *usque ad vigesimum tertium annum Regis Joas, non instauraverunt Sacerdotes sarta tecta templi.* Igitur cura hæc a Sacerdotibus negligentibus ac propriæ utilitatis studiosis ablata, & imposita est Jojadæ Summo Pontifici, & simul Scribæ Regis, quorum opera strenue instauratum fuit Templum. Ut simili ratione etiam hodie adhibeatur opera Laicorum, multæ nonnunquam, & hoc loco non discutiendæ rariones possunt suadere: id tamen semper curandum, ut præcipua autoritas sit penes Parochum, aut alium Ecclesiæ Rectorem. Demum observatur, quæ de administrandis proventibus aliarum Ecclesiarum dicta sunt, longe majori ratione curanda esse de Reditibus Monasteriorum, aliarumque Domorum Regularium, cum Status hujus conditio majorem commodorum temporalium contemptum, & sæcularium vanitatum fugam exigat. Normam præbent singulis primæ Fundationum Literæ. Etiam illi Religiosi,

gioſi, qui ſummam paupertatem profeſſi nihil, ne quidem in communi, proprium habent, rerumque ſuarum dominium Sedi Romanæ relinquunt, moderatam tamen curam 40.) pro conſervandis ſuis rebus adhibere tenentur: unde habent Syndicos & Procuratores, qui autoritate Sedis Apoſtolicæ jura & res horum Monaſteriorum tueantur, Legata pia exigant, aliaque negotia pertractent 41.).

TITU-

40.) Nimiam horum ſolicitudinem in- & extra judicium non boni conſulit JOANNES XXII. in Extravag. 3. de Verb. Signif.

41.) De his Syndicis & Procuratoribus Fratrum Minorum vid. Conſtitutio 19. CLEMENTIS VII. *dum conſideramus*, & 1. PAULI IV. *Ex Clementi*. EM. RODRIQUEZ Quæſt. Regul. tom. 3. q. 38. LEZANA in ſumma. tom. 1. p. 2 c. 17. CASARUBIOS in Compend. Privil. V. Procurator. & ibi SORBUS in annot. Caſarubius autem debuiſſet exemplum poteſtatis horum Syndicorum decentius ponere: dicit enim, quod Fratres Hiſpani, Galli & Alemanni utantur Syndico ſolum, & præciſe ad hoc, ut ſi aliquid ſuperfluum, vel inutile in Conventu fuerit inventum, ut puta ſi mulus aut aſinus ſenuerit, tunc Præfatus Procurator nomine Papæ, cujus eſt Syndicus, vendat, & pretium in alias neceſſitates Fratrum convertat.

TITULUS VII.
DE PECULIO CLERICORUM.

Confer. lib. 3. Decretal. tit. 25.

§. 87.

PECULIUM dicitur quasi pusilla pecunia, seu patrimonium pusillum 42.): & quidem Peculium servorum dicitur, quod servus domini permissu, separatum a rationibus dominicis habet. Ad eundem modum videtur accipi *Peculium Clericorum*, pecunia scilicet pusilla, a rationibus Ecclesiæ separata, quia Clerici neque patrimonialibus bonis abundare gestiunt; neque superfluis proventibus Ecclesiæ inhiant: habentes enim victum & vestitum, his contenti sunt 43.), in ea quantitate, ad quam *non eos habendi ducit cupiditas, sed cogit vivendi necessitas* 44.): frequenter tamen *nescit cupiditas, ubi finitur necessitas* 45.). *Peculium Clericorum*

§. 88.

42.) L. 5. §. 3. ff. de Pecul.
43.) C. 5. XII. q. 1.
44.) C. 9. I. q. 2.
45.) S. AUGUSTIN. lib. IV. contra Julian. c. 14. §. 70.

Complectitur Bona Patrimonialia & Clericalia.

§. 88. Bona Clericorum (prout distinguuntur a Bonis proprie Ecclesiasticis, scilicet a Fundis in dominio Ecclesiæ existentibus, vel reditibus ad certos fines in Ecclesia destinatis) dividuntur in *Patrimonialia* & *Clericalia*. *Patrimonialia* sunt, quæ Clerici paternæ successionis vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu quæ dono consanguineorum, aut amicorum, vel alio profano titulo, non habito respectu ad Ecclesiam, pervenerunt ad ipsos. *Clericalia* dicuntur, quæ consideratione Ecclesiæ, aut functionum Ecclesiasticarum perceperunt 46.). In his faciunt Doctores communiter distinctionem, vocantque aliqua Beneficialia, alia quasi patrimonialia. *Beneficialia* dicunt, quæ ex titulo Beneficii Ecclesiastici percipiuntur, uti plerumque sunt Decimæ, reditus ex fundis dotalibus Ecclesiæ &c. Hæc sunt vel *Necessaria* ad competentem sustentationem; vel *Superflua*, quæ superant congruam quantitatem; vel *Parsimonialia*,

46.) C. 9. de Testam. C. 2. XII. q. 3. item q. 5. c. 4.

lia, quæ ex neceſſariis per ſingularem vitæ moderationem ſepoſita ſunt. *Quaſi patrimonialia* dicuntur, quæ titulo quidem ſpirituali, non tamen ex titulo Beneficii acquiruntur, ſed ex lectis Miſſis, exceptis Confeſſionibus, habitis Concionibus, Adminiſtratione Sacramentorum, & ſimilibus functionibus obveniunt, vocarique ſolent *Reditus ſtolæ*, quibus annumerari ſolent *Diſtributiones quotidianæ* propter præſentiam in Choro.

Poteſt concedi Clericis Dominium Beneficialium,

§. 89. Clerici retinent Dominium bonorum patrimonialium, cum ratione Status Clericalis non fiant inhabiles ad illud. Eandem igitur poſt Clericatum aſſumptum, habent facultatem de iis diſponendi, quam habebant antea, niſi quod ratione ſtatus ſui ad majorem obligentur vitæ temperantiam, & bonorum operum exercitationem. Reditus intuitu Beneficii, vel functionum Clericalium obvenientes, an in ſuo habeant dominio, an vero ſola illis competat adminiſtratio, gravis eſt controverſia inter Doctores. Ex præcedenti Titulo conſtat, Redituum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem olim fuiſſe penes ſolum E-

piscopum, qui opera Oeconomorum singulis Clericis & Pauperibus distribuebat necessaria, vel in commune viventibus, vel separatim habitantibus, quotidiano, hebdomadario, aut menstruo dimenso. Hujus portionis sibi attributæ quin dominium more aliorum pauperum, acquisiverint Clerici separatim viventes, nullus dubito: sublata enim vitæ communitate, non apparet in Ecclesia voluntas faciendi discrimen inter pauperes reliquos, & Clericos; nec in ipsis Clericis specialis inhabilitas ad acquirendum dominium. Jam vero, quando ipsis Beneficiatis Administratio Redituum Beneficialium permissa est, hi ipsi colligendo hos Reditus, sibi portionem suam tribuunt, quam ex manibus Episcopi suscipere antea solebant: non igitur apparet, quod eorum dominium in dubium vocari possit.

Etiam superfluorum

§. 90. An autem congrua solum sustentatio exinde haberi possit, an superflua multa sint, quis discernet in ipsa collectione? Postquam necessitatibus omnibus congrue satisfactum est, tunc demum de superfluis judicari potest. Nullum apparet discri-

discrimen inter Reditus necessarios & superfluos, dum percipiuntur: utrorumque igitur æqualiter dominium obtinebunt Clerici, cum in ipsa perceptione nulla Redituum pars determinate dici possit necessaria, nulla superflua. Non obstat huic dominio, quod varia onera hisce Reditibus incumbant, & liberrimæ dispositioni multi Canones se opponant. Nam etiam Reditibus laicis multa incumbunt onera Censuum, pensionum, tributorum; multique obices illimitato usui & liberæ administrationi ponuntur a Legibus, Testatoribus, vel Donatoribus: & tamen eorum possessores habentur veri domini. Idem de Clericis dici potest, qui veri sunt domini Bonorum patrimonialium, quamvis teneantur illa impendere ad usus honestos: cur non etiam sint domini Bonorum Beneficialium, quamvis impendere ea debeant ad usus pios.

§. 91. Modus hic loquendi conformis est Sacris Canonibus, & Pontificum Constitutionibus, dum Julius III. 47.) Reditus a Beneficia- *Redituum;*

47.) Const. cum sicut. anno 1550.

tis perceptos, non ulterius in Ecclesiasticis, sed potius ipsorum Beneficiatorum propriis, & per eos acquisitis Bonis judicandos dicit: dum dicitur, Clericos absentes sine causa legitima, distributiones quotidianas *non facere suas*, nec rerum sic receptarum dominium acquirere 48.): item Clericos diu absentes, aut professionem fidei emittere negligentes, non facere fructus suos 49.). Multi quidem Parochi aut Beneficiati, ut ex priori Titulo colligitur, Bonorum intra terminos Ecclesiæ suæ sitorum Administrationem potius via facti, quam deferente lege, sibi sumpserunt, indeque nihil pro pauperibus, parum pro fabrica separatum fuit: horum igitur intuitu nudi videntur esse Administratores, qui Redituum suæ curæ commissorum nequaquam obtinent dominium. Verum jure optimo Clerici primum soliciti sunt de portione sibi competente, quæ turbatis sæpe rebus, & afflictis Ecclesiis restabat satis modica. Ubi igitur nulli determinati fundi fuerunt Fabri-

48.) C. un. de Cler. non resid. in 6.
49.) Conc. Trid. sess. 23. c. 1. & sess. 24. c. 12. de Reform.

Fabricæ usibus destinati; nulli pauperum subsidio assignati; absque discrimine percipit Clericus Reditus omnes tanquam suos, expensurus postea, si quid superflui reperiatur, in eos fines, ad quos Ecclesia pridem destinaverat. Omnium interim percipiendo fit Dominus, omnes Reditus facit suos, magnis utique oneribus gravatos: sicuti hæres totam hæreditatem facit suam, debitis, legatis, censibus oneratam.

Cum onere eos impendi ad Cultum Divinum,

§. 92. Dispiciendum jam est, quibus oneribus gravati sint Reditus Ecclesiastici. Certe ex intentione Fundatorum, & Spiritu Ecclesiæ impendi debent ad Cultum Divinum, qui juxta SS. Canones obtinetur per sustentationem Episcopi & Clericorum, per conservationem Fabricæ & Ornamenta Ecclesiæ, per subsidium pauperum & peregrinorum, aut denique per alios pios usus honori Dei amplificando, & animarum saluti promovendæ idoneos. Isti fines nondum censentur obtenti per hoc, quod Reditus Ecclesiæ inferantur cistæ vel horreo cujusdam Parochi: nihil enim exinde utilitatis in Ecclesiam, nihil honoris in Deum, nihil emolumen-

ti pro ſalute animarum redundat: ergo ulterius inſumendi ſunt ad eum finem, qui intentioni Fundatorum, & menti SS. Canonum reſpondeat: ſicuti Reditus pro Fabrica Eccleſiæ deſtinati, non cenſentur bene applicati, ſi per aliquot menſes aut annos in ærario Eccleſiæ deliteſcant, neque propterea poſſunt poſtea ad uſus profanos impendi 50.).

Nempe ad propriam ſuſtentationem,

§. 93. Sumit igitur Clericus ex his Reditibus in ſtipendium vitæ, quantum ſufficit congruæ ſuſtentationi ſuæ, quæ ſuſtentatio neceſſaria eſt Eccleſiæ, ſaluti animarum, & Cultui Divino. Nihil enim Clericus percipit in compenſationem obſequiorum ſpiritualium, quæ, cum poteſtatem Clericalem gratis acceperit, gratis impendit. Annuum ſalarium & pretium miniſtris Laicis, vel artificibus præſtitum, jam plene obtinet

50. S. Urbanus Papa in Lectionibus Breviarii 25. Maij ſtatuit: *ipſæ res Fidelium, quæ Domino offeruntur, non debent in alios uſus, quam Eccleſiaſticos, & Chriſtianorum Fratrum, vel indigentium converti; quia vota ſunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum.*

tinet finem ab Ecclesia intentum, scilicet obsequia vel artificiosa opera, aliunde Ecclesiæ non debita: & ideo ejusmodi Laici ex intentione SS. Canonum non tenentur superflua ad pios usus ulteriores impendere. Clericus autem nullum præstat obsequium pretio temporali æstimandum: consequenter exigere nihil potest, nisi necessarium vitæ stipendium: & Reditus Ecclesiastici, qui neque ad vitam Clerici sustentandam, neque ad alium a SS. Canonibus indigitatum usum actu impenduntur, fine suo frustrantur: debent proin proventus ultra congruam sustentationem superflui ad alios pios usus expendi, quales nunquam deerunt.

§. 94. Quamvis enim aliqui Reditus forte sint superflui congruæ sustentationi Clericorum, nunquam tamen erunt superflui consideratis aliis Redituum Ecclesiasticorum finibus. Non est autem admittenda opinio, quod Reditus Parochiales, seu Beneficiales pro sola Parochi vel Beneficiati sustentatione sint destinati, Cultusque Divinus ad intentionem Ecclesiæ promoveatur, si fructus in horreis, si pecuniæ in cistis Parochi

Et alios pios fines.

chi aut Beneficiati condantur. Incumbit Parocho præter ſuam, familiæque ſuſtentationem, Cathedraticum, ſubſidium Charitativum, reparatio ædium ſuarum, quotidianus affluxus pauperum &c. ut ſentiant Parochi, Reditus ſuos adhuc hodie gravari quadruplici illo fine, ad quem antiqui Canones impendi oblationes volebant. Ex his concluditur, non apparere ſufficientem rationem diſtinguendi inter Bona Clericorum neceſſaria & ſuperflua, ubi de eorum uſu eſt quæſtio, niſi credamus, nec ſupereſſe pauperes, quibus ſubveniatur; nec ad manum eſſe ullam occaſionem Cultus Divini amplificandi. Vana eſt quorundam aſſertio, neſciri, quo pars in uſus pauperum deſtinata pervenerit: hæret iſta in illis Reditibus, Decimis & Oblationibus, in quibus olim hæſerat, quando alia erat adminiſtrandi ratio, cum qua nequaquam mutata eſt natura & deſtinatio Redituum Eccleſiaſticorum

Eleemoſynæ pauperibus

§. 95. Nec argumentum a Pauperibus ad Clericos duci poteſt; ita ut Clerici æque parum cenſeantur adſtricti ad ea in uſus pios expendenda,

da, quæ ſuſtentationi congruæ ſuperfluunt; ſicuti pauperes, ejusmodi obligationem circa eleemoſynas ex Reditibus Eccleſiaſticis ſibi ſuperfluas non agnoſcunt. Lata enim eſt diſparitas: nam menti Fundatorum & Eccleſiæ ſatisfactum cenſetur, quando illi, qui Reditus Eccleſiaſticos colligunt, ex motivo miſericordiæ, quod vere ad Cultum Divinum pertinet, eorundem Redituum partem pro ſublevanda pauperum miſeria largiuntur, quamvis iſti pauperes his eleemoſynis non utantur ad ſuam ſuſtentationem. Poſſunt hi fingendo paupertatem, vel per eleemoſynæ abuſum peccare, aut etiam teneri ad reſtitutionem 51.): iſtud autem non oritur ex ſingulari obligatione Reditibus Eccleſiaſticis impoſita, utpote cui jam ſatisfactum eſt per diſtributionem in pauperes bona fide factam. Aliter loquendum de Clericis proventus Beneficiales percipientibus, non utique ad compenſanda obſequia ſpiritualia gratis obita, ſed ut expendantur ad Cultum Divinum, qui promovetur

erogatæ non eſt annexa ulterior obligatio.

51.) Vid. Molina de J. & Jur. tr. 2. diſp. 210.

per sustentationem ipsius Clerici: ultra hanc quæ superflua sunt, nondum obtinuerunt finem suum a Fundatoribus & Ecclesia intentum: proin remanet obligatio ea pie expendendi.

Eandem cum Beneficialibus naturam habent Bona Parsimonialia:

§. 96. Quod dictum de Reditibus congruæ sustentationi Ministrorum superfluis; idem intelligendum de *Parsimonialibus*, qui consumi quidem potuissent; sed ex vitæ temperantia, avaritia, aut aliis rationibus repositi manent. Certum est, quod hi sint Reditus Ecclesiastici ex natura sua destinati ad usus pios: certum est pariter, quod ad illos impensi non fuerint: qua ratione igitur contingere potuit, ut Reditus Ecclesiastici transierint in profanos ex eo solo capite, quod non fuerint impensi ad usus pios, inter quos etiam fuisset sustentatio Ministrorum Ecclesiæ. Si mille aurei destinentur ad fabricam Ecclesiæ, Architectus tamen vel per suam industriam, vel ob parciora ornamenta impendit solummodo octingentos: nemo cogitabit, reliquos ducentos non amplius esse devinctos usibus Ecclesiæ. Similiter &c.

§. 97.

§. 97. Dubium movetur, an quæ hactenus diximus, solum de Reditibus Beneficialibus, an vero etiam de Reditibus Stolæ, Distributionibus quotidianis, stipendiis Missarum & aliis, quæ *quasi patrimonialia* vocari solent, intelligi debeant. Certum est, hæc nec offerri, nec acceptari tanquam mercedem obsequii spiritualis, ne offerentes, vel acceptantes Simoniæ possint argui: similiter certum est, non esse dona omnino gratuita & liberalia, cum nequaquam darentur, nisi vicissim obsequia spiritualia præstarentur: Sunt igitur Oblationes ex ea æquitate factæ, quam insinuat S. Paulus 52.): *si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Conformiter dicto Christi, dignus est Operarius cibo suo. Mens igitur offerentium & acceptantium conformis est menti Ecclesiæ & ordinationi Christi, ut scilicet ista dentur & acceptentur in vitæ stipendium. Omnia autem per-

Quasi Patrimonialia:

52.) 1. Cor. IX. 11.

perpendenti & rimanti non occurrit opportuna differentia inter hæc ſtipendia quaſi patrimonialia, & inter beneficialia, quæ utique non dantur ſolummodo propter otium, ſed propter Officium ſpirituale, ſicuti quaſi patrimonialia: nec aliud diſcrimen eſt, quam quod Reditus beneficiales colligantur ex bonis jam ante aliquot ſæcula Eccleſiæ oblatis: Reditus autem ſtolæ proveniant ex Oblationibus hodiernis. Pravam conſuetudinem vocat S. Gregorius 53.), ſi quis perverſa uſurpatione ſibi arroget liberam diſpoſitionem de recentibus Oblationibus, easque alio jure æſtimet, ac bona antiquitus Eccleſiæ tributa. Quæ igitur olim de uſu & deſtinatione Oblationum ſtatuta fuerunt, eadem adhuc hodie ſtatuta cenſentur de Oblationibus quibuscunque intuitu obſequii ſpiritualis factis. Sola adminiſtrandi ratio immutata eſt, cum adminiſtratio relinquatur ipſi Clerico, ſive curato, ſive non curato, qui pro ſtipendio vitæ iisdem utitur; ſi quid au-

53.) C. 29. XII. q. 2.

autem ſuperflui eſſet, haud dubie ad alios pios uſus impendere deberet. Sacerdotibus quidem curatis ſeveriſſime prohibent SS. Canones, ne quid pro ſepultura, benedictione nubentium, baptiſmo &c. recipiant: ſola conſuetudo eos excuſat 54.): per hanc autem, utpote odioſam, & Sacris Canonibus derogantem, nulla ratione tollitur graviſſima tot Pontificum & Conciliorum ordinatio de Oblationibus pie impendendis. Nec alia eſt ratio Sacerdotum, qui curam animarum non habent, & ſtipendium pro dicendis Miſſis recipiunt: nam iſti quoque nec mercenarii videri volunt; nec alium titulum acceptandi ſtipendium excogitare poterunt, quam illum, quo aliæ Oblationes in Eccleſia recipiuntur 55.).

§. 98.

54.) C. 42. de Simon.

55.) Aliter ſentit JOAN. CABASSUTIUS Jur. Can. Theor. & prax. lib. 2. c. 22. n. 8. cui aſſentiri videtur PONTAS Dictionar. Caſ. Conſc. verb. teſtamentum, Caſ. V. in fin.

Et Distributiones quotidianæ.

§. 98. Major adhuc ratio est eorum, qui Distributiones quotidianas percipiunt 56.): hæ enim originem suam trahunt a more antiquo, quo singulis Clericis vel quotidie, vel hebdomadatim, vel aliis fixis temporibus congrua portio pro victu dividebatur ex massa communi: destinatæ igitur sunt hæ distributiones ad usum pium, qualis est sustentatio Clericorum, proin ad alios usus profanos converti non possunt. Dum enim Concilium Tridentinum fieri & augeri eas ex massa communi voluit, non intendebat, mutare horum Redituum destinationem, sed id tantum voluit, ut isti non æqualiter pervenirent ad negligentiores Canonicos; sed potior eorum pars cedat diligentioribus. Aliud dicendum de Distributionibus, per quas intenditur nonnunquam major celebritas per frequentiam præsentium vel in comitatu funeris, ubi etiam Laicis tales Distributiones conceduntur: per istas enim non intenditur

56.) Has proventibus Ecclesiasticis annumerat Bonifacius VIII. Extrav. un. §. 6. de Decimis. inter commun.

ditur Officium sacrum, ad quod Clericus vi sacri ordinis vel beneficii ab Ecclesia deputatur.

§. 99. Cum igitur ex intentione Fidelium offerentium, & mente Ecclesiæ acceptantis, Oblationibus & Reditibus Ecclesiasticis incumbat ogeri bonus, eos impendendi ad usus pios, sane illi, qui aliter impendunt, obligationem Juris naturalis violant, sicut violaret, qui hæreditatem aut fideicommissum tenent, nec tamen oneribus impositis satisfaciunt. Hæc juxta genuinum Ecclesiæ spiritum tenenda & inculcanda omnino videntur. Si tamen hodiernis moribus aliquid indulgere, & nervum disciplinæ Ecclesiasticæ relaxare velimus, distinguere possumus I. inter ea, quæ tanquam pro dimenso diurno, vel etiam annuo in certa quantitate alicui Clerico dantur, quale est stipendium pro lecto sacro, aut etiam annuum determinatum stipendium cujusdam Vicarii Parochialis, dum interim Parochus habitualis universos reditus colligit. Et II. inter ea, quæ obveniunt ex universali administratione totius fundationis, Parochiæ, Canonicatus, Dignitatis

Quantum possit indulgeri hodiernæ communi persuasioni?

&c.

&c. Prioris generis reditus videntur ex hodierna communi persuasione dari ad solos usus Clerici, qui proin non videtur aliam obligationem circa usum eorum habere, ac alii Laici, ut scilicet honeste impendat. Posterioris autem generis reditus nequaquam conceduntur ad solos Clerici usus, sed juxta mentem Fundatorum & Ecclesiæ dantur cum oneribus supradictis Cultum Divinum, pauperes, fabricam Ecclesiæ &c. respicientibus: istis oneribus ut satisfiat, & exinde Cultus Divinus promoveatur, gravissima est obligatio, nullis vanis prætextibus parsimoniæ &c. abolenda.

Clericus ex Patrimonialibus dives,

§. 100. Circa peculium Clericorum, quod vel ex Bonis patrimonialibus, vel ex Reditibus Ecclesiasticis congeritur, oritur quæstio, num Clericus vivere possit ex Reditibus Ecclesiasticis, qui habet sufficientem sustentationem ex Bonis patrimonialibus? Ex dictis constat, Reditus Ecclesiasticos dari in stipendium vitæ, quia *dignus est Operarius cibo suo* 57.): sicuti pauperi ex iisdem

57.) Matth. X. 10.

dem Reditibus datur Eleemosyna, quia misericordia exigit, ut illi succurratur. Unde aliqui inferunt, sicut ille, qui labore manuum, aut aliis mediis facile sibi comparare potest necessaria vitæ, nequit bona conscientia vivere ex Eleemosynis: ita etiam non posse Clericum stipendia vitæ percipere ex Reditibus Ecclesiasticis, si suppetant ei patrimonialia: non enim dantur hi reditus in pretium, vel remunerationem laboris, de quo præcipit Christus, gratis accepistis, gratis date; sed solummodo dantur in stipendium vitæ, quod videtur supponere indigentiam: unde multi antiqui Canones perceptionem Redituum Ecclesiasticorum alligant indigentiæ 58.). Ratio horum

58.) Can. Apost. 40. relatus in C. 22. XII. q. 1. Can. 25. Concil. ANTIOCH. relatus C. 23. ead. Caus. & quæst. Addantur C. 7. X. q. 2. C. 6. 7. 8. 9. I. q. 2. allegati Canones. 7. 8. & 9. a Gratiano adscribuntur S. Prospero de vita contemplat. Revera Autor ejus libri est JULIANUS POMERIUS circa finem sæculi V. de quo videri potest Nota JACOBI SIRMONDI

est, quia illi, qui possidet sufficientes Reditus temporales, Bona Ecclesiastica ad vitæ sustentationem non sunt necessaria, sed prorsus superflua, consequenter ad alios pios usus impendenda 59.).

An possit vivere ex Beneficialibus?

§. 101. Nihilominus altera sententia affirmans, etiam a Clerico divite posse Reditus Ecclesiasticos percipi, & in usus suos converti, passim traditur, & in praxin deducitur. Unde convenientius me expedire non scio, quam repetendo verba, quibus usus sum in quibusdam foliis, in quæ Decadem Dubiorum de Peculio Clericorum ante aliquot

---

MONDI ad Conc. Aquisgran. anno 816. GUILIELM. CAVE Hist. Liter. ad Ann. 444. & 498. Fusior hujus Juliani contextus sub nomine Prosperi refertur in dicto Conc. AQUISGRAN. C. III.

59.) Hoc sensu dicit S. AUGUSTINUS Epist. 185. alias 50. cap. 9. *Si pauperum compauperes sumus, & nostra sunt, & illorum: si autem privatim quæ nobis sufficiant possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.*

quot annos conjeci, ſcilicet priorem ſententiam negativam, eſſe conformiorem Spiritui Eccleſiæ; alteram affirmativam, ſenſui Eccleſiaſticorum: priorem menti Sacrorum Canonum; alteram placitis Canoniſtarum: priorem ita piam, ut ejus uſus ſummopere eſſet optandus; alteram ita communem, ut ejus uſus non ſit damnandus. Demum ex iis, qui Reditus patrimoniales ſufficientes ad vitæ ſuſtentationem habent, & tamen ex Reditibus Eccleſiaſticis vivunt, id ſolum reſcire cuperem, in quem finem patrimonialia cumulent, iisque parcant, dum interim ex Eccleſiaſticis vivunt? Si patrimonialia relinquerent Conſanguineis ſuis, vel in pauperes dividerent; ſequerentur ſane exemplum Apoſtolorum, & mererentur vivere ex Altari, quando Altari ſerviunt: verum ſi Reditus patrimoniales ſolicite cumulant & cuſtodiunt; interim autem Eccleſiaſticos proventus abſumunt; vehementer timendum eſt, ne inordinato affectu ad id impellantur. Viderint igitur ejusmodi Clerici, ne in alterutrum ſcopulum impingant, vel Eccleſiaſtica in aliorum præjudicium

absumendo; vel patrimonialia ex avaritia, aut alio pravo affectu cumulando.

TITULUS VIII.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

Confer. Lib. 3. tit. 4. & 5. In Sext. tit. 3. & 4. Clement. tit. 2. Extrav. Joan. XXII. tit. 3. Commun. tit. 2.

§. 102.

Nomen Præbendæ & Beneficii ex militia desumptum.

POSTQUAM Clericis *Militiæ* sacræ nomen tribui cœptum est, non incongrue plura ex Castris vocabula ad Ecclesiam translata sunt, inter quæ mentionem hoc loco meretur vox *Præbendæ*, & *Beneficii*. *Præbenda* enim apud Romanos significabat annonas, cibaria, præbita, diaria & sportulas, sive alimenta, quæ in dies, vel menses militibus erogari solebant 60.). A CONSTANTINO enim, aliis-

60.) Huc facit L. inviti. 19. ff. de Testib. ubi ULPIANUS loquitur de eo, *qui quid exercitui præbendum conduxerit.* quam lectio-

aliisque Principibus Christianis stipendia & annonæ liberaliter Clericis fuerunt præstitæ 61.): & inter alia Bona Ecclesiarum etiam *annonæ civiles* 62.) & *civiles panes* 63.) alienari prohibentur, quibus proin *Præbendarum* nomen adhæsit, demum pro quovis Beneficio minori, prout a Dignitate distinguitur, usurpatum. Unde etiam Sacri Canones utroque vocabulo Præbendæ & Beneficii promiscue utuntur 64.). *Beneficii* vero appellatio desumpta est ex usu *Feudorum*, quæ olim *Beneficia* appellabantur 65.). Sicuti enim Re-

lectionem retinet Cujacius lib. 2. observ. 23. sed Alciatus lib. 2. Parerg. c. 43. legit *qui exercitui præbenda conduxerit*, & advertit, *quas Sacerdotum Præbendas vulgo vocamus metaphorice, posse nos latinius neutro genere Præbenda dicere.*

61.) Euseb. Hist. Eccl. lib. X. c. 6. & de Vita Constant. lib. I. c. 35. seq. Theodoret. lib. I. c. 11.

62.) L. 14. C. de SS. Eccles.

63.) L. 17. ibid.

64.) C. 2. & 9. I. q. 3.

65.) Lib. I. Feudor. tit. 15. & 20. Lib. II. tit. 12. & 24. Capitularia Regum Francorum

ges & Imperatores ſolebant prædia ſub nomine *Beneficiorum* Vaſallis ſeu Clientibus in *Feudum* largiri ſub hac conditione, ut ad militandum pro ipſis adſtricti eſſent: ita etiam Reditus & emolumenta ſub nomine *Beneficiorum* Clericis præbere ſolet Eccleſia, cum obligatione ſtrictiori militandi Deo, & certæ Eccleſiæ obſequia præſtandi.

Beneficii Eccleſiaſtici deſcriptio

§. 103. Beneficium igitur dicitur *Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Eccleſiæ, Clerico conceſſum ob ſacrum miniſterium, autoritate Eccleſiaſtica conſtitutum* 66.). Dicitur I. *Jus*, quod aliqui comparant uſuifructui, alii dominio utili ad ſimilitudinem Feudorum

---

corum paſſim. Etiam illa bona, quæ Laicis ab Eccleſia in Feudum dantur, vocantur Beneficia Eccleſiaſtica in C. 1. de Eccleſ. ædific. vel repar. Eman. Gonzalez ibid. n. 2.

66.) Alii definiunt *Jus perpetuum miniſtrandi in Eccleſia autoritate Epiſcopi conſtitutum, habens jus percipiendi fructus annexum.* In utraque definitione exprimitur Officium ſeu Miniſterium Eccleſiaſticum tanquam principale, atque jus percipiendi fructus tanquam acceſſorium.

rum, saltem intuitu illorum fructuum, qui ex Bonis Ecclesiæ immobilibus percipiuntur 67.). Dicitur II. *Perpetuum*, tum quia datur Clerico ad dies vitæ; tum quia moriente Clerico non extinguitur, sed semper adhæret Ecclesiæ. Nam sicuti olim militibus bene meritis Feuda concessa fuerant tantum ad dies vitæ, & post mortem revertebantur ad liberam dispositionem Principis: sic etiam multo tempore Clericis de Ecclesia bene meritis concedebatur Jus percipiendi Reditus ex bonis Ecclesiæ, ad omnes quidem dies vitæ; illis autem decedentibus revertebatur administratio eorum bonorum ad Episcopum, ita ut Clerici non jure Tituli, sed jure personali Beneficium tenerent. Cum vero multa incommoda inde orirentur, quando Successor quasi ex nova liberalitate Episcopi, jus percipiendi Reditus obtinere debebat; demum invaluit mos, ut jus istud non Perso-

67.) Vid. P. Placidus Böckhn ad lib. III. Decretal. Tit. V. n. 3.

nis, sed Ecclesiis seu Titulis 68.) annecteretur, illeque semper haberet jus percipiendi fructus, qui obtineret Titulum: quæ disciplina etiam hodie servatur; unde ipse *Titulus* nomen *Beneficii* obtinuit, quo denotatur tum Officium Ecclesiasticum, tùm jus percipiendi proventus.

Explicata: §. 104. Dicitur III. *Percipiendi fructus ex Bonis Ecclesiæ*, unde unde provenientes ex Decimis, Oblationibus, prædiis Ecclesiæ &c. ad sustentationem Clerici destinatos. Per hoc Præbenda, seu Beneficium differt a *Canonia* simpliciter dicta, quæ est tantum jus habendi Sedem in Choro, vel etiam vocem in Capitulo. Dicitur IV. *Clerico concessum ob sacrum Ministerium.* Nam Beneficium datur propter Officium 69.); & quidem tale, ad quod Clericus speciali ritu ordi-

---

68.) Titulus hoc loco sumitur pro functione & certo loco in Ecclesiæ Ministerio, cui adscribebatur Clericus in ipsa Ordinatione. De hoc Titulo multa congerit Lotterius de Re Beneficiar. lib. I. quæst. 2.

69.) C. fin. de Rescript. in 6.

ordinatur. Unde differt ab eo jure, quo Officiales Laici percipiunt fructus ex Bonis Ecclesiæ ob ministerium profanum. Dicitur V. *Autoritate Ecclesiastica constitutum.* Beneficium enim Ecclesiasticum ab Episcopo in Titulum erigi debet. Hinc privatæ Capellæ, etiam in perpetuum dotatæ pro Missarum in eisdem celebratione, quantumvis benedictæ, non censentur inter Beneficia, sed remanent sub sola Fundatorum & Successorum dispositione; consequenter nec commodis, nec incommodis Beneficiorum sunt subjectæ 70.).

§. 105. Beneficium Ecclesiasticum dividitur I. in *Sæculare* & *Regulare.* II. In *Simplex*, cui non est adnexa administratio, vel Jurisdictio: & *Duplex*, quod aliquid horum annexum habet. III. In *Dignitates*, quibus affixa est Ecclesiastica administratio cum Jurisdictione fori externi supra Clerum: *Personatus*, quibus cohæret præeminentia supra Clerum *Divisio.*

70.) Vid. Cabassutius Jur. Canon. Theor. & prax. lib. II. c. 1. n. 2.

sine Jurisdictione: & *Officia*, quibus annectitur administratio sine Jurisdictione & Præeminentia. IV. In *Manualia*, quæ ad Collatoris arbitrium revocari possunt, & ideo ob defectum perpetuitatis non sunt proprie dicta Beneficia: & *Non Manualia*, quæ adimi non possunt, nisi de causis a Jure statutis. V. In *Electiva*, quæ per plurium suffragia, & Superioris Confirmationem: *Collativa*, quæ per absolutum Prælati arbitrium: & *Mixta*, quæ ad Patronorum Nominationem, seu Præsentationem conferuntur a Prælato. VI. In *Curata*, & *Non Curata*, quibus nec fori externi, nec interni cura inest. Si competat Cura quoad forum internum seu conscientiæ, proprie dicitur Beneficium Curatum: si tantum quoad forum externum & contentiosum, improprie est Curatum. Nullum igitur Beneficium Curatum dicitur, nisi habeat Populum vel Clerum, cujus Cura annexa est Beneficio, & incumbit Beneficiato. Tametsi enim Beneficiatus ex lege Fundationis debeat Parocho in Officio concionandi, aut Confessiones excipiendi assistere, propterea non dicitur

citur habere Beneficium Curatum: nam Cura animarum requirit ea omnia, quæ ad salutem animarum Populi aut Cleri necessaria & utilia sunt, E. G. administratio Sacramentorum, etiam Eucharistiæ, Extremæ Unctionis & Matrimonii &c. 71.). De his Beneficiorum Divisionibus varia attigimus in Tract. de Hierarchia Ecclesiastica.

§. 106. Beneficiis simplicibus annumerari solent *Capellaniæ*, seu *Capellæ*, per quas intelligitur onus celebrandi unam aut plures Missas annuatim in Capella, Ecclesia, seu Altari 72.). Habent aliquæ Capellaniæ Plebem, cujus cura incumbit Capellano, ut accidit, quando Ecclesia cum Plebe conceditur Monasterio *Capellarum*

71.) De hac Cura loquitur C. 14. de ætat. & qualit. præfic. & Concil. Trid. sess. 23. c. 1. de Reform.

72.) De Capellaniis videri potest Ildephonsus Perez de Lara De Anniversar. & Capellan. Franc. a Mostazo de Causis Piis. tom. 1. lib. 3. per tot. & tom. 2. lib. 5. c. 7. Thomassinus De Veter. & nov. Eccles. Discipl. p. 1. lib. 2. c. 92. seqq.

sterio, ad quod Cura translata non est, verum penes Episcopum remanet, qui cum consensu Monasterii designat Capellanum: hic autem respectu Curæ animarum Rector Ecclesiæ dici potest, quia omnia administrat, ut Parochus. Nos hoc loco consideramus præcipue Capellaniam simplicem. Nomen hoc derivari solet a breviore Capa S. Martini 73.), quæ in Palatio Regum Francorum asservata fuit, & ad quam Sacramenta præstabantur 74.): postmodum ædes ipsa, in qua cum aliis Sanctorum Lipsanis Capa S. Martini intra Palatii ambitum asservata fuit, *Capella*, & Presbyter, ejus curam gerens, *Capellanus* vocabatur. Cum autem Reges Francorum

---

73.) Sangallensis, quem Canisius antiq. lect. tom. 1. edidit, de Gestis Caroli M. lib. 1. c. 4. *quendam optimum dictatorem & scriptorem in Capellam suam assumpsit, quo nomine Reges Francorum propter Capam S. Martini, quam secum ob sui tuitionem & hostium oppressionem jugiter ad bella portabant, Sancta sua appellare solebant.*

74.) Marculfus Lib. 1. form. 38.

rum in singulis fere Provinciis Regni sui, per quas sæpe iter agebant, haberent Palatium, aut Villam Dominicam; ubique etiam ædificabantur ædiculæ sacræ pro recondendis Sacris Lipsanis, & constituebantur Presbyteri ad Laudes Divinas ibidem cantandas: unde frequentissime in antiquis monumentis occurrunt *Capellæ Palatinæ*, & *Capellani Regii*.

§. 107. Hoc nomen Capellarum adeo invaluit, ut etiam Nobiles privata Oratoria in Castris suis exstructa, atque alii in Urbium majoribus Ecclesiis laterales ædiculas, vel Altaria in honorem cujusdam Sancti aut Mysterii cum annexis proventibus posita, *Capellas*, & Sacerdotes illis præfectos, *Capellanos* vocarent: nonnunquam etiam ob *Sacras* Reliquias ibi reconditas, & *Sacras* functiones, vocabantur *Sacella*, id est *Sacræ Cellæ*, & *Sacellani* 75.). Istæ Capellæ non poterant exstrui absque *Varia genera.*

75.) Vid. Du Cange Glossar. med. & inf. latin. V. *Capella. Capellanus.*

que autoritate Episcopi 76.), qua accedente in Titulum Beneficii eriguntur : Capellani autem Altarium cum Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, in qua Capellæ sunt, Divinum Officium in Choro persolvunt : unde hæ Capellaniæ incompatibiles sunt cum Canonicatu in eadem Ecclesia, sicut infra dicetur de Beneficiis uniformibus sub eodem tecto 77.) : plerumque autem annexum habent onus celebrandi Missarum solennia, cui hodie passim satisfit per Missas privatas minime solennes. Sunt igitur hujusmodi Capellaniæ inter Beneficia simplicia reputandæ, quia habent jus percipiendi Reditus Ecclesiasticos propter Officium sacrum, & tamen Curam animarum, vel Jurisdictionem annexam non habent.

§. 108.

76.) Capitular. lib. V. c. 334. *Placuit nobis, ut nec Capellæ in Palatio nostro, vel alicubi sine permissu, vel jussu Episcopi, in cujus est Parochia, fiant.*

77.) Ad hos Sacellanos, qui frequenter vocari solent Chori-Vicarii, piam adhortationem habet Molanus de Canonicis lib. II. c. 34. Van Espen Jur. Eccl. part. 2. tit. 18. c. 4. n. 21. seq.

§. 108. Gravis quæstio breviter examinanda venit, an plura Beneficia Ecclesiastica ab eodem Clerico simul haberi possint? ubi prænotandum, sermonem non esse de Coadjutoriis, de Capellaniis Laicis, de Beneficiis Manualibus & aliis, quæ rationem Beneficii proprie dicti non habent. Ceterum ante Beneficiorum divisionem Clerici in sua Ordinatione adscribebantur certæ cuidam Ecclesiæ, ad cujus sacra obsequia erant deputati, & ex cujus bonis alebantur. Illorum temporum Concilia 78.) statuerunt, *non licere Clericis in duarum Civitatum Ecclesiis eodem tempore in Catalogum referri.* Facta divisione Beneficiorum, Ecclesia eodem semper spiritu animata, per innumeros Conciliorum Canones, & Pontificum Decreta, pluralitatem Beneficiorum gravissimis verbis damnavit, licet contraria con-

Beneficiorum pluralitas sæpius damnata,

78.) Concil. CHALCEDONENSE Can. 10. Exempla eorum, qui in ordinatione sua nulli Ecclesiæ adscripti fuerunt, & alia circa hunc Canonem Concilii, refert FRANC. FLORENS ad lib. III. Decretal. tit. 5. de Præbend. &c. tom. 2. fol. 260. seqq.

consuetudo in multis locis non potuerit *præ multitudine delinquentium emendari* 79.), quæ ob reditus imminutos, vel aucto rerum pretio ad congruam sustentationem non sufficientes, saltem in Beneficiis simplicibus tolerabatur: cum autem eadem consuetudo sensim ad Dignitates & Ecclesias Curatas extenderetur, omnibus viribus obstiterunt Concilia & Pontifices, præsertim sæculo XII. & XIII. 80.). Demum Concilium TRIDENTINUM 81.) *statuit ut in posterum unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur: quod quidem, si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri &c.*

§. 109.

79.) C. 15. de Præb. & Dignit.

80.) ALEXANDER III. c. 7. & 14. eod. CONCIL. LATERAN. III. c. 3. de Cler. non resid. LATERANENSE IV. c. de multa. 28. de Præb. & Dignit. JOANNES XXII. Extrav. Execrabilis. eod. inter commun.

81.) Sess. 7. cap. 4. de Reformat. Clarius autem & exactius Sess. 24. c. 17. de Reform.

§. 109. Ex his Tridentini, & priorum Conciliorum definitionibus, quarum integrum contextum referre non patiuntur anguſtiæ libelli, infertur I. Diviſionem Beneficiorum in *Compatibilia* & *Incompatibilia*, antiquis Eccleſiæ ſæculis omnino incognitam, tolerari eatenus, ut Beneficio honeſtam ſuſtentationem non ferenti, poſſit adijci aliud ſimplex, nullam Curam animarum, Jurisdictionem aut Adminiſtrationem annexam habens, modo utrumque ex alia ratione, forte ex peculiari voluntate Fundatoris, perſonalem reſidentiam non requirat. Unde ſi Canonicatus non requirat novem menſium reſidentiam, nec habeat reditus ſufficientes; potèſt acquiri alius Canonicatus ſimiliter brevioris temporis reſidentiam poſtulans, ita ut utrique per annum ſatisfieri poſſit. Poſſunt etiam obtineri duo *difformia* in eadem Eccleſia E. G. Dignitas vel Cura cum Canonicatu; imo in aliquibus Eccleſiis Dignitates non poſſunt conferri, niſi Canonicis: Tria tamen, etſi exigua, non poſſunt conjungi ſine Diſpenſatione.

Niſi unum ſit ſimplex & inſufficiens.

Rationes hujus damnationis.

§. 110. Infertur II. Rationes, ex quibus Sacri Canones pluralitatem Beneficiorum damnant, præcipue esse sequentes. I. quia nemo potest duabus Ecclesiis servire, neque in duabus residere, cum tamen primæva institutio Beneficiorum requirat personale Officium ac Residentiam in illa Ecclesia, in qua Beneficium fundatum est. II. Quia singuli non nisi uni Officio peragendo debent incumbere: *cum unum Officium vix digne valeat aliquis adimplere* &c. 82.). III. Quia minuitur Cultus Divinus. IV. Quia unus cumulat Reditus, qui sufficerent pluribus idoneis. V. Quia pluralitas Beneficiorum plerumque originem sumit ex ambitione, vel ex avaritia.

An Contineantur Cardinales?

§. 111. Infertur III. Hoc Tridentino Decreto contineri etiam Cardinales, qui æque ac alii prohibentur tenere duos Episcopatus, Abbatias &c. Olim quidem ipsa Cardinalitia Dignitas censebatur incompatibilis cum Episcopatu sine dispensatione 83.), nisi in

82.) C. 1. de Consuet. in 6.

83.) Joannes XXII. Talarandum Episcopum Altisiodorensem creavit Cardinalem

in illis Ecclesiis, quæ Tituli Cardinalium eædem sunt. Licet de Jure id tenendum videatur; alia tamen

nalem, & concessit perceptionem Redituum Episcopalium per duos menses pro expensis itineris Romani. RAYNALD. Annal. Eccl. ad ann. 1331. n. 33. CLEMENS VI. anno 1344. Episcopum Atrebatensem Cardinalatu insignivit, eum simul a vinculo prioris Ecclesiæ absolvens. RAYNALD. ad ann. 1344. n. 68. URBANUS VI. suæ causæ fautores conciliaturus, Cardinales nuntiavit tres Electores Ecclesiasticos Germaniæ, scilicet Colonienſem, Moguntinum atque Trevirenſem, qui tamen *hujusmodi Cardinalatus honorem acceptare noluerunt, licet Papa præfatis Archiepiscopis Ecclesiarum sibi commissarum administrationem in spiritualibus & temporalibus quoad viverent, eis etiam non petentibus, conservasset*, prout narrat THEODORICUS A NIEM de Schismate lib. 1. c. 44. Episcopus Wormatiensis a Gregorio XII. creatus Cardinalis, honorem hunc recusavit, *timens forte, quod si illum acceptaret honorem, alius sibi surrogaretur Antistes in Ecclesia Wormatiensi.* Ibid. lib. 3. c. 39. MARTINUS V. Joannem Archiepiscopum Rothomagensem assumpsit ad Cardinalatum, & a vinculo, quo Ecclesiæ illi tenebatur, absolvit: dedit tamen ipsi eandem Ecclesiam in

Com-

viget consuetudo 84.), videturque Concilium TRIDENTINUM 85.) supponere, quod Cardinalatus possit consistere cum Episcopatu uno 86.). Potest autem hæc consuetudo hodie facilius sustineri, aucto Cardinalium numero, ita ut satis magno numero possint Romæ supereſſe, & reliqui Episcopalibus Ecclesiis præsidendo, Tridentinis Decretis obsequi. Ne autem Cardinales Episcopi præter Episcopalem Titulum sui Cardinala-

---

Commendam *usque ad beneplacitum nostrum & Sedis Apostolicæ.* Acta omnia videri possunt apud DE MARCA Concord. in Prolegom. fol. XLII. seqq.

84.) CAJETANUS in 2.2.q. 185. art.5. perpenso textu c. 3. de Postulat. Prælat. infert, *quod Cardinalatus & Episcopatus sint de numero incompatibilium de jure, quidquid sit de consuetudine; si tamen consuetudo, & non potius abusio appellanda est.*

85.) Sess. 23. C. 1. de Reform.

86.) FAGNANUS ad Cap. *Bonæ memoriæ.* de Postulat. Prælat. n. 23. notat, juxta stylum Romanæ Curiæ, Cardinali, qui in Urbe residere debet, non solere Episcopatum conferri in Titulum, sed in Commendam, ut ex illius fructibus decenter sustentari valeat, ex quo incompatibilitas arguitur.

nalatus aliam retineant Ecclesiam Episcopalem non Cardinalitiam, Cardinalis BELLARMINUS vehementer urgebat CLEMENTEM VIII, cum neque utilitas, neque necessitas Ecclesiæ videatur hac in re suadere dispensationem: Pontifex tamen noluit redarguere facta Prædecessorum suorum, & tot Cardinalium &c. 87.).

§. 112. Infertur IV. Ambitionem & avaritiam tegi plerumque variis prætextibus, sub quorum pallio invaluit Beneficiorum pluralitas non obstantibus tot Decretis 88.). I. ex fallaci principio, quod quis Officio & oneribus Beneficio etiam Curato annexis per alium satisfacere possit. II. Ex usu Commendarum: cum enim GREGORIUS IX. 89.) videatur approbare regulam, quod liceat unam Ecclesiam intitulatam, alteram commendatam habere; hac doctrina multi abusi sunt, retinendo commendatam Ecclesiam per omnes

Prætextus varii pro obtinendis pluribus Beneficiis.

87.) THOMASSIN. p. 2. l. 3. c. 5. n. 17.
88.) VAN ESPEN Jur. Eccl. p. 2. tit. 20. c. 2.
89.) C. 54. §. 5. de Elect.

vitæ dies, quam retinere non patiuntur Canones ultra sex menses 90.). III. Ab eodem GREGORIO post ALEXANDRUM III. 91.) approbatur regula, posse haberi duas Ecclesias, quarum una pendet ab altera, id est, quarum una est alteri unita: inde rursus abusus & prætextus, dum uniebantur duæ Ecclesiæ absque necessitate & utilitate Ecclesiarum, sed solummodo pro commodo & ad vitam Clerici. Unde potest quis cum Ecclesia Parochiali habere Capellam unitam, modo vocetur Capella in fraudem legis talis Ecclesia, quæ alioquin habuisset proprium Presbyterum. IV. Permittitur pluralitas Ecclesiarum, *si ita fuerint tenues in substantia, quod proprios Sacerdotes non possint convenienter alere* 92.). Inde rursus vani prætextus innumeri, si cujusvis arbitrio relinquitur determinandum, quænam proventuum quantitas sufficiat. Ex hac ratione plerique jam credunt, non esse opus dispensatione ad Beneficium

90.) C. 15. de Elect. in 6.
91.) C. 4. de ætat. & qualit. præficien.
92.) Ibid.

ficium secundum, quia credunt, primum non sufficere. V. Vehementer etiam invalescere Beneficiorum pluralitatem experimur ex spe facilis dispensationis. Postquam in Concilio LATERANENSI 93.) declaratum fuit, *circa sublimes & literatas personas, quæ majoribus Beneficiis sunt honorandæ, cum ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam posse dispensari;* mox petitæ & impetratæ, vel potius *per improbitatem importunam petentium a Romanis Pontificibus extortæ* 94.), fuerunt dispensationes adeo frequentes, ut tandem tanquam jus ordinarium invaluisse videantur 95.): unde ejusmodi dispensationes, utpote odiosæ, sunt stricte interpretandæ 96.): & exhibendæ Episcopo petenti 97.): Pontifex etiam æquanimiter sustinet, si Ordinarius Literas Apostolicas non exequatur, quibus sine scandalo satisfieri non potest 98.). Hanc enim re-

93.) C. 28. de Præbend.
94.) Extrav. Execrabilis. 4. inter comm. de Præbend. & Dignit.
95.) Insinuat c. 3. de Offic. ordinar. in 6.
96.) C. 21. de Præb. in 6.
97.) Cit. c. 3. & Trid. Sess. 7. c. 5.
98.) Verba sunt Pontificis in C. 6. de Præbend. & Dignit.

regulam dispensationum suarum proponunt Pontifices, semper improbandam esse superfluitatem, nonnunquam tolerandam pluralitatem, statu personæ provida consideratione pensato.

Non nunquam datur legitima Causa.

§. 113. Infertur V. Posse nonnunquam concurrere circumstantias, quæ omnes inordinationes pluralitati plerumque conjunctas abstergant, eamque inspecto solo jure naturali licitam reddant. Tales sunt defectus idoneorum Clericorum: paucitas redituum &c. de quibus judicium ferre debent Prælati Ecclesiæ per dispensationem ex justis verisque causis obtentam, quam hodie concedit Romanus Pontifex ob aliquam necessitatem, in iis præcipue casibus, quando unus potest facile satisfacere obligationibus utriusque Ecclesiæ, vel populi necessitati. Olim Episcopi suam autoritatem in his negotiis sufficere censebant. Unde S. Udalricus Episcopus Augustanus Abbatiam Ottenburanam sibi concedi ab Imperatore petiit, eo animo, ut privilegio libertatis obtento, eam iterum ad Abbatem Regularem devolveret

ret 99.). Eodem spiritu animatus S. Wolfgangus Episcopus Ratisponensis celeberrimam S. Emmerami Abbatiam, quam Episcopi antea administraverant, antiquæ Regularitati reddidit. Similiter optimo Zelo alii Episcopi susceperunt Abbatias, vel etiam petierunt, quia a temporibus Caroli Martelli maximam Cœnobiorum partem Reges ipsi usurpabant, suoque arbitratu ea vel retinebant ipsi, vel dabant etiam Laicis.

§. 114. Infertur VI. Duo Beneficia Curata, duas Dignitates aut personatus, duo Officia & Administrationes, duo Beneficia omnino uniformia sub eodem tecto, quæ æquales functiones eodem loco, & tempore peragendas exigunt, esse ex natura sua ita incompatibilia, ut obtenta pacifica & fructifera possessione alterius, ipso jure amittatur primum 100.): quæ proin solent dici *Incompatibilia primi vel 2di. generis*;

99.) Sic legitur in Vita S. Udalrici 4. Julii cap. 10.

100. C. 28. de Præb. & Dignit. c. 26. eod. in 6. Clement. 3. eod. Extrav. execrabilis. inter com. eod. C. 1. de Consuet. in 6.

incompatibilia primi generis. Alia Beneficia ex Juris dispositione incompatibilia, scilicet duo simplicia, quorum quodlibet idoneam sustentationem suppeditat; duo Canonicatus, aut Capellaniæ in diversis Ecclesiis, si utrinque debita Residentia expleri nequeat, solent a multis dici incompatibilia secundi generis, quæ quidem non licet absque legitima dispensatione simul retinere; obtento tamen secundo non ipso jure vacat prius, quamvis si quis utique pergeret insistere, per Superiorem esset cogendus, ut unum ex ambobus eligat, alterum dimittat.

Quæ distinctio videtur sublata per Concilium Trid.

§. 115. Verum dubitant multi, an hæc distinctio inter primi, & secundi generis incompossibilia non sit sublata in Concilio TRIDENTINO, quod videtur de omnibus ex quacunque ratione incompatibilibus decernere, ut *quicunque plura Curata, aut alias incompatibilia Beneficia Ecclesiastica recipere ac simul retinere præsumpserit, Beneficiis ipsis ipso jure privatus existat* 1.), scilicet ut sit privatus Beneficio prius habito, & si forte illud retinere contenderit, etiam alio spolietur, uti lo-

1.) Conc. TRID. Sess. 7. c. 4. de Reform.

loquitur INNOCENTIUS III. in Constit. *De multa.* ad quam se refert TRIDENTINUM. Ex hac ipsa autem relatione censent aliqui, hanc privationem *ipso jure* incurrendam intelligi solummodo circa Beneficia ab INNOCENTIO III. nominata, scilicet Curata, Dignitates & Personatus 2.) : alii tamen melius sentiunt, idem Decretum Tridentinum attingere etiam, *alias incompatibilia Beneficia*, forte ratione Residentiæ, aut sufficientis sustentationis, etiamsi sint simplicia, aut Capellaniæ 3.). Id tamen notandum, etiamsi

2.) PIRRHING ad lib. 3. Decretal. tit. 5 n. 149.
FRANC. SCHMIER Jur. Can. univ. lib. 3. tr. 1. p. 2. c. 3. n. 82.
PLACIDUS BÖCKHN ad dict. tit. 5. n. 20.

3.) HIER. GONZALEZ. ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 15. n. 17.
FRANC. A MOSTAZO de Caufis piis. lib. 3. c. 12. n. 8. & 9.
GARZIA de Beneficiis p. 11. c. 5. n. 84. seqq.
PIGNATELLI tom. 10. Consult. 156. n. 10. Nihilominus etiam rigidiores Doctores faciunt discrimen inter obligationem Residentiæ *præcisæ sub privatione tituli*, &

si ipso jure vacet Titulus prioris Beneficii, & ideo alteri conferri possit; nihilominus iste non debebit in possessionem ipsius corporalem induci non vocato priore possessore, cum illi forsan possit jus competere Beneficium prius retinendi 4.).

Pluralitati Beneficiorum nulla favet Autoritas.

§. 116. Infertur VII. Pluralitati Beneficiorum non favere Concilium EPHESINUM 5.) confirmando veterem morem in Provinciis Europæ, quo singuli Episcopi duos vel tres sub se habebant *Episcopatus*, hoc est Civitates, quæ *nunquam proprios acceperant Episcopos*, licet ob suam frequentiam & celebritatem potuissent habere. Nec favet

---

& *causativæ sub privatione fructuum*, de quo videri possunt præter allegatos, etiam antiquiores JNNOCENTIUS, ANTONIUS DE BUTRIO, IMOLA ad Cap. fin. de Cler. non resid. & Recentiores GRATIANUS Discept. forens. tom. 1. c. 133. n. 28. Card. DE LUCA de Beneficiis disc. 58. seqq.

4.) Ita statuit BONIFACIUS VIII. c. 28. de Præb. & Dignit. in 6. vid. PASSERINUS ibid. & FRANC. FLORENS tom. 2. fol. 278.

5.) Act. VII. cui consonat L. 36. C. de Episc. & Cler.

favet exemplum EUPHRONII & aliorum, qui vel ex necessitate, vel ex vera utilitate Ecclesiæ, non autem ad proprium emolumentum plures inviti suscipiebant Ecclesias regendas 6.): nec excusari quis poterit ex doctrina S. THOMÆ, qui etsi mollius loqui videatur 7.), pluralitatem tamen Beneficiorum nequaquam approbat 8.): quamvis forte non omnino fuerit convictus de incompatibilitate Beneficiorum ex rationibus famosi conventus Theologorum Parisiensium 9.).

§. 117.

6.) Similia plura exempla videri possunt apud THOMASSIN. Vet. & nov. Discipl. p. 2. l. 3. c. 1. & seqq.

7.) Quodlibet. 8. quæst. 6. art. 13. & quodlib. 9. art. 15. ubi videtur supponere, quod aliquis habens plures præbendas possit ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adduci, & sic non peccet.

8.) Vid. DIONYSIUS CARTHUSIANUS tract. contra pluralit. Benefic. art. 9.

9.) De hoc Conventu ex Thoma Cantipratano loquitur THOMASSINUS p. 2. l. 3. c. 9. n. 9. SPONDANUS ad ann. 1238. n. 15. seq.

Doctrina de Residentia

§. 117. Ex dictis liquet, incompatibilitatem Beneficiorum præcipue oriri ex obligatione residendi. *Residentia* autem est præsentia personæ, seu commoratio assidua, in loco beneficii, ad effectum illi Ecclesiæ personaliter deserviendi. Dividitur in *Veram*, & *Fictam*. Vera vel est *Voluntaria*, quando Beneficiatus non tenetur absolute esse præsens, sed tantum conditionate, si velit percipere fructus; hos si percipere non cupiat, potest abesse, & tamen retinere alia jura Capituli: vel *Necessaria*, quando absolute obligatur esse præsens, sive velit percipere fructus, sive non. Et hæc quidem vel est *præcisa*, ut absque ea retineri titulus Beneficii non possit: vel *causativa*, quando absque illa titulus retinetur. *Ficta* Residentia datur, quando Beneficiatus personaliter quidem præsens non est, fictione tamen Juris habetur pro præsente in ordine ad lucrandos fructus. Tali modo residere finguntur duo Canonici in servitio Episcopi occupati 10.): item operam dantes Theologiæ

10.) C. 15. de Cler. non resident.

logiæ vel Juri Canonico in Universitate publica & probata 11.).

§. 118. Episcopi, Parochi, & alii Curatum Beneficium habentes, tenentur etiam jure Divino & Naturali residere cum effectu in suis Ecclesiis, saltem in thesi, nisi scilicet gravis causa excuset, & alio modo provideatur saluti animarum 12.): dum *Curatorum.*

11.) C. fin, de Magistr. C. 12. de Cler. non resid. Conc. TRID. sess. 5. c. 1. de Reform.

12.) Eruitur ex Concil. TRID, sess. 6. c. 2. & sess. 23. c. 1. de Reform. ubi Synodus sic loquitur: *Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, Verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperumque aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cetera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt &c.* Cur Synodus ex his non expresse declaraverit, mansionem esse Juris Divini, videri potest apud SFORT. PALLAVICINUM Hist. Concil. Trid. lib. 16. c. 4. & alibi.

dum autem Synodus Tridentina Episcopum obligari dicit ad residentiam *in sua Ecclesia vel Diœcesi*, inferri potest, eum satisfacere, si extra locum Cathedralis Ecclesiæ habitet in alio loco suæ Diœcesis 13.). Causæ antem legitimæ, excusantes a Residentia enumerantur Christiana Charitas, urgens Necessitas, debita Obedientia, ac evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas. Nihilominus, quoniam qui aliquantisper tantum absunt, non videntur abesse, permittitur Episcopis absentia ad duos vel tres menses singulis annis, ex alia etiam æqua causa, & absque gregis detrimento, modo non absint Dominici Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes & Corporis Christi diebus. Curati inferiores causa per Episcopum cognita & probata, ac relicto Vicario idoneo, discedendi licentiam ultra bimestre tempus non obtineant: usus autem habet, ut per paucos dies absque petita licentia absint.

§. 119.

13.) Sic Episcopus Augustanus plerumque moratur Dilingæ, & Constantiensis Marisburgi.

§. 119. Canonici & alii Beneficiati non Curati, tenentur quidem ex primæva Ecclesiæ & Fundatorum intentione residere in Ecclesiis suis, & per se ipsos officia Ecclesiastica obire, cum Beneficium detur propter Officium, & olim Clerici per ipsam Ordinationem alligati fuerint obsequio certæ Ecclesiæ. Nihilominus Canonici ex honesta causa, quæ ipsorum conscientiæ permittitur, per tres menses, id est, per 90. dies continuos, vel interruptos, possunt abesse quolibet anno, salvis earum Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt 14.): usus tamen, vel abusus in plerisque Germaniæ Canonicatibus requirit brevius tempus ad lucrandos fructus grossos totius anni. Alia Beneficia simplicia ex consuetudine & tolerantia non requirunt Residentiam personalem; sed potest illis satisfieri per alium, nisi Fundator expressis verbis postulet, ut Beneficiatus per seipsum impositas functiones peragat. Pœnas *Non Curatorum:*

14.) Conc. Trid. sess. 24. c. 12. de Reform.

non residentium constituit Concilium TRIDENTINUM 15.) varias, præsertim restitutionem fructuum perceptorum pro rata temporis absentiæ.

Quoad Distributiones quotidianas.

§. 120. Quæ hactenus de Residentia diximus, respiciunt annuos fructus grossos, ut vocant, seu fructus Præbendæ. Strictior requiritur Residentia & Præsentia in Choro ad lucrandas *Distributiones quotidianas* 16.), quas non solum firmavit, sed etiam ad acuendam Clericorum Diligentiam augeri voluit Synodus TRIDENTINA 17.). Hæ præsentibus in Choro tantum

15.) Locis citatis. Consulantur Commentatores Decretalium ad Lib. III. tit. 4. de Clericis non residentibus, præsertim FAGNANUS. Item Jac. PIGNATELL. tom. 4. Consult. 17. ubi de absentia tempore pestis. FRANCISCUS TORRES, & AMBROSIUS CATHARINUS de Residentia Pastorum, acerbe sibi invicem adversantes. ANTONIUS PAGANUS de Ordine, Jurisdict. & Residentia Episcop. sect. 8. seqq. THOMAS CAMPEGIUS de Resid. Episcop.

16.) Hæ vocantur etiam *Præsentiæ, Victualia, Manualia &c.* c. 7. de Cler. non resid. c. un. eod. in 6.

17.) Sess. 21. c. 3. & sess. 22. c. 3. de Reform.

tum destinantur, ita ut etiam legitime absentes regulariter iis non gaudeant 18.), nisi quos interesse prohibet Infirmitas, justa & rationabilis corporalis necessitas 19.), aut evidens Ecclesiæ utilitas: modo quis stante tali causa, præsens sit in loco Beneficii 20.), & alias consueverit Choro interesse. Nominatim præsens in Choro censetur Canonicus

18.) C. 32. de Præbend. item c. 7. & c. un citatis.

19.) Sub hac necessitate communiter intelligitur dies, quo quis sumit potionem medicam, sanguinem mittit &c. Non autem censetur validum statutum aut consuetudo percipiendi distributiones earum horarum, sub quibus raditur barba, excipitur hospes, invisitur amicus, prout contra Navarrum Tract. de Orat. & Hor. Canon. c. 5. n. 21. & c. 21. n. 64. bene docet MONETA Tract. de Distribut. quotid. part. 2. quæst. 13. n. 45. Unde etiam GARCIA de Beneficiis p. 3. c. 2. n. 245. censet, revocatum esse statutum aut consuetudinem aliquarum Ecclesiarum, in quibus ultra tres absentiæ menses a Concilio Tridentino permissos, datur singulis mensibus unus dies pro tonsione barbæ.

20.) Arg. c. 30. de Elect. in 6.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Pœnitentiarius, dum Confessiones in Ecclesia Cathedrali audit 21.); vel qui in Parochia suo Canonicatui incorporata, Curæ animarum affixus est, nisi alia sit consuetudo vel Statutum Ecclesiæ 22.). Econtra Vicarius Generalis Episcopi, ac duo illi Canonici, quos Episcopus penes se retinere permittitur, censentur quidem residere in loco, ad percipiendos fructus Præbendæ; non autem censentur interesse Choro in ordine ad lucrandas Distributiones: quamvis enim eorum functiones indirecte cedant in utilitatem Ecclesiæ; primario tamen & directe respiciunt sublevamen Episcopi 23.). Sunt tamen

---

21.) Conc. Trid. sess. 24. c. 8. de Reform.
22.) Ibid. sess. 22. c. 3. de Reform.
23.) P. Placidus Böckn de Cler. non resid. n. 49. allegans P. König, hic allegans P. Engl, iste ad cit. tit. n. 11. allegans Rebuffum, ex Concilio Constantiensi sess. 19. desumunt, gaudere Distributionibus quotidianis eos, qui ad Concilium Generale sunt missi; unde etiam plures Conclusiones ob paritatem rationis deducunt: cum tamen hæc Synodus loquatur solummodo de omni-

men Autores, in Distributionibus concedendis adeo liberales, ut binas adstruant illi, qui duplicem in Ecclesia personam gerit, dum obtinet Dignitatem simul & Canonicatum 24.), licet unicam præsentiam unicumque Ecclesiæ servitium præstare possit. Universim hac in re notandum est, opiniones, consuetudines, ac statuta non facile admitti

---

omnibus fructibus & proventibus, cum expressa clausula, *quotidianis distributionibus duntaxat exceptis.* apud HARDUIN. tom. 8. col. 464. ad exemplum Concilii VIENNENSIS, ubi CLEMENS V. Pontifex permittit Capellanis vel Clericis, qui Episcopos ad Concilium comitati fuerant, ut per triennium ad residendum non teneantur, & tamen percipiant reditus & proventus Beneficiorum suorum, *quotidianis Distributionibus duntaxat exceptis* Ibid. tom. 7. col. 1348. Si quis in gratiam alterius a præsentia in Choro impediri se patitur, curet, ut sibi ab eodem compensetur damnum.

24.) Duplicem Distributionem ejusmodi Canonico concedit BARBOSA in Collect. ad c. cum olim. 12. de Sent. & re jud. cum aliis, quos refellit MONETA de Distrib. quotid. p. 2. q. 4. n. 6. seqq.

debere, quæ perceptionem Distributionum ultra casus in jure expressos extendant; sed potius eas restringendas, ut satisfiat fini & intentioni Ecclesiæ ac Fundatorum. Si quis autem absens, nec alio jure percipiendi distributiones munitus, eas nihilominus percipiat, nullum earum dominium acquirit: nec possunt Canonici præsentes eas illi condonare, aut remittere 25.).

Quid de portione Distributionum vacante?

§. 121. Quoad portionem autem ex absentia unius vacantem, variæ fiunt distinctiones. Si cuilibet præsenti in individuo fixa sit certa portio E. G. unius aurei, tunc absentium portiones fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii applicentur 26.), saltem

---

25.) C. un. de Cler. non resid. in 6. Conc. Trid. sess. 24. c. 12. de Reform. ibi: *quavis collusione aut remissione exclusa.*

26.) Conc. Trid. sess. 22. c. 3. de Reform. Conciliationem hujus textus cum verbis ejusdem Concilii sess. 21. c. 3. de Reform. videre licet apud Garciam de Benefic. p. 3. c. 2. n. 459. & seqq. Moneta tr. de Distrib. quotid. part. 3ª q. 6.

saltem pro eo casu, quo distributionum quantitas ab alia massa communi est separata: si autem distributiones desumantur ex quadam massa communi, portio deficiens remaneret apud eandem massam. Si vero in genere certa quantitas præsentibus assignata sit, portio absentium accedit præsentibus jure accrescendi, vel certe non decrescendi. Attendenda

---

q. 6. n. 28. seqq. & alios ibi allegatos. Autores de Beneficiis Ecclesiasticis scribentes, sunt innumeri: Commendari præ ceteris merentur Melchior Lotterius de Re Beneficiaria, Nicolaus Garzias de Beneficiis Eccles. Pyrrhi Corradi Praxis Beneficiaria, Leurenii Forum Beneficiale, Petrus Gregorius *Tholosanus* de Benef. Eccl. Petri Rebuffi Praxis Beneficiorum, Ludovicus Thomassinus de nova & veteri Disciplina Eccles. circa Beneficia. Varii in Tr. Tract. tom. XV. Universim notamus, quo sequiora fuerunt sæcula, eo spissiores de Beneficiis Ecclesiasticis Tomos in publicum esse editos. Faxit Deus, ut eorum usus & utilitas cesset, sopitis sinistris affectibus, ex quibus Beneficia ambiuntur, & lites plurimæ oriuntur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

denda tamen est consuetudo Ecclesiarum, vel mens Fundatorum. Porro quæ dicta sunt de Distributionibus quotidianis, intelligi etiam debent de Largitionibus, quæ in Anniversariis defunctorum præsentibus Clericis, aut etiam aliis fieri solent.

TITULUS IX.

DE ADQUIRENDIS, VEL AMITTENDIS BENEFICIIS.

Confer. Lib. 3. Decretal. tit. 8. Sext. tit. 7. Clement. tit. 3. Extrav. tit. 4.

Item *Lib. 1. Decretal. tit. 9. Sext. tit. 7. Clement. tit. 4.*

§. 122.

Aquiritur Jus in Beneficio, vel ad Beneficium

ADQUIRITUR vel *Jus in Beneficio* per Electionis Confirmationem, Postulationis Admissionem, Præsentati Institutionem & Collationem, ita ut Beneficium fiat proprium Beneficiati, qui obtinet potestatem administrandi illud, etiam ante captam possessionem 27.): vel *Jus ad Beneficium,*

27.) C. 17. de Præb. in 6.

ficium, Electione, Præsentatione, Collatione nondum acceptata, Vigore Gratiæ Exspectativæ, Mandato de providendo, Reservatione in favorem cujusdam, Jure optandi Præbendam pinguiorem, Coadjutoria cum jure successionis.

§. 123. De Electione & Postulatione, earumque Confirmatione & Admissione, item de Coadjutoria dictum est alibi (De Hierarchia Ecclesiastica). *Institutio* nonnunquam late sumitur pro omni Collatione 28.): stricte dicta, est Canonica Ordinatio facta per eum, ad quem spectat, in Beneficio vacante de Clerico per Patronum legitime præsentato. *Collatio* proprie talis est voluntaria Beneficii concessio, Superioris arbitratu sine ulla prævia Electione, Postulatione, aut Præsentatione. *Variis modis:*

§. 124. Quacunque ratione concedatur Beneficium, debet illud prius vacare, *ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum & Beneficium se crediderit successurum* 29.). *Modo vacet Beneficium.*

28.) C. 1. de R. J. in 6.
29.) C. 2. de Concess. Præb. & Eccles. non vacant.

Vacare autem Beneficium dicitur, vel *de Jure tantum*, vel *de facto tantum*, vel *de Jure & de facto simul*; seu quando caret Proprietario, vel Possessore, vel utroque. Vacatio hæc contingit vel *naturaliter* per obitum Beneficiati; vel *civiliter* per Renuntiationem expressam aut tacitam, per privationem Juris aut Hominis; vel *interpretative*, quando Beneficiatus impeditur ab officiis & servitiis peragendis. Quando quis impetrare vult Beneficium, debet exprimere, quod vacet, & quo modo vacet Beneficium. Collatio, imo etiam promissio Beneficii determinati vel indeterminati 30.), quod non *vere* & *de Jure* vacat, est nulla & irrita, licet sit firmata Scriptura vel Juramento 31.). Quamvis hæc Jura absolutam Potestatem Summi Pon-

---

30.) Promissio Beneficii indeterminati *cum potero, cum facultas se obtulerit*, toleratur quidem in c. 14. de concess. Præbend. &c. sed reprobatur in c. 2. eod. in 6. quo Jure, utpote posteriore & prioris derogatorio nunc utimur.

31.) C. 2. 3. 11. 13. de Concess. Præb. &c. C. 2. eod. in 6. Conc. Trid. Sess. 24. c. 19. de Reform.

Pontificis non ligent; nihilominus post Concordata cum Germanis inita, non solet Papa in his partibus conferre Beneficia nondum vacantia.

§. 125. Ne vacante Beneficio Curato saluti animarum præjudicium creetur, *debet Episcopus statim, habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium, cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione, constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore provideatur* 32.). Hæc deputatio Vicarii Episcopo competit in omnibus Ecclesiis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, seu ad quemcunque Collatorem pertinentibus. Portio congrua pro Vicario detrahitur ex Reditibus Ecclesiæ, quiscunque demum ad Reditus vacantis Ecclesiæ jus habeat; nam non aliter possunt ad aliquem spectare, nisi deductis oneribus, inter quæ est portio Vicario debita. Hic sustinere debet onera Ecclesiæ Pastoralia, non autem ea, quæ alias sunt annexa. E. C. si Parochus simul esset Canonicus

In Beneficio Curato vacante constituitur Vicarius:

32.) Trid. loc. cit. c. 18.

nicus in aliqua Ecclesia, Vicarius non fungitur munere Canonici.

Præfixo tempore providetur:

§. 126. Curandum est, ne Beneficia cum detrimento Cultus Divini nimis longo tempore vacent. Unde libera Collatio fieri debet intra sex; Electio intra tres 33.); Præsentatio a Patrono Laico intra quatuor 34.), ab Ecclesiastico intra sex menses 35.):

Patro-

33.) Intelligitur Electio proprie dicta in Cathedralibus & Regularibus Ecclesiis: nam ad Ecclesias inferiores non est proprie Electio; sed observatur tempus Collationi, vel Institutioni præfixum, licet Collatio vel Præsentatio fiat collegialiter per plura suffragia.

34. In summis Principibus non attenditur scrupulose ad tempus. GARCIA de Benefic. part. 10. c. 2. n. 34. in fin. BARBOS. de Offic. Episc. p. 3. alleg. 72. n. 137. Card. de LUCA de Jure Patron. disc. 64. n. 4. videntur quidem solum loqui de Rege Hispaniæ: sed ex paritate rationis hoc intelligitur de omnibus summis Principibus, utpote qui *præsumuntur occupationibus distracti, & negotiis variis impediti.* CASTROPAL. tract. 13. de Benefic. Eccl. disp. 2. punct. 5. n. 4. Alii Patroni privati probare impedimentum debent.

35.) C. 3. 22. 27. de Jure Patron.

Patronatui mixto ex Laicis & Ecclesiasticis concedi semestre, æquius videtur. Post factam Præsentationem, non invenitur præfixum tempus Institutioni: ex generali tamen doctrina vacare Beneficium non deberet ultra sex menses. Beneficia vacantia apud Sedem Apostolicam confert Pontifex intra mensem a die vacationis numerandum, quo elapso non impedit Collationem Ordinarii 36.): Vacantia in Mensibus Papalibus confert intra tres Menses a die notæ vacationis in loco Beneficii 37.). Si Beneficium curatum, Sedi Pontificiæ reservatum, vacare incipiat eadem Sede vacante, vel saltem Pontifice moriente de eodem nondum sit dispositum, mox subintrat Ordinarius Collator 38.). Idem in

36.) C. 3. de Præb. in 6.

37.) Gregorius XIII. declaravit sufficere, modo Collatio sit facta intra tres menses a tempore notæ in loco Beneficii vacationis numerandos; licet executio nondum sit facta in loco Beneficii. Vid. Nicolarts prax. Benefic. fol. 150. seqq. Germani tamen vix permoveri possunt, ut hac declaratione absque suo præscitu facta, stringi se credant.

38.) C. 35. de Præb. in 6.

in praxi extenditur ad alia Beneficia non Curata, Pontifici reservata 39.). Quando Ordinarius Collator tempus præfixum elabi patitur, locum habet *jus Devolutionis* ad immediate Superiorem: in Beneficiis autem liberæ Collationis devolvitur Jus ab Episcopo ad Capitulum. Si Præsentationem Patronus præfixo tempore non fecerit, Episcopus libere confert Beneficium: si alius habeat jus nominandi, alius præsentandi, Episcopus merito respicit ad factam nominationem, moras ducente Patrono Præsentante.

Et conceditur possessio.

§. 127. Si Beneficium quoad titulum sit collatum, restat, ut concedatur etiam possessio, sola quidem Auto-

39.) Joan. a Chokier Comment. in Reg. 8. Cancell. n. 28. & Nicolarts Prax. Benefic. tit. 1. dub. 11. §. 2. laudant S. Sedis Apostolicæ cum Ordinariis Germaniæ benignitatem, quod etiam sibi soli legem statuendo contra jus commune, patiatur devolutionem fieri a supremo ad inferiorem. Verum in ejusmodi casibus locum non habet jus devolutionis: sed solummodo removetur Reservatio, quæ impediviſſet Ordinarium a Collatione.

Autoritate Eccleſiaſtica quoad Jus ſpirituale; nonnullibi autem interveniente etiam Autoritate Principis Laici quoad Jura temporalia. Sæpe contingit, ut poſſit conferri titulus, altero, qui forte aliud incompatibile obtinuit, adhuc remanente in Poſſeſſione, quamvis ipſo jure Beneficium vacare cenſeatur. In ejusmodi caſu circa Poſſeſſionem obſervandum eſt, quod ſupra dictum (Tit. præced. VIII. §. 115. in fin.).

§. 128. Cum de aliis modis acquirendi Beneficium alibi ſit ſermo, brevem hoc loco mentionem facimus de *Optione Canonica*. Optio autem, prout huc pertinet, eſt Jus Capitulo, ſeu Collegiali Eccleſiæ ex conſuetudine vel Statuto competens, ut antiquiores gradatim vacantem præbendam, quæ reſervata non ſit 40.), propria dimiſſa, intra cer-

Aquiritur etiam Beneficium per Optionem:

40.) Ex paritate rationis non datur jus optandi Beneficia Patronata. An autem in Præbendis ex cauſa permutationis, vel reſignationis vacantibus locum habeat optio, videri poteſt Petrus de Ural-

certum tempus eligere possint 41.). Ista potestas toti Collegio dat jus ad rem: per ipsam vero optionem actualiter secutam acquiritur jus in re. Optio quidem proprie ac principaliter locum habet in Canonicatibus: nonnunquam ad alia extenditur. Sic Cardinales possunt optare vacantem Titulum in eodem Ordine: vel etiam ascendere ad superiorem 42.): Equites Melitenses pinguiorem Commendam: Canonici meliores ædes. Regulariter Optio debet fieri intra viginti dies a tempore cognitæ vacationis. Ordo autem, quo Canonici admittuntur ad Optionem, varius est in variis Ecclesiis: nam vel Turnus observatur

ab

Ubaldis de Permut. Benefic. n. 92. seqq. Hier. Gigas de Pensionib. quæst. 63. n. 14. uterque habetur Tr. Tr. tom. 15. p. 1. Leuren. for. Benefic. p. 3. q. 292. Flam. Parisius de Resign. benef. lib. 1. q. 4. n. 55. & lib. 2. q. 20.

41.) Desumitur ex C. fin. de Consuet. in 6.

42.) Vid. Sixti V. Constit. postquam verus. 50. §. ut vero. 8. Card. de Luca Relat. Cur. Rom. discurs. 5. n. 29. & 31. Hierarch. Eccles. §. 268.

ab antiquiore gradatim ad noviſſimum; vel ubi diverſi ſunt Ordines Presbyterorum, Diaconorum & Subdiaconorum, primo loco optandi jus habet primus Presbyter, dein primus Diaconus, poſt hunc primus Subdiaconus, quem ſequitur ſecundus Presbyter & ſic deinceps, ita ut etiam conſtitutus in ordine inferiori poſſit optare Præbendam Presbyteralem vacantem, modo fiat Presbyter 43.). Sicut autem Optio non profluit ex Jure communi, ſed potiſſimum ex conſuetudine & Statu-

O tis

43.) Per diverſos ordines Præbendarum vel Titulorum, non ſemper intelliguntur Ordines Sacramentales: ſed tantum diverſæ claſſes eorum, qui aliquod Collegium conſtituunt. Sic multi ex Cardinalibus Presbyteris ſunt Epiſcopi, uti defacto omnes noſtri Cardinales in Germania; non tamen ſunt in ordine Cardinalium Epiſcoporum, donec obtineant Epiſcopatum, cui Cardinalatus eſt annexus. Multi etiam Cardinales Diaconi ex devotione aſſumunt Presbyteratum, & tamen manent in ordine Cardinalium Diaconorum, ut obſervavi in libello de Hierarch. Eccleſ. §. 268.

tis Ecclesiarum: ita etiam hæ Consuetudines & Statuta particularia debent esse unica regula, cui conformatur jus optandi observata tamen æquitate, ubi nihil clare est decisum 44.).

Et Permutationem:

§. 129. Inter modos acquirendi Beneficium numerari solet *Permutatio.* De Permutatione aliarum rerum Ecclesiasticarum redibit sermo, ubi de Contractibus: hoc loco agendum de Permutatione Beneficiorum, cui nomen hoc proprie non convenit, quia traditio Beneficiorum non potest fieri ab ipsis permutantibus; sed ab iis, ad quos pertinet admissio Resignationis & Collatio Beneficii. Nam si Permutatio hæc consideretur intuitu permutantium, intelligitur hoc nomine Resignatio conditionalis, ut loco unius Beneficii obtineatur aliud: ex parte autem admittentis, est quædam translatio personarum de uno beneficio ad

44.) Varia de Jure optandi cumulat Joan. Petrus Moneta tract. de optione Canonica. Passerinus ad Cap. fin. de Consuet. in 6.

ad aliud Superioris autoritate facta, ita ut Permutatio contineat simul acquisitionem & amissionem Beneficii. De hoc observanda sunt sequentia.

Circa quam varia

§. 130. I. Omnia Beneficia possunt permutari. Si quis habeat solummodo jus ad rem, proprie non permutat Beneficium, quod nondum habet in re: nihilominus potest permutare jus ad rem cum jure alterius. II. Permutatio debet esse inter duos, non triangularis vel quadrangularis 45.). III. Requiritur autoritas Superioris Ecclesiastici, sine qua Permutatio esset invalida; quia Clerici privati non possunt propria autoritate de suis Beneficiis disponere, neque aliena invadere: possent tamen prævie inter se de Permutatione tractare, & si beneficia ex causa permutationis resignant Superior Ecclesiasticus non posset ea conferre aliis, quam ipsis permutare volentibus: alia enim collatio esset nulla 46.). Superior legitimus est

45.) Boëtius Epo in Commentar. de Saturnino Permutationis Beneficialis etiam Triangularis jure n. 333. seqq.

46.) Clem. un. de rer. permut.

Episcopus, vel habens Jurisdictionem quasi Episcopalem, uti etiam Capitulum Sede vacante, nisi ageretur de Beneficio, quod pertinet ad liberam Collationem solius Episcopi; sicuti Episcopus non potest permittere Permutationem Beneficiorum, quæ Papæ sunt reservata, vel quæ sunt Commendata, cum etiam ista sint affecta.

Sunt observanda.

§. 131. IV. Insuper requiritur justa causa, quæ saltem indirecte & consecutive respiciat utilitatem Ecclesiæ. Talis est insalubritas aëris, debilitas valetudinis, aversio populi, & universim si *personæ, quæ uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere* 47.): nam Permutatio est contra jus commune 48.): Episcopus autem cognita & probata causa potest dispensare 49.). V. Accedere etiam debet consensus eorum, ad quos Collatio, Præsentatio, vel Electio pertinet: in horum enim præjudicium nihil fieri debet. VI. Gratiæ exspectativæ, Preces primariæ Im-

47.) C. 5. de rer. permut.
48.) C. 8. de Præbend.
49.) Cit. c. 5.

Imperatoris, non impediunt Beneficiorum Permutationem. Nihilominus Preciſta poſſet ex conjecturis opponere, quod permutatio facta ſit in fraudem, cujus ſuſpicionem tollit autoritas Superioris ſaltem tunc, quando non agitur de præjudicio tertii 50). VII. Abeſſe debet omnis Simoniaca pactio, qualis eſſet, ſi peteretur compenſatio pinguiorum redituum 51.). Poteſt tamen ex juſta cauſa uni imponi penſio. VIII. Si Permutatio utrinque non haberet effectum, poterit uterque ad ſuum Beneficium redire ſine nova collatione 52.). Si culpa unius intercedat, deceptus debet reſtitui 53.).

§. 132. Dictum hucusque de Acquirendis, nunc pauca dicenda reſtant de Amittendis Beneficiis. Fit *Amittitur Beneficium*

50.) Garcia de Benefic. p. II. c. 4. n. 101.
51.) P. Pichler ad Tit. de Rer. permut. n. 8. ſeq. Non obſtat C. 6. eod.
52.) Flam. Paris. de Reſign. benef. lib. 1. q. 14.
53.) C. 8. de Rer. permut. Materiam de Permutatione Beneficiorum plene tractant Canoniſtæ ad lib. III. Decretal. tit. 19. de Rer. permut. Passerinus & Gam-

per Renuntiationem, hæc extra casum delicti, regulariter per Renuntiationem aut Resignationem. Per istam hoc loco intelligitur *libera ac spontanea dimissio Beneficii obtenti, facta ex justa causa & coram legitimo Superiore eam acceptante.* Per eam amittitur omne jus in Beneficio competens, proprietas, titulus & possessio. Vacare igitur censetur Beneficium resignatum, & quidem vacare in Curia, si in manus Pontificis resignatur. Est vel *Tacita*, ex dispositione Juris, voluntatem renuntiandi ex certo actu præsumentis, e. g. si Beneficiatus in minoribus Ordinibus contrahat matrimonium, etiam invalidum: si fiat miles sæcularis: si consequatur possessionem secundi Beneficii incompatibilis: si consentiat, ut Beneficium suum conferatur alteri. Vel *Expressa*, quæ iterum vel est *pura* sine ulla conditione aut modo: vel *Conditionalis*, si

---

Gammarus ad eundem in 6. Bellamera & alii inserti Tract. Tract. tom. 15. part. 1. Azor Instit. Moral. p. 2. lib. 7. c. 29. 30. Tuschus Practic. Concl. Vol. 6. Lit. P. concl. 303. & seqq. Lessius de J. & J. lib. 2. c. 34. dub. 36. & c. 35. dub. 17.

si fiat in favorem certæ personæ, aut ex causa Permutationis : si reserventur fructus, pensio, Regressus, Accessus aut Ingressus.

§. 133. Renuntiatio debet esse I. *Debito libera*, id est, pura absque aliqua pactione, conditione & modo, proveniente ab ipso Resignante: quamvis de voluntate Papæ possit ejusmodi conditio aut modus adijci, ita ut habeatur jus a voluntate Papæ, non a Resignante. II. *Spontanea*, excludens vim, dolum, metum : gravi metu extorta, saltem pro foro externo, nullius est roboris. Potest quis tamen cogi a legitimo Superiore ad dimittendum Beneficium, pro tollendo scandalo, vel si quis privari eo posset; aut sit inutilis Ecclesiæ. III. *Beneficii obtenti*; privatio enim supponit habitum. IV. Requiritur justa causa, qualis respectu Episcoporum est *Conscientia criminis*, *Debilitas Corporis*, *Defectus scientiæ*, *malitia plebis*, *grave scandalum*, *Irregularitasque personæ*: *sed in his omnibus est observanda cautela* 54.). Ingressus *modo factam*:

54.) C. 10. de Renuntiat. ubi Innocentius III. indicat cautelas in his causis observandas.

greſſus in Religioſum Ordinem non eſt ſufficiens cauſa relinquendi Epiſcopatum 55.); bene autem eſt cauſa relinquendi Beneficium aliud inferius, etiam invito Epiſcopo, qui prudenter non poteſt conſenſum negare 56.): ſufficiunt quoque aliæ cauſæ minores, ſenium, valetudo, vitium corporis, cenſura, crimen &c. 57.). V. Debet fieri in manibus *legitimi Superioris.* Talis eſt reſpectu Reſignationis *puræ* & ſimplicis ille, qui habet poteſtatem inſtituendi ſimul & deſtituendi, hoc eſt, deponendi inſtitutum: reſpectu Reſignationis *conditionalis* eſt Summus Pontifex

55.) C. 18. De Regularib. Synodus Provincialis INGELHEIMENSIS Anno 972. non indulſit, ut S. UDALRICUS relicto Epiſcopatu Auguſtano, ingrederetur Ordinem S. Benedicti, ut narratur in ejus Vita C. 10. in Actis Sanctorum tom. 2. Julii fol. 116.

56.) C. un. XIX. q. 1. c. 2. ib. q. 2. & cit. c. 18. de qua re legi meretur prolixa Epiſtola BENEDICTI XIV. ad Cardinal. Quirinum. Tom. 2. Conſt. 25.

57.) Vid. Bulla PII V. 58. *Quanta Eccleſiæ.*

tifex 58.), excepta Resignatione per viam Permutationis, & sub onere Pensionis moderatæ ex legitima causa per Episcopum imponendæ: nam omnes pactiones circa Beneficia generaliter prohibentur 59.); & Resignationes in favorem habent speciem hæreditariæ successionis, quam Canones detestantur, præsertim quando reservatur Regressus, Accessus, vel Ingressus 60.): Potest tamen

58.) C. 16. VIII. q. 1. C. 1. de conceff. præb. non vacant. Conc. Trid. Sess. 25. c. 7. de Ref. Pius V. Const. 134.

59.) C. 4. 6. & fin. de Pactis.

60.) *Regressus* est, quando Papa concedit, ut si Resignatarius præmoriatur, Beneficium resignatum revertatur ad resignantem. *Accessus*, quando ille cui conferendum esset Beneficium, propter ætatis immaturitatem capax non est, & ideo Papa confert alteri, donec ille efficiatur habilis perveniendo ad legitimam ætatem, qua adveniente, poterit propria autoritate accedere ad illud beneficium. *Ingressus* est, si Papa contulerit mihi Beneficium, ego autem, antequam capiam possessionem, illud resignem, concedente Papa, ut, si Resignatarius moriatur, ego ingrediar meum Beneficium, quod nunc resigno.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pure resignans, Episcopo certam personam commendare. Si quis habeat solum jus ad rem per Præsentationem, Electionem &c. non opus habet consensu Superioris; uti nec ad dimittendum Beneficium litigiosum.

Regulariter quilibet renuntiare suo Beneficio potest:

§. 134. Regulariter cuique liberum est proprio Beneficio renuntiare. Ex stylo tamen Curiæ Romanæ non admittitur Renuntiatio Beneficii Parochialis, vel alterius personalem residentiam requirentis, nisi quis illud saltem possederit per quinque annos: nec illius, ad cujus titulum quis est ordinatus, nisi aliunde habeat, unde commode possit vivere. Non valet Renuntiatio infirmi infra viginti dies decedentis 61.). Clericus impubes sine autoritate Tutoris, & Decreto Superioris non renuntiat 62.); bene autem Minor viginti quinque annis, cui, si læsum se queratur, an detur Restitutio, mul-

61.) Juxta Reg. Cancell. de infirmis resignantibus.

62.) Colligitur ex c. 2. de ætat. qualit. & ord. præfic. c. fin. de Judic. in 6.

multi disputant 63.) : non videtur ea deneganda, quando Beneficium nondum est alteri collatum ; imo etiamsi sit collatum, quando Minor læsus fuit ex facto illius, cui collatum est. Renuntiatio Novitii, Professione non secuta, non sortitur effectum 64.). Etiam Summus Pontifex potest renuntiare Papatui 65.). Beneficia illius, qui a Pontifice vel per Confirmationem, vel alia ratione promovetur ad Episcopatum, esse reservata eidem Pontifici, constat ex Concordatis Germaniæ : an vero electus in Episcopum, ante obtentam Confirmationem renuntiare Beneficiis suis possit, quærunt Doctores. Scriptores Romani fieri id nequaquam posse, ex Regula Cancellariæ

63.) Vid. Flam. Paris. de Resign. Benef. lib. 3. q. 7. Garcia de Benef. p. 11. c. 3. n, 59. seqq.

64.) Conc. Trid. Sess. 25. c. 16. de Regular.

65.) C. 1. de Renunt. in 6. Glossa in hanc Decretalem, uti & Augustinus Triumphus de Summa Potest. Eccles. quæst. 4. afferunt exempla quatuor Pontificum renuntiantium, scilicet Clemen-

lariæ *de Beneficiis vacaturis per promotionem*, etiam pro Germania pronuntiant: sed contraria est praxis plerorumque Capitulorum, quæ credunt, Beneficia Germaniæ non contineri sub Regulis Cancellariæ: in Concordatis autem id non inveniri decisum 66.).

Deberet etiam §. 135. Resignatio Beneficiorum 67.) publicari debet in Germania intra

---

MENTIS, CYRIACI, MARCELLINI & COELESTINI: de solo hoc ultimo constat, *in quo etsi esset sanctitas, deerat scientia & industria*, ut loquitur ALVARUS PELAGIUS de Planctu Eccles. lib. 2. art. 10. Posset addi JOANNES XXIII. in Concilio Constantiensi.

66.) Decisio Rotæ, quam adducit BRANDEN super Concord. fol. 51. seq. CHOKIER ad Reg. 24. alias 25. Cancell. n. 19. seqq. NICOLARTS Prax. Benef. ex Concord. tit. 1. dub. 1. §. 23. agit de Præpositura, quæ utpote prima Dignitas post Pontificalem, expresse est reservata: unde ab ea non potest duci argumentum ad alia Beneficia.

67.) Juxta Reg. Cancell. *de publicandis Resignationibus*. & Constit. 85. GREGORII XIII.

Hanc materiam pleniſſime tractat FLAMINIUS PARISIUS duobus Tomis de Resig-

tra novem menſes a die conceſſæ gratiæ, ſi Reſignatio ſit facta in Curia Romana: ſi vero coram Ordinariis, publicanda eſt intra tres menſes a die collati Beneficii; in Eccleſia Cathedrali, vel etiam ſimul in Parochiali, ſi Beneficium intra limites Parochiæ ſitum ſit. In quibusdam Diœceſibus ejusmodi Publicationes ſolemnes ex conſuetudine omittuntur: Epiſcopi autem eſt providere, ne executio nimium differatur. Poteſt etiam Publicatio urgeri ab eo, cujus intereſt, ſi nimias moras in fraudem necti videat.

publicari Reſignatio.

TITU-

Reſignatione Beneficiorum. & omnes ſcribentes ad Tit. Decretal. de Renuntiatione.

TITULUS X.

DE PROVISIONE PONTIFICIA.

Confer. Lib. 1. Decretal. tit. 3. Sext. tit. 3. Clement. tit. 2.

§. 136.

Provisio Pontificia per Exspectativas & Reservationes

PROVISIO circa Beneficia fit vel *per Summum Pontificem*, vel *per Ordinarium* Collatorem inferiorem. Multa mentio apud Canonistas est de *Mandatis Apostolicis*, quibus Romanus Pontifex de Beneficiis provideri mandat, unde vocantur *Mandata de Providendo*. Si hæc in favorem alicujus determinati dentur ad Beneficium *vacaturum*, dicuntur *Exspectativæ*: quando autem Papa suæ dispositioni Beneficia reservat, & prohibet Collatores ordinarios ad eorum Collationem advenientе vacatione procedere, vocantur *Reservationes*. In Collectionibus SS. Canonum de ejusmodi Mandatis nihil reperitur ante tempora Alexandri III. 68.). Morosis Collatoribus da-

68.) Notat hoc FRANC. FLORENS ad lib. III. Decretal. Tit. V. tom. 2. fol. 307. Formulam eorum temporum reperimus in

dabantur *Monitoriæ*, dein *Præceptoriæ*, demum *Executoriæ* 69.). Dabantur hæc Mandata pro pauperibus, qui Beneficio carebant, & ideo dicebantur data *in forma pauperum*, *in forma communi*, vel in forma *cum ſecundum Apoſtolum* 70.).

§. 137. Si formulam ſcribendi reſpiciamus, aliqua Pontificia Proviſio vocatur in forma *Dignum* 71.), qua Pontifex concedit Beneficium ſupplicanti, ſi poſt diligentem examinationem Ordinarius idoneum repererit. *Sub variis formulis*;

Hæc

in Epiſtola 43. ALEXANDRI III. adjecta Epiſtolis PETRI *Cellenſis*, ubi commendatur Abbati & Capitulo S. Remigii quidam Clericus his verbis: *Caritati veſtræ preces affectuoſas porrigimus* &c. Ibid. Epiſt. 7. *Commendamus rogantes, & rogando mandantes &c.*

69.) C. 30. 37. 39. de Reſcript.

70.) Talem adhibet INNOCENTIUS III. C. 16. de Præbend. De hac forma videri poteſt REBUFFUS Prax. Benefic. part. 1. tit. de Reſcript. in forma comm.

71.) Nomine ſumpto a primis verbis Reſcripti: *Dignum arbitramur, & congruum, ut illis ſe reddat Sedes Apoſtolica gratioſam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter ſuffragantur &c.*

Hæc forma vel est *Antiqua*, qua usus est Pontifex circa Beneficia sibi aliunde non reservata: vel *Novissima*, qua expediuntur Provisiones de Beneficiis reservatis Sedi Apostolicæ; & præstituuntur Executori triginta dies, intra quos Provisionem facere tenetur 72.), *Visis* Literis Apostolicis, & *Visa* informatione de verificatione precum &c. 73.). Alia Provisio dicitur in forma *Gratiosa*, qua Pontifex de capacitate Oratoris sat instructus ab-

---

72.) Vid. Constitutio Pii V. apud Flamin. Parisium de Resign. Benefic. lib. VIII. q. 7. n. 197. De Executione harum Literarum vid. Thomas de Rosa de Executor. Liter. Apost. fol. 451.

73.) De *Visa* Ordinarii plura habet Fevret de Abusu lib. III. c. 4. Putant aliqui cum Van Espen p. 2. tit. 24. c. 1. n. 2. tali Rescripto non providere Papam de Beneficio, sed potius mandare, ut Ordinarius provideat, unde dici posse Mandatum *de providendo*. Alii sentiunt, vere providere Pontificem; sed conditionate, si Ordinarius eum idoneum repererit: hinc quando Episcopus instituto Examine expedierit *Visa*, collatum supplicanti censetur Beneficium

absolute ipsi providet de Beneficio, sine ulla commissione super Examine per Ordinarium faciendo 74.).

Generales & speciales.

§. 138. Exspectativæ & Reservationes primum erant *speciales* circa determinatum aliquod Beneficium: demum etiam factæ sunt *generales* de toto aliquo genere Beneficiorum. Sic CLEMENS III. reservavit sibi *Collationem Beneficiorum apud Sedem Apostolicam vacantium*, allegans antiquam consuetudinem 75.); eandem reservationem renovavit BONIFACIUS VIII.

P &

---

cium a die Mandati Romæ expediti. Verius dici potest, Ordinarium conferre Beneficium Autoritate Apostolica, juxta tenorem Literarum Pontificiarum: *Ecclesiam eidem autoritate nostra conferas & assignes, inducens eundem in corporalem possessionem &c.*

74.) Hæ Literæ inscribuntur ipsi supplicanti hac forma: *Vitæ & Morum honestas, aliaque laudabilia probitatis & Virtutum merita nos inducunt &c. &c.* Si Orator sit Doctor aut Licentiatus in altiori scientia, tunc scribitur: *Literarum scientia, vitæ & morum honestas &c.* Si Regularis; *Religionis Zelus, vitæ merita &c.* Si Nobilis; *Nobilitas generis &c.*

75.) C. 2. de Præbend. in 6.

& CLEMENS V. 76.): ampliaverunt JOANNES XXII. & BENEDICTUS XII. 77.).

Unde variæ Regulæ Cancellariæ.

§. 139. Exinde ortæ sunt variæ Regulæ Cancellariæ, ubi de Reservationibus disponitur. *Prima* innovat Reservationes Constitutionis *Ad Regimen*, & *Execrabilis*. *Secunda* reservat generaliter omnes Ecclesias Episcopales, nec non Monasteria Virorum, valorem annuum ducentorum florenorum auri communi æstimatione excedentia: item Beneficia omnia post obitum Collatorum vacantia. *Tertia* extendit reservationem Beneficiorum per assecutionem pacificam vacaturorum. *Quarta* reservat Dignitates majores post Pontificales in Cathedralibus, & Principales in Collegiatis Ecclesiis: item Beneficia Familiarium Papæ & Cardina-

76.) Extrav. 1. & 3. inter Commun. de Præbend.

77.) Extrav. *Execrabilis*. 4. & *ad Regimen*. 13. ibid. Querelas Anglorum de his Reservationibus, & Responsum Clementis VI. legere est apud ODORIC. RAYNALD. ad ann. 1343. n. 90. & ann. 1344. n. 55. seqq.

dinalium. *Quinta*, *Sexta* & *Septima* Beneficia variorum Curialium. *Octava* Canonicatus & Præbendas in Eccleſiis S. Joannis Lateranenſis, Principis Apoſtolorum, & B. Mariæ Majoris de Urbe. *Nona*, Beneficia octo Menſium, ſeu ſex Menſium intuitu Epiſcoporum in ſua Diœceſi reſidentium 78.). Cum autem inter alia Jura Pontificis circa Beneficia numeretur etiam Jus præventionis; & hac occaſione poſſent multæ fraudes obrepere, ut pro Beneficiis ſupplicetur Romæ jam ante obitum Beneficiati, quo artificio fere ſemper efficeretur, ut Romana Curia præ-

78.) Numeratæ ſunt hæ Regulæ juxta exemplar editum ſub CLEMENTE XII. Anno 1730. Cum autem Reſervationes in iis contentæ non tangant Germanos, niſi quatenus conformes ſunt Concordatis Germaniæ; ideo a longiori Commentario abſtinemus. Videri poſſunt QUINTILIAN. MANDOSIUS, & JOANNES A CHOKIER Comment. in Regul. Cancell. Apoſt. HIER. GONZALEZ ad Regul. octav. Cancell. VAN ESPEN Jur. Eccl. part. 2. tit. 23. c. 4. ſeqq. LEUREN. Fori Benefic. part. 2. ſect. 3. c. 1. §. 4. ſeqq.

veniat Episcopum in conferendo Beneficio: hinc provide statuitur Regula trigesima, quæ inscribitur *de verisimili notitia*, statuiturque, omnes gratias de Beneficiis per obitum vacantibus factas, nullius roboris esse, nisi post obitum, & ante Datam gratiarum hujusmodi tantum tempus effluxerit, quod interim vacationes ipsæ de locis, in quibus personæ prædictæ decesserint, ad notitiam Papæ verisimiliter potuerint pervenire.

Contra Reservationes sæpius actum:

§. 140. Tempore magni Schismatis ad finem Sæculi XIV. & initium Sæculi XV. auctæ sunt hæ Reservationes, cum singuli qui se pro Pontifice gerebant, fautores suos vellent gratiis cumulare. Actum est contra eas in Concilio CONSTANTIENSI, sed nihil definitum 79.). Acrius instite-

79.) Tempore hujus Concilii de Reservationibus scripserunt NICOLAUS DE CLEMANGIIS tract. de Ruina Ecclesiæ c. 5. seqq. PETRUS DE ALLIACO Monita de necessit. Reform. Eccles. c. 3. 6. 7. 9. 10. item de Regim. Eccles. ZABARELLA, GERSON de Jurib. Eccles.

stiterunt Patres Concilii Basileensis 80.) qui abrogaverunt omnes Reservationes, *Reservationibus in Corpore Juris expresse clausis* 81.), *& his, quas in terris Romanæ Ecclesiæ ratione directi seu utilis dominii mediate vel immediate subjectis fieri contigerit, duntaxat exceptis.* Quam Constitutionem Galli ambabus ulnis amplexi sunt 82.).

§. 141. Germani per Concordata inter Nicolaum V. & Fridericum Imp. inita, receperunt inprimis Reservationes Juris scripti, & contentas in Extravagantibus *Execrabilis*, & *Ad Regimen*, ita modificatis, ut reserventur omnes Dignitates & Beneficia vacantia apud Sedem Apostolicam 83.): item vacantia per obitum Cardinalium aut Officialium

Moderatio adhibita in Concordatis Germaniæ.

80.) Sess. 23. c. 6.

81.) Extravagantes *Execrabilis* & *ad Regimen* censentur esse extra Corpus Juris.

82.) Modificationem aliquam attulerunt Concordata Galliæ inter Leonem X. & Franciscum I. inita Anno 1516.

83.) Circa hæc Beneficia locum habet moderatio C. 3. de Præbend. in 6. *ut ii, ad quos eorundem Beneficiorum & Dignitatum spectat collatio, demum post mensem a die,*

ejusdem Sedis, nec non verorum Commensalium Papæ 84.): Beneficia etiam eorum, qui Autoritate Pontificia promoventur ad Regimen, quo obtento Beneficia priora vacant: item qui eadem Autoritate deponuntur, privantur, transferuntur, vel quarum Electio cassatur, Postulatio repellitur, Renuntiatio admittitur, seu Electio intra tempus Constitutionis NICOLAI III. 85.) Sedi Apostolicæ præsentata non fuit. Insuper reservantur majores Dignitates post Pontificales in Cathedralibus, & Principales in Collegiatis Ecclesiis: item Beneficia alternis Mensibus vacantia; de his tamen, si

---

a die, quo Dignitates seu Beneficia ipsa vacaverint, numerandum, ea conferre valeant. Declaratio autem hujus Reservationis habetur c. 34. ibid.

84.) Quinam sint veri Commensales Pontificis ad hunc effectum, recensuit PAULUS III. Const. 3. anno 1534. subjuncta declaratione anno 1543. item JULIUS III. Const. 21. ann. 1554. add. FLAM. PARISIUS de Resignat. Benefic. lib. 2. q. 16. n. 36. seqq.

85.) C. Cupientes 6. de Elect. in 6.

si intra tres Menses a die notæ vacationis in loco Beneficii, non apparuerit, quod alicui de illo Apostolica Autoritate provisum fuerit, Ordinarius Collator disponere potest. Promittit autem Pontifex, quod per quamcunque aliam Reservationem, Gratiam exspectativam, aut *quamvis aliam dispositionem* 86.) non sit impediturus, quo minus de ceteris Dignitatibus & Beneficiis libere disponatur per illos, ad quos eorum Collatio, Provisio, Præsentatio, Electio seu quævis alia dispositio pertinet.

§. 142. Circa hæc tamen variis posterioribus Indultis, vel Transactis, aut consuetudine in favorem quarundam Ecclesiarum multa introducta fuerunt e. c. ut Præpositura, quæ in his Regionibus major censetur Dignitas post Pontificalem, pluribus *Quibus per posteriora Indulta frequenter derogatum.*

86.) His verbis videtur excludi Jus Præventionis, quod tamen circa Beneficia, de quibus Pontifex intra tres Menses non providit, vigere in Germania docet Nicolarts Prax. Benefic. fol. 155. Chokier ad Regul. Cancell. fol. 117. n. 5.

ribus Capitularium ſuffragiis conferatur: ut Pontificia Collatio alternativorum Menſium fere ad ſolos Canonicatus reſtringatur, vel etiam quibusdam Epiſcopis, imo & Principibus Laicis 87.) competat nominatio in iisdem Menſibus: ut in Collatione Eccleſiarum Parochialium ſe non immiſceat Sedes Apoſtolica, etiamſi illæ nec ad Præſentationem Patronorum Laicorum, nec per Concurſum conferantur: ut Dignitates & Officia, quæ ſimul cum Canonicatu vacant in Menſibus Papalibus, paſſim per ſuffragia Capitularium concedantur, Pontifex autem ſolum provideat de Canonicatu 88.).

§. 143.

87.) In Bavaria Seren. Duces in Collegiatis Eccleſiis nominant ad principales Dignitates, & etiam in Menſibus Papalibus ad Canonicatus, ac quasdam Parochias.

88.) Quamvis vi Concordatorum poſſet Pontifex de ejusmodi Dignitate vel Officio ſimul cum Canonicatu diſponere, ob plura tamen præjudicia, cenſent Capitula Germaniæ ſe habere jus quæſitum.

§. 143. Poſtquam de Reſervatio- *Exſpec-*
nibus Pontificiis dictum eſt, pauca *tativæ*
notari oportet de *Exſpectantiis* juxta *per Tri-*
hodiernam Germaniæ praxin. Uſum *denti-*
& Abuſum Gratiarum Exſpectativa- *num*
rum, poſt multas Germanorum in- *tandem*
ſtantias, penitus ſuſtulit Concilium *ſublatæ*
TRIDENTINUM 89.), cujus Decreto *ſunt.*
etiam prohibitum videtur, ne aſſu-
matur Canonicus ſupernumerarius
ad vacaturam Præbendam 90.): ſunt
tamen aliquæ Eccleſiæ tam Colle-
giatæ, quam Cathedrales, quarum
reditus variis fatis adeo acciſi ſunt,
ut ſolum Senioribus provideri de iis
poſſit. De his non intelligitur De-
cretum Tridentinum, uti nec de
Coadjutoriis Epiſcoporum cum ju-
re ſucceſſionis, quæ nonnunquam
in Germania concedi debent Auto-
ritate Pontificia.

89.) Seſſ. 24. c. 19. de Reform.

90.) In quibusdam Eccleſiis, nominatim in Cathedrali Conſtantienſi viget adhuc antiquus mos aſſumendi quosdam Canonicos *Exſpectantes*. Extra legitimam talem conſuetudinem, Canonicus ul-

Exſpectativarum ſpeciem habent Primariæ Preces Imperatoris:

§. 144. Una adhuc viget Exſpectativarum ſpecies per *Primas*, ſeu *Primarias Preces* Imperatoris 91.) qui poſtquam ad hanc Dignitatem legitime eſt aſſumptus, habet jus nominandi perſonas idoneas Collatoribus ad Beneficia vacantia, vel vacatura in Eccleſiis Romano-Germanici Imperii intra menſem admittendas. Has Primarias Preces Decreto Tridentino non comprehendi cenſuit S. Congregatio CARDINALIUM CONCILII TRIDENTINI 92.), quia Imperator ſpeciali mentione dignus ibi non

---

ultra præſtitutum numerum contra prohibitionem Concilii Tridentini aſſumptus, non poſſet prætendere Jus ad proxime vacaturam Præbendam.

91.) *Primarias* putant dici, quia præferuntur cuivis Juri conferendi, præſentandi, vel nominandi aliorum: *Primas*, quia ſunt veluti prima Cæſaris electi petitio; vel ut non nemo ſentit, quia *primis petentibus* conceduntur, juxta illud, quod Conradus Abbas Urſpergenſis in Chronico de Ottone IV. dicit: *fuerat conſuetudo Principum, ut hilariter & prompte beneficia ſeu Eccleſias conferrent primis petentibus &c.*

92.) Vid. JOANN. A CHOKIER Schol. in Primar. Prec. Imper. in procem.

non nominatur, & quidem ſtudioſe ex communiori Patrum ſententia, licet aliqui voluerint addi Primarias Preces.

§. 145. Orta eſt hoc ſæculo diſputatio, quo Jure hæ Preces Imperatori competant? Nolumus indagare in primam harum Precum originem: formula earum antiquior non occurrit, quam quæ ad Eccleſias data eſt a Rudolpho I. Imperatore *ex antiqua & approbata, ac a Divis Imperatoribus & Regibus inclytæ recordationis noſtris Anteceſſoribus uſque ad nos producta conſuetudine* 93.). Qualiscunque fuerit illa conſuetudo, certe Durandus, qui eodem tempore vixit, privilegium iſtud vidit *Bullatum* 94.): ſequentibus autem ſæculis *Quarum origo non omnibus certa eſt:*

93.) Vid. Nauclerus Chronic. Vol. 2. Generat. 43. fol. 974.

94.) In ſpeculo Juris lib. 4. partic. 3. de Præb. & Dignit. §. 2. n. 7. *Not. quod Imperator habet Privilegium, quod ego vidi bullatum, quod in qualibet Eccleſia Alemanniæ poſſit facere unum recipi.* Legi ejusdem Rudolphi Primarias Preces *Dilecto Principi ſuo Abbati in Nideraltach*

lis nec consuetudinem sufficere credebant Imperatores & Doctores sine Indulto Pontificio. Agnoverunt id etiam Protestantes in Germania, qui inter Gravamina Ecclesiastica anno 1645. 21. Novembris Osnabrugæ exhibita, conquerebantur, quod Imperator in Ecclesiis Protestantium pergat uti Precibus Primariis, originem suam a Papa deducentibus 95.). Postquam autem inter Articulos Pacis etiam Jus Primariarum Precum omnino excutere non poterant 96.), mox mentem & calamum

---

tach inscriptas, ubi *ex antiqua & approbata consuetudine* exhortatur & mandat, ut Abbas Sifrido de March Clerico, de Beneficio Ecclesiastico curet providere &c. Dat. Hagenaugie MCCLXXIV. III. Kal. Marcii.

95.) Mejern Act. Pac. Westphal. tom. I. fol. 821. *vom Pabst herrührende* Preces Primariæ *noch immer vvollen gebraucht vverden.* Et hodie etiam lites ex occasione Primariarum Precum ortas, decidunt Protestantes ex Jure Pontificio, ut patet ex Struvii Introduct. ad Praxin Juris Canon. in Foris Protestant. part. 2. cas. 46.

96.) Instrum. Pacis Cæsareo-Suecic. Art. V. §. 18. *ubi sacra Cæsarea Majestas jus pri-*

lamum mutarunt, & ex variis fontibus Jus istud Imperatoris derivarunt 97.), ne jugi Papalis, ut loquuntur, reliquias in suis Ecclesiis tolerare viderentur. Imo etiam præter Imperatorem variis aliis Jus simile tribuunt, scilicet, Vicariis Imperii, Imperatrici, Reginis &c. qua ratione jura diversissima inter se, vel etiam facta cum jure confundunt.

§. 146.

---

primariarum precum exercuit, exerceat etiam inposterum, dummodo decedente Augustanæ Confessioni addicto, in ejus Religionis Episcopatibus Augustanæ Confessioni addictus, ad normam statutorum & observantiæ idoneus, precibus fruatur. In mixtis vero ex utraque religione seu Episcopatibus seu aliis locis immediatis, precibus primariis præsentatus non gaudeat, nisi beneficium vacans religionis consors possederit. Item *§. 26. In quibuscunque etiam fundationibus mediatis, anno 1624. die prima Januarii, sacra Cæsarea Majestas primarias preces exercuit, exerceat eas imposterum, ad modum circa bona immediata superius explicatum.*

97.) Singulares tractatus de Primariis Precibus ediderunt Autores Protestantici Cortræus, Fritschius, Gribnerus, Meyerus, Schilterus, Schroeterus, & Anonymus in Vindiciis

Usus tamen hodiernus dependet ab Indulto Pontificio:

§. 146. Qualiscunque demum, sit origo, hodiernum tamen usum Precum Primariarum ab Indulto Pontificio dependere judicant Catholici Doctores passim 98.). Aliqui 99.) nihilominus credunt, posse Imperatorem ante Confirmationem Pontificiam suæ Electionis, & ante obtentum Indultum, has Preces concedere ex indubia, certaque præsumptione de mente & voluntate Pontificis, cujus indultum, licet poste-

---

diciis primariarum Precum Cæsareæ Majestati competentium. Libris suis hanc materiam præter innumeros alios fusius inseruerunt VITRIARIUS, & in Notis ad illum PFEFFINGERUS Tom. 3. fol. 83. seqq. SCHILTERUS de Libert. Eccles. Germ. lib. VI. c. 5. §. 11. BÖHMERUS Jur. Eccl. Protest. lib. III. tit. 5. §. 99. seqq. Item Consultat. tom. III. part. 1. Respons. 19.

98.) Fuse hanc materiam pertractat P. IGNATIUS SCHWARZ Colleg. Histor. part. VIII. quæst. 6.

99.) WAGNERECK in Comment. Exeget. ad C. 19. de Præbend. fol. 488. ENGEL ad eund. tit. §. 7. in fin. PIRHING ibid. n. 371. Hos sequitur LEURENIUS For. Benef. p. 2. sect. 3. c. 1. §. 10. q. 604. igna-

poſterius datum, merito retrotrahetur ad ipſam Electionis diem. Poterat hæc doctrina tolerari ea ætate, qua neque Imperatores petere, nec Pontifices concedere Indultum tergiverſabantur. Sed poſtquam jam iterato Pontificium Indultum petitum non fuit 100.), nec horum temporum Imperatores in formulis ſuarum Precum, ullam mentionem de gratia Pontificis faciunt; omnino tenendum eſt, has Primarias Preces ante Indultum Pontificium nec concedi, nec executioni dari poſſe; aut ſi dentur, non habere eas aliam vim, quam ſimplicis promiſſionis de Preciſta poſt obtentum Indultum nominando.

§. 147.

---

ignarus forte eorum, quæ jam ſuo tempore acta fuerant inter Pontificem Alexandrum VII. & Leopoldum I. Imperatorem.

100.) Vid. Conradus Oligenius de Primar. Precib. Imper. n. 70. ſeqq. Autor hujus Diſſertationis paſſim credebatur Justus Fontaninus: ſed verum Autorem eſſe Petrum Marcellinum Corradini, poſtea Cardinalem, affir-

Pro quo congrue impiendo,

§. 147. Solet igitur electus Rex Romanorum, in Imperatorem promovendus, mox post Electionem suam, per Legatum Obedientiæ, ut vocant, solenniore pompa Romam missum, reverentiam & obedientiam erga Pontificem & Romanam Ecclesiam exhibere, approbationem Electionis suæ, nec non gratias & favores consuetos petere. Inter hos Pontifex specialiter concedit Indultum Primariarum Precum, per quas Imperator in singulis Ecclesiis nominat aliquem, cui conferatur Beneficium, ita tamen, ut singulæ collationes & singulæ Ecclesiæ ex hoc ultra, quam in uno Beneficio non graventur, ac ipsi Collatores saltem quatuor Beneficia Ecclesiastica conferre habeant. Hæ Preces se extendunt ad Germaniæ Beneficia, Dignitates, Personatus, Administrationes & Officia, electiva vel collativa, etiam Papæ reservata, in quibusvis mensibus quacunque ratione vacantia:

---

affirmat Giornale de Letterati d'Italia tom. 7. fol. 486. Item Storia Letteraria d'Italia. Vol. 8. fol. 354.

tia: non tamen ad Dignitates post Pontificalem majores in Cathedralibus, aut Principales in Collegiatis; nec ad Monocularia; nec ad Beneficia Juris Patronatus Laici; nec ad ea, quæ ex natura sua requirunt Professionem regularem; neque ad vacantia per resignationem in favorem 1.); neque ad Vicarias temporales, Beneficia Manualia, perpetuo incorporata, commendata &c. aut per longævam consuetudinem, vel privilegium exempta 2.). Conceduntur autem Personis idoneis, quæ scilicet habent qualitates per Sacros Canones & Statuta Ecclesiarum requisitas 3.).

1.) Hanc limitationem passim tradunt Doctores, quia talia Beneficia nunquam vacant, ut ait PARISIUS de Resignat. Benef. lib. X. q. 7. n. 22. Sed Aulam Cæsaream hæc ratio non movet, ut docet experientia, si Precista instet & urgeat admissionem.

2. Vid. P. SCHMALZGRUEBER Consil. tom. 1. Cons. 31.

3.) Multi Doctores censent, recipiendum esse Precistam, etsi careat qualitatibus

Constituit Imperator Executores.

§. 148. Constituit insuper Imperator aliquos Executores in Dignitate Ecclesiastica constitutos, qui Autoritate Pontificia satagunt, ut Preces ad effectum redigantur, etiamsi interim Imperator jam esset mortuus; Ordinarii autem Collatores conferunt Beneficium vacans, ad quod Precista vi Precum Imperialium aspirat, declarando voluntatem suam intra mensem notæ vacationis 4.). Imo in quibusdam Ecclesiis nolunt recipere Precistam, nisi ante actua-

---

tibus secundum Statuta & Consuetudines Ecclesiarum requisitis; testaturque WAGNERECK loc. cit. §. 3. fol. 494. Ecclesiam quandam *coactam* fuisse, talem recipere a FERDINANDO II. nominatum: at hoc loco non loquimur de violenta coactione, sed de Jure. Imperator non vult plus sibi sumere erga Ecclesias Catholicas, quam erga Protestantes: in his autem per Pacis Westphalicæ Articulos adstringi se passus est, ut *ad normam Statutorum & observantiæ idoneum* nominet. Art. V. §. 18.

4.) Si admitti non petat ad Beneficium, quod primo vacat; remanet ei jus ad aliud postea vacaturum.

actualem vacationem Preces suas insinuaverit 5.).

§. 149. Ad Provisionem Pontificiam pertinet etiam Indultum, quod Pontifex solet concedere Cardinalibus Episcopis ad conferenda Beneficia reservata, exceptis iis, quæ reservantur reservatione clausa in Corpore Juris. Sunt autem hujusmodi Indulta quandoque ampliora, quandoque vero strictiora: & ideo semper eorum tenor diligenter inspiciendus est, uti & variæ Pontificum Declarationes 6.).

Provisio per Indultum Cardinalibus Episcopis concessum.

5.) In iis præcipue Ecclesiis, & in iis mensibus istud prætenditur, quando singuli Canonici per Turnum nominandi jus habent: ille enim, quem Turnus contingit, post mortem unius mox alium sibi gratum nominat, & difficulter cedit Precistæ postea supervenienti.

6.) Vid. URBANI VIII. Constitutio 59. & 60. publicata 10. Septemb. 1626. ubi allegantur plures aliorum Pontificum Constitutiones de hac materia.
ANASTASIUS GERMONIUS de Indultis.
HIER. GONZALEZ ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 24. n. 23. seqq.
FLAM. PARISIUS de Resignat. Benefic. lib. 7. q. 12. n. 23.

Vel per Commendas,

§. 150. Inter modos, quibus hodie Pontifex Beneficia concedit, numeratur *Commenda*, per quam juxta nomen ſuum 7.) proprie intelligitur cuſtodia & adminiſtratio Eccleſiæ vacantis, donec alicui concedatur ejusdem titulus 8.). Ex variis tamen rationibus diſceſſum jam pridem fuit ab hac ſignificatione. Unde dividitur Commenda in *Temporalem*, ſi ad certum tempus; & in *Perpetuam*, ſi ad dies vitæ Eccleſia vel Monaſterium alicui committitur. Commenda temporalis in utilitatem Eccleſiæ, fit a Prælatis Eccleſiaſticis: & quidem olim poterat Epiſcopus commendare Eccleſiam Parochialem ad ſex menſes 9.): hodie autem vacante Eccleſia Parochiali conſtituitur Vicarius 10.). In aliis Beneficiis

---

Melch. Lotterius de Re Benefic. lib. 2. q. 21. n. 103. ſeqq. Card. de Luca de Beneficiis Diſcurſ. 1. 2. 3. ſeqq.

7.) *Commendare nihil aliud eſt, quam deponere.* l. 186. ff. de V. S.

8.) C. 16. 17. diſt. 61. C. 5. & 6. XXI. q. 1.

9.) C. nemo. 15. de Elect. in 6.

10.) Ad normam Concilii Trident. ſeſſ. 24. c. 18. de Reform.

ciis non curatis plus licere Episcopo credendum est, ita tamen ut Commenda solum fiat in utilitatem Ecclesiæ ex gravi causa, qua cessante revocaretur etiam Commenda, & Commendatarius non habuisset liberam dispositionem, nec potuisset fructus convertere in usus proprios. Hodiernas autem Commendas perpetuas in utilitatem Commendatarii dat solus Pontifex cum potestate libere disponendi de fructibus, sicut competit vero Beneficiato, qui habet titulum 11.).

§. 151. Frequenter olim Abbatiæ commendabantur Episcopis, vel pro restituendis Monasteriis jam fere collapsis; vel pro meliori Episcoporum sustentatione. Demum abusus invaluit Abbatias commendandi etiam *Quarum abusus*

11.) *Hoc commendarum genus Majores nostri ignorabant*, ait THOMAS CAMPEGIUS tract. de Commendis Benefic. n. 5. Diversa Commendarum genera ex Epistolis S. GREGORII M. recenset THOMASSINUS vet. & nov. Eccles. Discipl. p. 2. lib. 3. c. 10.

Laicis & Militibus 12.). Hoc abusu sublato, permanserunt tamen Commendæ Personis Ecclesiasticis factæ 13.), ex ea etiam causa, ut haberetur prætextus possidendi plura Beneficia 14.). CLEMENS V. Pontifex ad initium Sæculi XIV. minus favo-

12.) Malum hoc etiam invasisse Germaniam, colligimus ex Concil. MOGUNT. Anno 888. celebrato sub Arnulpho Rege Germaniæ c. 25. ubi aliquid ordinatur *de Monasteriis Clericorum, Monachorum, atque Puellarum, quæ Clericis, sive Laicis beneficii jure donata sunt &c.* OTTO FRISING. Chron. lib. 6. c. 18. ARNOLPHUM Bavariæ Ducem arguit, quod possessiones Ecclesiarum & Monasteriorum militibus distribuerit. Sed Autor Justæ Defensionis Arnolphi sect. V. eum quidem non omni culpa liberum pronuntiat, facti tamen invidiam extenuat.

13.) LUPUS Ferrarienſ. Epist. 25. sic scribit: *fama versatur inter nos, Clericos Palatii, diversorum Cœnobiorum sibi Dominium optare atque poscere, quibus nulla sit alia cura, nisi ut suæ avaritiæ, oppressione servorum Dei, satisfaciant.*

14.) Quod aliquis possit unam Ecclesiam in Titulum, alteram commendatam tenere, concedit LEO IV. c. 3. XXI. q. 1. vid. supra Tit. VIII. de Benefic. §. 112.

favorabilem Ideam Commendarum nobis ingerit 15.): fatetur enim, se ex variis affectibus humanis, ad importunas precum instantias, nonnullis Ecclesias ac Monasteria sub Commendæ nomine commisisse; ob plurima autem negotia nequivisse se serio cogitare, an id fieri decuisset: demum periculosa infirmitate correptum, ad id aciem mentis suæ direxisse, & evidenter perspexisse, quod Ecclesiarum & Monasteriorum eorundem cura negligatur, bona & jura ipsorum dissipentur, ac subjectis personis & populis spiritaliter plurimum & temporaliter derogetur &c.: quare omnes & singulas provisiones hujusmodi revocavit, cassavit, annullavit.

§. 152. Vel effectum non habuerunt hæc pia desideria, vel mox iterum usus Commendarum increbuit. Certe Paulus II. altero post Electionem

Non satis emendatus.

15.) Extrav. 2. de Præbend. inter Commun. Pari stylo in Commendarum incommoda invehitur Leo X. Constit. VII. §. 9. Paraphrasin dictæ Extravaganti addit Rebuffus Prax. Benefic. part. 1. tit. de Commenda. §. 10. seqq.

nem die admonitus, ne id vitium latius ſerpere ſineret, reſpondiſſe dicitur, Monaſteria plus quam quingenta a Pontificatu CALLISTI III. (id eſt, per annos non omnino decem) in eam diem commendata Clericis, nulla Regula devinctis 16.). Pergunt vigere hæ Commendæ paſſim in aliis Regnis: in Germania autem noſtra, licet olim Epiſcopis plus permiſſum fuerit (ſupra Tit. VIII. de Benefic. §. 113.), hodie, cum Electiones per Concordata firmatæ ſint, rarior eſt Commendarum perpetuarum uſus, niſi Capitula concordibus ſuffragiis poſtulent Epiſcopum vel Abbatem Commendatarium 17.): aut niſi Abbatiæ jam ab antiquo tempore ſint incorporatæ cuidam Epiſcopatui. §. 153.

16.) RENAT. CHOPPINUS de Jure Cœnobit. lib. 1. tit. 1 n. 14.

17.) Noſtra ætate plura Capitula Cathedralia & Metropolitana poſtularunt Commendatarium FRANCISCUM LUDOVICUM ex Domo Palatina, Ordinis Teutonici Magnum Magiſtrum, inſigni Eccleſiarum illarum emolumento. Et Canonici Regulares in Berchdoltsgaden per multos annos poſtulaverant Præpoſitum Commendatarium ex Domo Bavarica.

§. 153. Commendatarius perpetuus habet tam obligationes, quam Jura, acsi haberet titulum: non potest alienare immobilia, nec mobilia pretiosa: confert Beneficia: gaudet prærogativis & honoribus Abbatis Titularis: curam gerit, ne Cultus Divinus, vel numerus Religiosorum diminuatur. Religiosi manent sub Jurisdictione suorum Superiorum Regularium, & in quolibet Monasterio commendato est Prior Claustralis, aut alius Superior Regularis pro disciplina interiore Monasterii 18.). Cessante Commenda non inducitur nova vacatio per obitum Commendatarii 19.); sed Be- *Obligatio & jus Commendatarii.*

18.) Concilium Tridentinum sess. 21. C. 8. & sess. 25. c. 20. de Reform. curam Monasteriorum commendatorum injungit Episcopis, & Visitationem præcipit, exceptis illis, quæ subsunt Abbatibus Ordinum suorum Capitibus. Innocentius X. Const. 62. Anno 1654. confirmat Privilegia Cistercienſium, ut Commendatarii nullam Jurisdictionem in Monachos exerceant. Add. P. Schmalzgrueber tom. 1. Conſ. 41.

19.) Hoc non esse verum in Francia, notat Rebuffus Prax. Benefic. p. 1. tit. 1. de Commenda. n. 51.

Beneficium vacat semper ut prius, & quodammodo resurgit prima vacatio, adeo ut non sit attendendus mensis, in quo Commendatarius obierit 20.). Nihilominus Ecclesia commendata non dicitur omnino vacare, cum Commendatarius possessionem & administrationem habeat: & hinc, qui vult impetrare Beneficium, mentionem debet facere de Commenda; alias Provisio est subreptitia, quia Pontifex non censetur alicujus Juri derogare velle 21.).

TITU-

20.) Tamburin. de Jure Abbat. tom. 1. disp. 4. quæs. 6. n. 2.

21.) De Commendis consuli possunt Thomassinus p. 2. lib. 3. c. 10. seqq. Van Espen Jur. Eccl. univ. p. 1. tit. 31. c. 7. Lezana Oper. tom. 4. Consultat. 57. Fagnanus in c. dudum & c. cum ad nostram. de Elect. & alibi sæpius. Barbos. de Offic. & Pot. Episc. p. 3. alleg. 59. Hieron. Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 5. §. 8. Mandosius in Regul. Cancell. 30. q. 3. & Reg. 32. q. 7. Garcia de Benefic. part. 4. c. 4. Flam. Paris. de Resignat. benefic. lib. 2. q. 17. præter alios prioribus numeris allegatos.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

TITULUS XI.
DE ORDINARIIS ET INFERIORIBUS COLLATORIBUS.

Confer. Lib. 3. Decretal. tit. 7. Sext. 6. item Lib. 3. Decretal. tit. 38. Sext. 19. Clem. 12.

§. 154.

Ad Collationem Ordinariam ſtat præſumptio pro Epiſcopo:

HUCUSQUE de Collatione Beneficiorum Pontificia. Nunc agendum de Collatione Ordinaria. Hæc olim, quando ipſa Beneficia a ſacra Ordinatione plerumque ſejuncta non fuerunt, unice pertinebat ad Epiſcopum, eratque actus Ordinis Epiſcopalis: hodie erectis Beneficiorum titulis, horumque Collatione ſejuncta ab ipſa Ordinatione, Collatio eſt actus Jurisdictionis, ſeu potius accidentalis poteſtatis, ſimul cum Jurisdictione ex ſpeciali diſpoſitione Canonum impreſſæ 22.), pertinetque

22.) C. omnes Baſilicæ. 10. XVI. q. 7. Lotterius de Re Benefic. lib. II. q. 2. n. 11.

que jure Ordinario ad Episcopum, etiam ante Consecrationem. Ex variis autem rationibus potest etiam competere aliis, qui tamen in dubio debent probare titulum, cum præsumptio stet pro Episcopo.

Cujus Autoritas semper intercedit, etsi Collatio spectet ad alios.

§. 155. Sicut olim Episcopus non ordinabat Clericos sine consilio Clericorum suorum: ita videtur, Beneficia non esse conferenda sine consilio Capituli Cathedralis, quod totum Clerum repræsentat, & Ecclesiæ Senatum constituit 23.); quod præcipue locum habet in institutione ad Præbendas Cathedrales. In hoc tamen negotio plerumque plus agit Capitulum, quam Episcopus, vel saltem alternative jus suum exercent: imo hodie passim Capitulum habet jura sua separata a juribus Episcopi 24.): & consuetudinem eligendi Canonicos irrequisito Episcopo tolerat INNOCENTIUS III. 25.); disci-

23.) Huic prætensioni favet ALEXANDER III. in c. 4. de his quæ fiunt a Præl. sine Cons. Capit.

24.) Notavimus in Tract. de Hierarch. Eccl. §. 334.

25.) In c. 31. de Elect.

disciplina enim Ecclesiastica diversis temporibus & Regionibus varia esse potest. Illud tamen invariatum manet, Beneficium dari propter Officium, & Beneficiatum per ipsum Beneficium constitui Ministrum Ecclesiæ illius, in qua Beneficium est fundatum. Cum igitur non deceat, Ecclesiæ, cujus summa Cura Episcopo incumbit, Ministeria distribui sine Episcopi consensu, etiam Episcopo semper aliqua circa Beneficium autoritas conservari solet, licet libera ejus Collatio ad alios sit devoluta, aut per Jus Patronatus, aliumve titulum restricta 26.): hanc autoritatem suam exercent Episcopi, Beneficiatos examinando, curam animarum ipsis committendo, Præsentatos instituendo, titulum conferendo, electos confirmando &c.

§. 156. Autoritatem suam circa Beneficia Episcopus præcipue exercet per liberam *Collationem*, quæ adeo propria est Episcopo, ut Sede vacante non *Libera Collatio Episcopo com-*

26.) Alexander III. C. 3. de Instit. contrariam consuetudinem reprobat.

petens semper ipsi est reservanda, etiam vacante Sede.

non transeat in Capitulum, sed reservari debeat futuro Episcopo 27.). Non arridet omnibus opinio illorum, qui cum Glossa rationem hujus dispositionis dant, quia Collatio hæc est fructus Jurisdictionis: nam ex crassa Beneficiorum Idea hanc rationem procedere existimant 28.). Honestiorem rationem dat HONORIUS III. 29.), scilicet quod nusquam inveniatur cautum in jure, quod Capitulum in hoc succedat Episcopo. Vera hujus consuetudinis ratio esse potest, quia constitutio Ministrorum Ecclesiæ speciali modo competit Episcopo, qui curam habet totius Diœcesis, & eam per Ministros exercet, in quibus eligendis Ecclesia singulariter confidit ejus Personæ 30.): Collatio autem non libera, sed

---

27.) C. un. §. 1. Ne Sede vacant. &c. in 6.

28.) VAN ESPEN p. 2. tit. 21. fol. 521. n. 26. seq.

29.) C. 2. Ne Sede vacant. aliq. innov.

30.) CABASSUT. Jur. Can. Theor. & Prax. lib. 2. c. 2. n. 12. testatur, quod Curata Beneficia in Regno Franciæ conferantur sede vacante a Capitulo.

ſed reſtricta ob jus Patroni, eligentium &c, tranſit ad Capitulum Sede vacante. Collationes ſolent fieri per Literas patentes 31.), in quibus non ſolet fieri mentio ſupplicationis, quæ indicaret ambitum; nam non ſolum ad ſupplicantes debet attendi, ſed etiam ad alios, qui ſciuntur digni vel digniores.

§. 157. Jus Collationis competere non poteſt Laicis, quamvis nonnulli Principes verbo *Collationis*, vel *Conferendi* in ſuis Literis utantur; nam dare titulum Beneficii eſt actus juris ſpiritualis. Poteſt autem id competere Perſonis vel Communitatibus Eccleſiaſticis 32.), præſertim Capitulis, intuitu Canonicatuum, vel Beneficiorum incorporatorum. Si tamen iſtis incumbat Cura animarum, pro hac obtinenda recurrendum eſt ad Epiſcopum, qui ſolus dare

Si Curatum conferatur ab alio, Epiſcopus tamen concedit Curam animarum.

31.) Formulas exhibet BARBOSA ad tract. de Offic. Epiſc. form. 63. & ſeqq. MONACELLI Formul. legal. part. 1. tit. 2. form. 10. ſeqq.

32.) C. 18. de Præſcription.

dare eam potest 33.); nec sufficit sola & nuda approbatio ad excipiendas Confessiones, fortassis præhabita 34.).

Instituit Episcopus nominatos vel præ-

§. 158. *Institutio* proprie dicta est, qua Episcopus confert titulum Beneficii ad præviam Præsentationem Patroni 35.): unde Jus Patronatus dicitur *Potestas nominandi seu præsentandi*

33.) C. 4. de offic. Archidiac. Conc. Trid. sess. 7. c. 13. de Reform. Potest tamen Curam committere, qui habet Jurisdictionem quasi Episcopalem in Territorio exempto, vel munitus est singularibus Privilegiis.

34.) *Cura* committitur respectu certæ plebis, in quam communicat Episcopus Jurisdictionem suam: simplex autem *Approbatio* datur vage pro tota Diœcesi; & præter eam ad valide absolvendum requiritur Jurisdictio aliunde obtenta, vel obtinenda. Vid. Dissertatio Trevirensis de Juribus Parochi Primitivi. C. 1. §. 10.

35.) Ad æquivocationem evitandam, notandum est, quod nomen Institutionis *autorizabilis* non eodem sensu sumatur ab Autoribus: nonnunquam intelligitur Institutio collativa tituli; sæpe confunditur cum Cura animarum, prout

sit

tandi Clericum ad Beneficium vacans, sentatos
36.) in Jure communi fundata. Cen- a Patro-
setur originem sumpsisse ex Orato- nis.
riis privatis, quæ eo tempore, quo publica sacra solummodo in Civitatibus celebrabantur, Nobiles in pagis aut Castris suis pro opportunitate Familiæ suæ aut subditorum extruxerunt, ubi functiones sacras obibant Clerici, ab ejusmodi Nobilibus cum assensu Episcopi assumpti.

---

fit in summario, quod præmittitur Capitulo 4. de offic. Achidiac. Ipse enim textus loquitur de *Cura animarum* proprie dicta, quam summarium vocat *Institutionem autorizabilem.*

36.) Jus nominandi & præsentandi nonnunquam est penes diversos: unus *nominat*, id est, designat personam habilem; alter *præsentat*, hoc est, sistit nominatum Episcopo, ut instituatur in Beneficio. Sic Principes Bavariæ jus nominandi ad varias Parochias tribuerunt Academiæ Ingolstadiensi, utpote quæ censetur habere exactiorem notitiam de habilitate & dignitate Personarum. Alia est nominatio variorum Regum & Principum ad Episcopatus & Prælaturas, quibus Pontifex de nominatis Personis providet.

Patronus Ecclesiæ

§. 159. Tam Episcopi 37.), quam Patroni 38.) intra limites legitimæ consuetudinis se non continebant: unde oportebat 39.), Jus Patronatus certis Constitutionibus ordinari 40.). Patronus igitur hoc loco vocatur, qui *Ecclesiam, Beneficium aut Capellam de novo fundaverit, & construxerit* 41.); *seu jam erectam, quæ tamen*

37.) Concil. Tolet. IX. c. 2. anno 655. *quia fieri plerumque cognoscitur, ut Ecclesiæ Parochiales ita quorundam Episcoporum, vel insolentia, vel incuria horrendam decidant in ruinam, ut gravior ex hoc oriatur ædificantibus mæror, quam in construendo gaudii extiterat labor &c.* Reliqua referuntur in C. 32. XVI. q. 7.

38.) Conc. Aurelian. IV. c. 7. anno 541. *Ut in Oratoriis Domini prædiorum minime contra votum Episcopi peregrinos Clericos intromittant &c.*

39.) *Sicuti legitima Patronatuum jura tollere æquum non est; sic etiam, ut hoc colore Beneficia Ecclesiastica in servitutem redigantur, non est permittendum.* Conc. Trid. sess. XXV. c. 9. de Reform.

40.) Vid. Conc. Wormat. ann. 868. c. 49. & Lateran. ann. 1179. c. 4. & C. relatum 14. de Jure Patron.

41.) Hoc loco quidem adhibetur particula copulativa *Et* : alibi mentio fit *sum-*

tamen ſine ſufficienti dote fuerit, de ſuis propriis & patrimonialibus bonis competenter dotaverit 42.). Titulus hic ex authentico documento oſtendi debet, aut etiam ex multiplicatis præſentationibus per antiquiſſimum temporis curſum, qui hominum memoriam excedat 43.).

§. 160. Omnes Laici, etiam fæminæ habilitantur ad iſtud Jus, quod tranſit ad hæredes & ſucceſſores. Eſt autem Patronatus vel *Eccleſiaſticus*, ſi acquiratur ex bonis ad Eccleſiam pertinentibus, aut ſit annexus Dignitati cuidam Eccleſiaſticæ; vel *Laicus*, ſi competat certæ Familiæ, *Quis dicatur?*

fundationis vel dotationis. TRID. ſeſſ. 25. c. 9. alibi ſolius *fundationis.* C. 3. de Jure Patron. alibi ſolius *conſtructionis.* C. 25. ibid. ideo Autores plurimi adſtruunt tres titulos acquirendi jus Patronatus, ſcilicet Fundationem, Conſtructionem, & Dotationem.

42.) Conc. TRID. ſeſſ. XIV. c. 12. de Reform.

43.) Ibid. ſeſſ. XXV. c. 9. de Reform. ubi plenior requiritur probatio in iis perſonis, ſeu Communitatibus, in quibus id jus plerumque ex uſurpatione potius quæſitum præſumi ſolet.

vel annexus sit bonis profanis, quamvis hæc forte ratione patrimonii deveniant in manus Clerici. Unde transfertur cum ipsis Bonis, quibus annexus est: separatim donari quidem 44.), non tamen vendi potest, cum dicat jus spirituale; neque bonorum pretium augeri potest ratione annexi Patronatus. Si Bona ad plures hæredes transeant, exercetur jus istud alternatim a singulis, vel ab omnibus simul 45.): quo casu si præsentatio pertineat ad plures ut singulos, ille censetur legitime præsentatus, qui plura suffragia respectu aliorum præsentatorum tulerit, simulque majora merita pro se habuerit 46.): si vero plures habeant jus præsentandi per modum Collegii aut Capituli, observandum erit idem, quod moris est in aliis actibus Capitularibus. Legitime autem præsentat, qui habet dominium utile bonorum 47.), vel tantum possessio-

44.) C. un. de Jur. Patron. in 6.
45.) Clement. 2. de Jure Patron.
46.) C. 3. de Jure Patron.
47.) C. 7. ibid.

sessionem hujus Juris, etsi forte proprietas illius sit litigiosa 48.): alii quidem possessores fructus post litis contestationem perceptos restituere debent 49.): id tamen solum intelligitur de fructibus, qui sunt pretio æstimabiles, & percipientem faciunt ditiorem, aut restitui queunt, salvo possessionis usu.

§. 161. Patronus non potest præsentare seipsum 50.), bene tamen filium suum. Præsentari semper debet dignus, & instructus qualitatibus ad Beneficium requisitis; imo ad Curata Beneficia dignior, qui sit

Quomodo exerceat jus suum?

48.) C. 19. Ibid. Si cit. c. 7. valida dicitur præsentatio facta, antequam de Jure Patronatus controversia esset suborta; intelligitur controversia de *Possessione* juris.

49.) L. 22. C. de Rei vindic.

50.) C. 26. de Jur. Patron. similiter si ille, qui habet jus instituendi, præsentetur, hic non potest seipsum instituere ex generali illo principio, quod inter dantem & accipientem debeat esse distinctio personalis. C. fin. de Institut. quod in ejusmodi materiis locum habet, ne ambitioni vel aliis fraudibus occasio præbeatur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

sit utilior Ecclesiæ. Laicus præsentare debet intra quatuor, Ecclesiasticus intra sex menses 51.): & hic quidem variare non potest, ita ut ejus jus consumatur unica Præsentatione: Laicus autem variare potest, & etiam successive plures præsentare, ex quibus Episcopus seligit digniorem 52.): institutione autem unius facta, alter jus ullum ex Præsentatione prætendere non potest: si intra dictum tempus nemo præsentetur, pro ea vice Ordinarius libere confert Beneficium 53.). Hoc Jus Patronorum Laicorum adeo inviolabile est in Germania, ut eidem nec Papa per Prævention em, nec Imperator per primas Preces, nec Episcopus per admissionem Permutationis præjudicet.

Quid Ecclesia ipsi debeatur?

§. 162. Patrono debentur jura honorifica, scilicet primus locus in Processione 54.), in Ecclesia, in thurifica-

51.) C. un. §. ult. eod. in 6.
52.) C. 24. de Jur. patron.
53.) In summis Principibus non exacte observari istud tempus, dictum est supra Tit. IX. not. 34.
54.) C. 25. de Jur. Patron.

ficatione, oblationibus, aſperſione aquæ benedictæ, oſculo pacis &c. 55.): & *ſi ad inopiam vergat, ab Eccleſia illi modeſte ſuccurritur* 56.). Viciſſim debet Patronus protegere Eccleſiam, & convenientem ſolicitudinem gerere pro conſervandis ejusdem juribus 57.). Nec tamen ratione hujus muneris illi competit ulla Jurisdictio in Clericos, nec adminiſtratio Bonorum Eccleſiæ 58.). *at, & ipſe Eccleſiæ?*

§. 163. Non confundi debent Patroni Eccleſiarum cum earundem Advocatis & Defenſoribus, quorum varia diverſis temporibus erat ratio & conditio: aliqui lingua & manu etiam armata 59.), patrimonium Eccleſiæ defendebant, ejus cauſas perorabant, inique Eccleſiis ſubtracta repetebant: nonnunquam *Non confundendus cum Advocato Eccleſiæ.*

55.) Domini territoriales non ſolent cedere Patronis.

56.) Cit. c. 25.

57.) C. 31. XVI. q. 7.

58.) Prælati Regulares a Beneficiatis, quos præſentant Epiſcopo, poſſunt pro rebus temporalibus Eccleſiæ rationes exigere. c. 3. §. 2. de Privileg.

59.) Unde nomen *Advocatiæ armatæ.*

bonorum administrationem 60.); vel etiam judiciariam potestatem 61.) in Ecclesiæ subditos nacti fuerant. Aliqui in prima fundatione Advocatiam sibi & successoribus reservabant: alii a Prælatis Ecclesiæ eligebantur: alii ab Imperatoribus Advocatiam jure Feudi concessam habebant: unde alii dati, alii nati erant. Postquam autem eorum potentia & deprædatione non raro res Eceleſiarum vehementer affligerentur; plerique Prælati eam potestatem sui juris fecerunt, & jugum Advocatorum soluto gravi pretio, vel impetrato singulari privilegio excusserunt: nonnulli gratis pro anima sua eidem juri in perpetuum renuntiarunt 62.).

Supre-

60.) Vulgo dicuntur *Castenvögte*, seu ut alii scribunt, *Cassenvögte*, nomine derivato a *Cistis*, in quibus pecunia exreditibus monasticis recondi solebat: non a Granario, quod voluit MAGERUS de Advocat. arm. c. 2. n. 240. & c. 11. n. 5.

61.) Distingui debet *Protectio*, quæ nudam defensionem dicit, ab *Advocatia*, quæ Jurisdictionem infert, germanice *Vogtey*.

62.) De Jure Advocatiæ videri possunt MARTINUS MAGERUS de advocatia armata.

JOAN.

Suprema Advocatia Ecclesiarum Germaniæ est penes Imperatorem, ac penes alios Principes quoad Ecclesias in eorum Territoriis sitas. Idem Imperator mox in primo Capitulationis suæ articulo promittit jurato Defensionem & Protectionem Sedis Romanæ, Pontificis, ac Christianæ Ecclesiæ 63.).

§. 164. Jus Patronatus extinguitur, si pereat res, aut deficiat Familia, cui est annexum; aut titulus Beneficii, destructa Ecclesia, supprimatur: perditur per renuntiationem *Quomodo extinguatur jus Patronatus?*

Joan. Nicol. Hertius Opusculor. vol. 2. tom. 2. De Ordin. Cistercienf. libert. &c. sect. 3.
Thomassinus vet. & nov. Eccles. Disciplin. part. 3. lib. 2. c. 55.
Böhmerus Jur. Eccles. Protest. lib. 3. tit. 5. §. 36. seq.

63.) Jus Protectionis Sedis Romanæ competere Regibus Francorum asserit Petrus de Marca de Concord. Sacerd. & Imper. lib. 1. c. 12. cum istud pluribus possit esse commune. vid. Schilter. Libert. Eccles. Germ. lib. 3. c. 1. §. 12.

nem aut cessionem expressam vel tacitam 64.) factam Ecclesiæ; per non usum, quando Ordinarius est in possessione juris pro libera Beneficii Collatione; per Crimen, quod in materia Feudi vocaretur Felonia, ut si Patronus occideret Beneficiatum 65.). Item si se ingerat in perceptione fructuum Beneficii Patronati, aut Jus Patronatus vendat, aliove titulo contra Canonicas sanctiones in alios transferat 66.). Item per lapsum in hæresim, quam Sacri Canones habent tanquam crimen læsæ Majestatis 67.). Si Controversia oriatur directe circa Jus Patronatus, Judex Ecclesiasticus est competens 68.). §. 165.

64.) Tacita cessio censetur, si Patronus patiatur Ecclesiam patronatam converti in Collegiatam, vel Conventualem, absque sui juris reservatione.

65.) C. 12. de pœnis.

66.) Trid. sess. 25. c. 9. de Reform. & sess. 22. c. 11. de Reform.

67.) In illis Germaniæ Provinciis, in quibus observatio Pacis Westphalicæ viget, Patroni Protestantes præsentant Catholicos, & Catholici præsentant Ministros Protestantes.

68.) Plura videri possunt apud Rochum de Curte, Cæsarem Lambertinum,

§. 165. Hæc dicta sunt occasione *Institutionis*, qua confertur titulus beneficii ad præviam præsentationem Patroni (§. 158.). Potestas hæc instituendi præsentatos pertinet ad Episcopum, vel ejus Vicarium Generalem 69.), aut sede vacante ad Capitulum Cathedrale 70.): vel etiam ad inferiores Prælatos ex jure specialis privilegii, præscriptionis, aut consuetudinis 71.). Si autem præsentatus autoritate, vel verius temeritate propria occupare Beneficium non vereatur, eo ipso jus, quod ad illud ipsi competebat, amittit 72.). Præsentati autem vel nominati debent a locorum Ordinariis examinari, & idonei reperiri, exceptis iis, qui præsentantur vel nominantur ab Universitati-

Alia observanda circa Institutionem Præsentati.

NUM, & JULIANUM VIVIANUM de Jure Patronatus. VAN ESPEN & omnes, qui scribunt Comment. in lib. III. Decretal. tit. 38.
FRANC. MARIA PITONIUS de Controversiis Patronorum.

69.) C. 3. de Institut.
70.) C. 1. eod. in 6.
71.) C. 6. de Institut.
72.) C. 18. de Præbend. in 6.

sitatibus, seu Collegiis generalibus studiorum 73.). Post Institutionem in Titulo Beneficii, supereſt adhuc Institutio corporalis, qua Beneficiatus mittitur in possessionem: hæc regulariter competit Episcopo, seu delegatis ab ipso 74.); & multis in locis etiam a Laicis quoad temporalia 75.). Supra Tit. IX. §. 127.

Nova forma Provisionis ordinariæ per Concursum.

§. 166. Ut provideatur Parochialibus Ecclesiis, novam formam præscribit Concilium TRIDENTINUM 76.) per *Concursum*, qui in multis Germaniæ Provinciis non est receptus, ex ea forsan ratione, quod ibi plurimæ Parochiæ sunt Patronatus Laici, vel incorporatæ Capitulis aut Conventibus, ad quas non extenditur Constitutio Synodi 77.). Certe non attendun-

---

73.) Conc. TRID. sess. VII. c. 13. de Reform.

74.) Institutio corporalis Canonicorum pertinet plerumque ad Decanum. c. 7. de concess. præbend.

75.) Vid. Concord. Bavar. cap. 4.

76.) Sess. 24. c. 18. de Reform.

77.) De Ecclesiis incorporatis hoc declarat PIUS V. Const. ad exequendum 47. §. 5. Tom. 2. Bullarii: quæ Constitutio

duntur apices ejusdem, neque recentiores interpretationes Romanæ, nec Constitutio Pii V. 78.), sed sola utilitas Ecclesiarum pro locorum & temporum conditione. Cum igitur vel specialis modus hujus Concursus in quibusdam Germaniæ Diœcesibus observetur, vel omnino Concursus nunquam in usum transierit; hinc instituto nostro satisfieri credimus remittendo Lectorem ad Concilium Tridentinum, & Autores de Concursu fusius disputantes 79.). Id solum observatur, Examinatores synodales, quorum operam requirit Syno-

---

tio est quidem ad terminos Juris & Concilii Trident. reducta per Gregorium XIII. Constit. 9. in tanta. Nihilominus ipsa ratio videtur eximere Ecclesias incorporatas, utpote quæ nunquam vacant, sed tanquam accessoriæ assumunt naturam & privilegia Ecclesiæ principalis.

78.) Constit. In conferendis. 33. Tom. 2. Bullarii.

79.) Tales sunt Zypæus Consult. 1. de Elect.
Barbosa de Offic. Episc. part. 3. allegat. 60.

Mas-

Synodus, hodie, ubi synodi non solent celebrari, eligi ab Episcopis tanquam Synodi Diœcesanæ Præsidibus, & præcipuis Directoribus.

TITULUS XII.

UT ECCLESIASTICA BENEFICIA SINE DIMINUTIONE CONFERANTUR.

Confer. Lib. 3. Decretal. tit. 12. & 39. Sext. tit. 20. Clem. tit. 13. Extrav. com. tit. 10.

§. 167.

Beneficia regulariter sine diminutione

SICUT BENEFICIATI requisitas habere debent qualitates; ita etiam Beneficia nec antiquis emolumentis diminui, nec novis oneribus gravari debent, contra intentionem Fundatorum, aut SS. Canonum. Unde Regu-

---

MASSOBRIUS in praxi habendi Concursum.
FAGNANUS ad C. eam te, de ætat. & qualit. præficiend.
VAN ESPEN p. 2. tit. 22. c. 3.
PITONIUS de Controversiis Patronorum Alleg. 5.

Regulæ instar Rubrica Decretalium allegari solet, *ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.* Onera Beneficiorum vel sunt *Personalia*, ad obsequium ab ipso Beneficiato præstandum e. g. assistere Choro, habere Conciones, legere plures Missas &c. vel *Realia*, retinendo aut exigendo partem fructuum, summam pecuniæ, aliosve Census &c. Insuper aliud onus imponi dicitur Beneficiato, quod cum ejus vita extinguitur; aliud Beneficio, quod ad successores perpetuo transit. Regula tamen sub isto Titulo tradita, patitur suas exceptiones, ut ex sequentibus patebit. *conferenda sunt.*

§. 168. Onera *Personalia* ex gravi & prudente ratione possunt nonnunquam pro Bono Ecclesiæ & animarum, Beneficiato vel Beneficio ab Episcopo imponi, non solum tempore, quo vacat Beneficium, sed etiam in ipsa ejus collatione, modo fini per Fundatorem intento non præjudicetur. Exemplum præbet Ecclesia Insulensis 80.), quæ Præbendæ cui- *Onera Personalia nonnunquam rationabiliter imponuntur:*

80.) C. 11. de Præbend.

cuidam personalia onera adjecit. Accessit quidem Confirmatio Pontificia, nescio quo petente: eam tamen universim esse necessariam, non apparet: forsan Beneficiatus ille de onere conquestus est; vel alius quispiam dubium movit, præsertim cum ad eam Præpositi & Capituli ordinationem assensus Episcopi non legatur adhibitus: provide igitur factum, ut onus illud autoritate Pontificia confirmaretur. Laudandus est Episcopi Zelus, si Beneficiato otioso pro augendo Cultu Divino imponat onus, etiam ad successores transiturum, e. g. si Primissarium in Ecclesia Rurali obliget ad Concionem Catecheticam sub Sacro habendam, cum homines eidem Matutinæ Missæ assistentes nec Concionem, nec Catechesin ferme per totum annum audiant 81.). Quamvis Collationes Bene-

81.) Van Espen Jur. Eccl. p. 2. tit. 18. c. 4. n. 31. refert, inter articulos pro reformatione Ecclesiæ nomine Caroli IX. Galliarum Regis Patribus Tridentinis oblatos, fuisse vigesimum quartum hunc: *Cum plura sint Beneficia, in qui-*

Beneficiorum sub conditione, modo, pacto aut onere, Simoniam sapiant 82.): nullum tamen est Simoniæ periculum, si modus aut conditio spiritualis autoritate Ecclesiastica annectitur, cum hac ratione nihil detur, quod similitudinem pretii habere possit. Respuunt quidem Sacri Canones conditionem in Electione adjectam 83.): sed hoc intelligendum de conditione eventus futuri, & actum suspendente.

§. 169. Onera *Realia* imponere prohibitum est, ad cohibendam avaritiam Collatorum, ne isti emolu- *Etiam Realia, quæ non*

S men-

---

quibus contra Beneficiorum omnium institutionem invaluit depravata consuetudo, ut qui ea possident, nullo teneantur concionandi, Sacramenta administrandi, aut alio onere Ecclesiastico, Episcopus cum consilio Capituli his Beneficiis curam aliquam spiritualem imponat, aut si utilius videatur, ea beneficia vicinioribus Parochialibus Ecclesiis uniat &c. qua ratione Synodus his postulatis satisfecerit, notat idem VAN ESPEN n. 32.

82.) C. fin. de pact.

83.) C. 2. de Elect. in 6.

Sapiunt avaritiam Collatorum:

menta sua ex Collatione captarent. Innumeri Sacri Canones hanc Simoniæ impietatem detestantur, de qua suo loco. Non tamen omnia onera realia ex aliis variis titulis imposita, de crimine Simoniæ insimulari debent.

Tale onus sunt I. Annatæ:

§. 170. Primo loco ponimus *Annatas.* Harum variæ sunt species. *Annata* proprie sumpta, est dimidia pars veri annui valoris fructuum Beneficii inferioris vacantis, quæ ipsi Summo Pontifici integre relinquitur. Hodie dicitur Annata *Bonifaciana*, quia ejus forma hodierna ortum duxit a BONIFACIO IX. Altera species est *Commune Servitium*, scilicet quantitas certa pro quolibet Episcopatu, vel Abbatia Consistoriali secundum antiquam taxam solvenda. Ejus dimidium tribuitur Papæ; reliquum inter Cardinales præsentes dividitur. Tertia species sunt *Minuta Servitia*, scilicet quinque portiunculæ, quæ secundum proportionem taxæ fructuum Episcopatus, vel Abbatiæ inter certos Papæ Ministros, & Officiales distribuuntur. Demum *Quindennium* est Annata, quæ singulis

lis quindecim annis solvitur pro Beneficiis perpetuo unitis 84.).

§. 171. Diversitas opinionum de origine Annatarum ex eo oritur, quod aliqui ad hos, alii ad alios usus vel abusus, natales earum referant: discordia hæc nullius est momenti. Non lubet ascendere ultra Indultum illud, quo Romani Pontifices Episcopis nonnunquam vel omnes fructus, vel fructus primi anni ex Beneficiis ad collationem horum Episcoporum pertinentibus, quæ intra certum tempus e. g. intra biennium, vel quinquennium vacassent, pro expungendis Ecclesiæ suæ debitis concesserunt 85.). Quod autem Pontifices aliis Episcopis concesserant, idem sibi quoque licere censebant, quando Ecclesia Romana necessitatibus urgebatur. Pro his

Quarum varia erat origo:

84.) Juxta Const. Pauli II. Decet Romanum. quam illustrat Card. Petra Commentar. in Apost. Const. tom. 5.

85.) Honorius III. C. 32. de Verb. signif. Bonifacius VIII. C. 10. de Rescript. in 6. item C. 26. de Præbend. in 6. Plura exempla recensetThomassin. p. 3. l. 2. c. 58. n. 2. seq.

JOANNES XXII. in quibusdam solummodo Regnis exigebat fructus primi anni Beneficiorum 86.): & post biennium publicavit Decretalem 87.), qua explicat Constitutionem suam de Reditibus primi anni Beneficiorum per triennium vacantium. Demum Annatæ hæ factæ sunt perpetuæ a tempore BONIFACII IX. & Schismatis Avenionensis 88.).

Et graves querelæ contra eas.

§. 172. Graves querelas hac de re moverunt tum aliæ Nationes, tum etiam Germani, super quibus varie disputatum fuit in Concilio CONSTANTIENSI 89.). MARTINUS V. in eodem Concilio electus, proposuit Nationibus Reformationem Curiæ Romanæ 90.), cujus Articulus III. de

86.) RAYNALD. ad Ann. 1317. n. 49.
87.) Extrav. 11. inter commun. de Præbend.
88.) RAYNALD. ad Ann. 1399. n. 12.
89.) Publica declaratio Nationis Gallicæ de Annatis non solvendis in Concilio lecta, refertur apud VON DER HARDT tom. 1. part. 13. fol. 761. seqq. cui opposita Apologia PETRI DE ALLIACO habetur ibid. tom. 6. part. 2. fol. 51.
90.) Ibid. tom. 1. part. 23. fol. 1024.

de Annatis consonat Concordatis inter eundem Pontificem & Germanicam Nationem *quoad Ecclesiastici Regiminis emendationem*, ut sonat Rubrica, adornatis 91.). Cum autem nihil stabile & firmum fuisset conclusum Constantiæ, Patres Concilii Basileensis, occasionem hanc carpendi Aulam Romanam arripientes, de consuetudine solutionis Annatarum omnino tollenda egerunt. Oppositerunt se Legati Apostolici 92.): quos non morati Patres hujus Synodi Decretum de Annatis abolendis ediderunt 93.), autoritate huic negotio nequaquam commensurata.

91.) Ibid. part. 24. fol. 1063.

92.) Rationes eorum refert Augustinus Patricius in Histor. Concil. Basileens. *f.* 44.

93.) Sess. 21. Anno 1435. Ut Eugenius IV. accederet huic Decreto, miserunt Basileenses ad Pontificem Florentiæ tunc agentem Legatos, inter quos erat Joannes de Bachenstein, cujus Orationem exhibet Harduin. tom. 8. col. 1505. & Responsionem Antonii Pontificii Auditoris. ibid. col. 1511. seqq.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

In Germania nullæ dantur, exceptis Beneficiis Consistorialibus.

§. 173. Sed Eugenius IV. Germanis a Synodo Basileensi abstractis, in Bulla edita 7. Id. Febr. Ann. 1447. præter plura alia Indulta remisit quascunque obligationes super Annatis usque in illud tempus debitis: iniitque Concordata, eodem anno a Successore suo Nicolao V. publicata, quibus fere inserta sunt, quæ supra inter Martinum V. & Nationem Germanicam circa Annatas conventa diximus, scilicet: *De Ecclesiis Cathedralibus & Monasteriis Virorum duntaxat, vacantibus & vacaturis* (quæ Beneficia Consistorialia vocantur) *solvantur de fructibus primi anni a die vacationis summæ pecuniarum in libris Cameræ Apostolicæ taxatæ, quæ Communia Servitia nuncupantur... pro media parte infra annum a die habitæ possessionis pacificæ .. & pro alia media parte infra annum sequentem* 94.); *& si infra*

94.) His Concordatis Anno 1447. expeditis, mox intra decennium conqueritur Cancellarius Moguntinus Martinus Mayr in Literis ad Æneam Sylvium, tunc Cardinalem Senensem datis, quod *Annatæ absque ulla dilatione temporis*

fra annum bis vel pluries vacaverint, semel tantum solvantur, nec debitum hujusmodi in successorem in Ecclesia, vel Monasterio transeat 95.). De ceteris

 vero

poris exigantur. Respondet Cardinalis, *hoc ab eorum ingratitudine ortum, qui cum Ecclesias consecuti essent, dilationemque faciendæ solutionis obtinuissent, neque in præstitata die, neque multis post annis, Apostolicæ Cameræ satisfacere curaverunt &c.* Vid. Epistola fusior Æneæ Sylvii, quæ de Moribus Germaniæ inscribitur. Morosam talem solutionem expertus est hic ipse Æneas Sylvius, quando ad Pontificatum sub nomine Pii II. evectus, Dietherum Archiepiscopum Moguntinum e Sede sua ob hanc etiam causam dejecisse dicitur, ut vult Nauclerus Chronograph. Vol. 2. ad ann. 1461. fol. 1091. seqq. Cruentam tragædiam refert Joann. Gobellinus in Comment. Pii II. lib. 6. postquam lib. III. fol. 64. recensuisset Simoniacam Dietheri electionem. Recentiorum Pontificum Constitutiones pro maturanda Annatarum solutione referuntur in septimo Decretal. lib. 2. tit. 3. Nihilominus Georgius Branden super Concordatis quæst. 5. n. 39. conqueritur contra indiscretos quosdam actus Annatistarum &c.

95.) Ex paritate rationis infertur, non deberi Annatas, si quis possessionem non obtineat, proin pecunias jam solutas, esse

vero Beneficiis quibuscunque, quæ autoritate Sedis Apoſtolicæ conferentur, ſolvantur Annatæ, ſeu medii fructus juxta taxam ſolitam a tempore poſſeſſionis intra annum &c. *ſed de Beneficiis, quæ valorem viginti quatuor florenorum auri de Camera non excedunt, nihil ſolvatur.* Conſequenter de nullo Beneficio Germaniæ ſolvuntur Annatæ, cum ſingula in Camera Apoſtolica taxata ſint ad valorem viginti quatuor florenorum auri. Solum igitur communia & minuta ſervitia præſtantur pro Beneficiis Conſiſtorialibus, ſcilicet Epiſcopatibus & Abbatiis, quæ ex Confirmatione Pontificis obtinentur.

§. 174.

---

eſſe reſtituendas. Sic Romæ judicatum 1667. & 1677. item anno 1712. prout refert Card. Petra in Comment. ad Conſt. Apoſtol. tom. 5. ad Conſt. I. Nicolai V. ſect. un. n. 67. occaſione Coadjutoris Olomucenſis ante Coadjutum defuncti: quamvis Franc. Maria Pitonius acriter pro Annatiſtis contra Hæredes ſcripſerit, ut videre eſt in ejusdem Diſcept. Eccleſ. part. 1. diſcept. 18.

§. 174. Ex dictis liquet, hæc Beneficiorum emolumenta longe antea ad varios Episcopos pervenisse, quam ad Romanos Pontifices, ac habere rationem subsidii ex Reditibus beneficialibus pro Aula Pontificia, Collegio Cardinalium, & Officialibus Curiæ Apostolicæ, qui omnes labores suos & operam impendunt pro bono universæ Ecclesiæ. Unde sicut in aliis Episcoporum aut Parochorum emolumentis, ita nec in Annatis ulla intervenit umbra Simoniæ 96.). Nam non Prælatus, sed

Nulla Simoniæ labes illis affingi potest:

96.) Simoniæ Bonifacium IX. insimulat acerrimus ejus Adversarius Theodoricus a Niem de Schismate lib. 2. c. 7. sed Böhmerus de nimio in Pontifices favore minime suspectus, Jur. Eccles. Protest. lib. 1. tit. 11. §. 46. fatetur, inania esse, quæ ex vitio Simoniæ Annatis asperguntur. Aspergit autem liberaliter Duarenus de Sacris Eccles. Minister. lib 6. c. 3. quem refellit Azor Inst. Moral. p. 2. lib. 7. c. 12. Hunc simul & Pontifices impugnat Launoius Oper. tom. 2. Vol. 2. de Eccles. tradit. circa Simon. c. 57. observat. 19. Launoii doctrinam reprobat Natalis Alex.

ſed Eccleſia ipſa, antequam ei aliquis præficitur, ad ſolutionem Annatarum de mediis fructibus ex ipſo vacationis die Cameræ Apoſtolicæ obligatur: propterea qui Eccleſiæ præficitur, medios ſolvit fructus, ſicut alia debita ad utilitatem Eccleſiæ contracta 97.). Certe ipſi Patres Synodi Basileensis, qui Annatas perſequebantur, promittebant, pro oneribus, quæ Summum Pontificem pro regimine univerſalis Eccleſiæ ſubire oportet, proque ſuſtentatione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium & aliorum neceſſariorum Officialium, ante diſſolutionem Concilii

---

Alexander Hiſt. Eccl. tom. 8. Diſſert. 9. ubi tamen non approbat omnia argumenta Fagnani in C. præterea. Ne Prælati vices ſuas &c. quibus n. 63. ſeqq. impugnat Cosmam Guimier, qui in Gloſſis ad Sanct. Pragmat. Tit. de Annatis. acrius contra easdem invehitur.

97.) Sic ratiocinatur Thomas Campegius tract. de Annatarum Inſtitutione n. 11. Similia argumenta fuſius pertractata legi poſſunt apud Petrum de Marca de Concord. Sacerdot. & Imper. lib. 6. c. 12.

lii omnino debite & congruenter providere 98.), quod tamen nunquam factum est: postquam autem FELICEM Antipapam elegissent, ob defectum aliorum redituum, certam partem fructuum primi anni omnium Canonicatuum & Præbendarum ipsi per decennium assignarunt 99.).

§. 175. Horum exemplo etiam hodierni Germaniæ nostræ Protestantes, jus exigendi Annatas, quas Pontifici Romano invident, suis Principibus Laicis adjudicant. Quando enim Instrumento Pacis Westphalicæ 100.) statuitur, ut si quid Annatarum nomine in bonis Statuum Augustanæ Confessionis Ecclesiasticis immediatis prætendatur, id validitate careat; censent Protestantes 1.) Annatas quidem Papæ esse

Et Protestantes Germaniæ, quas negant Pontifici, adjudicant suis Principibus.

98.) Sess. 12. in fin.
99.) Ibid. sess. 42.
100.) Art. V. §. 19.
1.) STRYCKIUS Dissert. Vol. 7. disp. 4. de Jure Papali Principum Evangelicorum. c. 4. §. 7. seqq. BÖHMERUS cit. lib. 1. tit. 11. §. 32. seqq. item Consultation.

esse denegatas, non tamen eo ipso prorsus remissas & extinctas, sed potius Principibus Protestantibus, vi Juris circa Sacra, reservatas. Controversia inter hos est, an Principes Protestantes in exigendis Annatis ea moderatione uti teneantur, qua usi sunt Pontifices, tum ex Concordatis Germaniæ; tum ex usu recepto: e. g. an in Beneficiis inferioribus non verus fructuum valor, sed moderata taxa attendi debeat? an nihil exigere possint ex beneficiis valorem 24. florenorum auri non excedentibus? an omnes Canonicatus non ad majorem, quam 24. florenorum auri valorem taxandi sint? an si eodem anno Beneficium bis vacet, duplices Annatæ solvi debeant? an ex Canonicatibus & Beneficiis, ex quibus Pontifices ante Pacem Westphalicam nihil exegerunt, etiam ipsorum Principes hodie nihil

---

tation. tom. 1. part. 1. Responſ. 15. n. 64. seqq. VITRIARIUS cum Notis Pfeffingeri lib. 1. tit. 15. §. 24. tom. 1. fol. 1405. seqq.

nihil exigere possint? &c. His controversiis nos non immiscemus 2.).

§. 176. Alterum locum inter onera Beneficii obtinet *Census*, per quem hoc loco intelligitur pensio annua ex proventibus Ecclesiasticis solvenda, in signum vel subjectionis, vel alterius juris. Est vel *antiquus*, qui statim initio & tempore fundationis impositus est Ecclesiæ, velut onus reale: vel *novus*, qui postea imponitur ab homine. Uterque vel est *per-*

II. Aliud onus est Census annuus:

2.) Ex Acatholicis præter allegatos, Annatas calumniis infectantur Joannes Sleidanus de stat. Relig. lib. 4. ad ann. 1523. Henniges Medit. ad Instrum. Pac. Art. V. §. 19. Reinking de Regim. Sæcul. & Eccles. lib 3. class. 1. c. 8. n. 24. seqq. Schilterus de Libertat. Eccles. Germ. lib. 5. c. 6. §. 2. Ex Catholicis præter citatos, Annatas propugnant Rodriquez Fermosinus tom. 1. ad c. 10. de Constit. quæst. 19. n. 12. seqq.
Melchior Lotterius de Re Benefic. lib. III. quæst. 20.
P. Ignatius Schwarz Colleg. Histor. part. 6. quæst. 7.
Joan. Caspar. Barthel opuscul. tom. 2. Dissert. prælimin. de Concord. German. cap. 3.

perpetuus, vel *temporalis* seu ad certos annos duntaxat. Censum antiquum Beneficiis aut Ecclesiis imponere potest *Papa* in signum subjectionis, vel etiam solius protectionis, aut in recognitionem exemptionis 3.): *Episcopus* tempore fundationis, dotationis vel Consecrationis Ecclesiæ 4.): *Patronus* in limine fundationis cum consensu Episcopi 5.). Censum novum *perpetuum* regulariter Ecclesiis nemo Papa inferior, proin neque Episcopus præsertim in suæ, vel Capituli Mensæ utilitatem imponere potest, aut antiquum augere 6.): *temporalem* vero imponere potest Episcopus, sicut dicetur de Pensionibus & Subsidio charitativo.

Census antiqui species est Cathedraticum

§. 177. Census antiqui species est *Cathedraticum*, quod ab omnibus Ecclesiis, Capellis & Beneficiis Episcopo præstari solet singulis annis in signum

3.) C. 2. de Censib. &c. C. 8. de Privileg. C. 10. eod. in 6.
4.) C. 30. XVIII. q. 2. c. 23. de Jure Patron. c. 7. de Censib.
5.) C. 16. de Censib.
6.) C. 3. & 7. de Censib.

signum subjectionis, & honorem Eccleſiæ Cathedralis. Dicitur etiam *Synodaticum*, eo quod in Synodo Diœceſana ſolutum fuerit: Synodis non celebratis, Cathedraticum tempore Viſitationis exhibebatur: ne autem videretur pecunia dari ratione Viſitationis 7.), hodie in noſtris Diœceſibus paſſim colligitur, quando Archidiaconi vel Decani rurales conventum celebrant. Nullum habemus Canonem, qui primum onus Cathedratici imponat; multos autem & antiquos, qui jus iſtud Epiſcoporum ſupponunt, ejusque obſervantiam urgent 8.), ita tamen, ut *thedraticum*,

7.) Hoc prohibet Conc. TRID. ſeſſ. 24 c. 3. de Reform. nequaquam tamen præjudicat Juribus Cathedratici. FAGNANUS in c. conquerente. de offic. Jud. ord. Vid. CHRISTIANUS LUPUS in Diſſert. ad Concil. Epheſ. operum tom. 2. fol. 39. tom. 3. ad Can. 4. Concilii VII. & tom. 4. fol. 96. ſeq.

8.) C. 1. X. q. 3. ex Concilio BRACCARENSI II. anno 572. item c. 8. ibid. ex Concil. TOLET. VII. ann. 646. INNOCENTIUS III. c. 7. de Donation. & c. 20. de Cenſib. HONORIUS III. c. 16. de Offic. Jud. Ord.

ut non excedat duos solidos: non videtur autem verosimile, intelligi hoc loco solidos aureos Græcorum Imperatorum 9.); cum in singulis fere Provinciis moneta aliqua sub hoc nomine inveniatur, & diversa hujus Census quantitas in variis locis recepta deprehendatur 10.): respiciendum igitur est ad quantitatem redituum, & ad consuetudinem singularum Diœcesium 11.), quamvis enim consuetudo vel præscriptio tollere non possit Cathedraticum, po-

9.) Ejusmodi solidi septuaginta duo tempore Justiniani conficiebant libram auri. l. 5. C. de susceptorib. de quorum pretio agit COVARRUV. de Collat. veter. numism. c. 3. & var. resol. lib. 1. c. 11. n. 3.

10.) HONORIUS III. cit. c. 16. determinat duos solidos Lucensis monetæ: C. 20. de Censib. præstantur sex Denarii Papienses: in Concilio ROMANO sub Benedicto XIII. anno 1725. tit. 8. c. 4. duo solidi computantur pro viginti Juliis, seu duobus scutis monetæ; tenuiora autem Beneficia solvere jubentur Julios 15. 10. 5. vel etiam duos.

11.) BARBOS. de offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 86. n. 44.

poteſt tamen illud diminuere 12.): in dubio autem tenetur illud, quod in vicinis Provinciis obſervatur 13.).

§. 178. Sicut in aliis Regnis 14.) Jus Cathedratici, ita etiam in Germania ſemper viguit, vigetque hodie 15.), & quidem ita rigide, ut præſcriptio vel conſuetudo, etiam immemorialis, non obſtantibus Theoriæ principiis, in praxi Curiæ Romanæ *Etiam in Germania hodie vigens:*

T

12.) FAGNANUS in c. olim. de *Cenſib.*

13.) *C.* 22. de *Cenſib.*

14.) PAX JORDAN Elucubr. vol. 2. lib. 7. tit. 15. n. 112. allegat cauſam, ex qua Eccleſiæ Dalmatiæ non ſolvunt *Cathedraticum. Carolus* Fevret de Abuſu lib. 3. c. 4. n. 6. putat, uſum *Cathedratici* ferme eſſe abrogatum in Gallia: ſed eum refellit ALTESERRA in Vindic. Jurisdict. Eccleſ. lib. 2. C. 19.

15.) BÖHMERUS Conſult. tom. 1. Reſp. 15. n. 102. intelligendus ſolum eſt de Eccleſiis Proteſtantium, quæ Principibus ſuis Laicis, quibus tamen alia jura Epiſcopalia adjudicant, nihil præſtant Cathedratici nomine: nihilominus Miniſtri Proteſtantes in multis locis aliquid conferunt, quod Cathedratici vices ſupplere videtur, teſte HENRICO LINCK, Autore Acatholico, de Jure Epiſcopali. C. 10. n. 65. ſeqq.

manæ non præjudicet Juri Cathedratici 16.): neque enim præsumitur Privilegium Pontificis, nec Episcopus potest cedere jure suo in præjudicium successoris 17.). Tenentur autem ad solvendum Cathedraticum omnia Beneficia, Capellæ, & Ecclesiæ etiam filiales, quæ Beneficium separatum sub speciali titulo complectuntur: secus, si titulus omnino sit extinctus, & duæ Ecclesiæ sub uno titulo administrentur, ita ut

16.) Benedictus XIII. in Conc. Roman. tit. 8. c. 4. Benedictus XIV. in tract. de Synod. Diœcesf. l. 5. C. 7. n. 6. quamvis antiquiores decisiones videantur contrariæ apud Pignatelli tom 6. Consult. 8.

17.) Pitonius Discept. Eccles. 35. n. 8. & 9. Erasmus a Chokier de Jurisdict. Ord. in Exempt. p. 1. q. 3. n. 4. Piasecius prax. Episc. p. 2. C. 2. art. 2. n. 11. Carnotenses Canonici sperabant, Lexovienſem Episcopum more Antecessorum suorum nihil exacturum ex Parochiis, quas Canonici in isto Episcopatu habebant. legi meretur inter Epistolas S. Fulberti epist. 57. & 110. ibi vocatur *Synodus*, hic autem *Circadæ*, quia tempore Visitationis præstari solebat.

ut Ecclesia filialis sit quasi prædium Ecclesiæ Parochialis 18.). Ecclesiæ Monasteriorum, sicut a reliqua Lege Diœcesana, ita etiam a Cathedratico immunes sunt 19.), non tamen Ecclesiæ Monasteriis incorporatæ 20.), nisi forte consuetudo eas æquare videatur ipsis Monasteriorum Ecclesiis 21.).

§. 179. Census novi species sunt *Pensiones*, quo nomine intelligitur jus percipiendi aliquos fructus ex alieno Beneficio, autoritate legitima, & justa de causa concessum. Non agimus de Pensione *Laica*, quæ datur Laicis vel Clericis propter obsequium temporale: nec de *Clericali*, quæ Clericis propter officium spi-

Census novi species sunt Pensiones,

18.) De hac unione vid. Hier. Gonzalez in Reg. 8. Cancell. gloss 5. §. 7. Lotterius de Re Benefic. lib. 1. q. 28. a n. 96.

19.) C. 8. X. q. 3. C. 34. XVI. q. 1. C. 5. XVIII. q. 2.

20.) C. 16. de Offic. Jud. Ord. C. 12. de Præbend. Clement. 1. de Censib. C. fin. de Capell. Monach. ibi: *Monachi lege tibi Diœcesana subjecti.*

21.) P. Schmier Jurisprud. lib. 3. tr. 1. p. 3. C. 1. n. 32.

rituale: sed de *Mixta*, quæ constituitur quidem solis Clericis, non tamen propter officium spirituale, sed per modum Eleemosynæ ad sustentandum Clericum pauperem, senem, ægrum &c. Nullus Papa inferior imponit ipsi Beneficio pensionem perpetuam alteri Clerico solvendam 22.): Episcopus tamen potest imponere moderatam pensionem 23.)

Bene-

22.) *C.* 7. de *C*ensib. si ex reditibus pinguioris Beneficii subvenitur Ecclesiæ pauperi vel in perpetuum, vel ad certum tempus, id non habet rationem pensionis, sed solummodo si imponatur in utilitatem privati cujusdam Clerici.

23.) Ita ut Beneficiato semper relinquatur congrua sustentatio. Unde *C*oncilium TRIDENTINUM sess. 24. *C.* 13. cavet, ut *Cathedrales Ecclesiæ, quarum reditus summam Ducatorum mille, & Parochiales, quæ summam Ducatorum centum secundum verum annuum valorem non excedunt, nullis pensionibus aut reservationibus fructuum graventur.* Et INNOCENTIUS XII. anno 1692. prohibet pensiones super Ecclesiis Parochialibus imponi, ut Parochi liberalius possint subvenire necessitatibus Parochianorum suorum. Edictum hoc continetur in *Collect.*

Beneficiato, non tantum morte ipsius cessaturam, sed etiam duraturam usque ad mortem Pensionarii 24.): qua ratione censetur onerari solus Beneficiatus, ex ea tamen causa, quæ sufficiet ad onerandum etiam ejus Successorem, cui censebitur de novo idem onus imponi, si forte Pensionarius adhuc vivat.

§. 180. Justa causa imponendi Pensionem est pro bono pacis ad sedandas lites 25.): pro alimento resig- *Ex justa Causa imponendæ.*

lect. Bullarum Innocentii XII. num. 88. estque conceptum lingua Italica, consequenter non extendendum extra Italiam.

24.) In *C.* 21. de Præbend. prohibetur quidem talis arbitraria dispositio Judicibus delegatis, qui tantam potestatem circa reditus Beneficiorum non habent, qualem habet Episcopus. Unde in c. 5. de Transact. vitam Pensionarii non excedere jubetur *Census absque Episcopali autoritate solutus.*

25. Exemplum præbet Concilium CHALCEDONENSE, dum Act. 12. geminos de Episcopatu Ephesino litigantes removet, utrique tamen pensionem ducentorum solidorum ex reditibus ejus Ecclesiæ nutrimenti gratia assignat. Aliud exemplum ibidem occurrit Act. 14. in fin.

resignantis aut exauthorati 26.): aut a beneficio suo injuste expulsi 27.): pro utilitate Ecclesiæ: propter merita in Ecclesiam. In permutatione Beneficiorum non potest concedi pensio ex hoc solo titulo, quod unus cedat pinguius beneficium, & tenuius acquirat. Ubique observandum, ut necessariæ sustentationis modus non excedatur ex patrimonio pauperum; & ut constitutio Pensionis initium sumat *non ex pactione partium, sed ex jussione Judicum,* seu

---

26.) In eodem Concilio Act. 10. Domno exauthorato Episcopo Antiocheno conceditur *miserationis intuitu* pensio exilla Ecclesia, *ut contentus alimoniis quiescat in posterum.* S. Gregor. M. lib. II. Indict. XI. epist. 53. Episcopo deposito quinquaginta solidos constituit: nam nimis est impium, si alimentorum necessitati post vindictam subjaceat. Idem Episcopos renuntiantes, postmodum de reditibus relictæ Ecclesiæ sufficienter nutriendos esse censebat. Joan. Diac. in Vita lib. IV. c. 39.

27.) Hoc charitatis obsequium præstari expulsis curavit S. Gregorius M. teste Joan. Diacono in Vita lib. III. c. 16. Exemplum est in lib. 1. epist. 43.

seu Episcopi : audiri tamen debet Beneficiatus, & Beneficii Patronus. Obligatio Pensionarii Clerici est, ut gestet habitum & Tonsuram: ut recitet Officium parvum B. Virginis, prout habetur in Breviario, nisi recitet ipsas Horas Canonicas: ut pro rata concurrat ad onera Beneficii. Extinguitur Pensio per mortem Pensionarii, nisi eodem vivente Pensio fuerit legitime translata ad alium 28.). Item per voluntariam cessionem Pensionarii, aut etiam per anticipatam solutionem ac redemptionem: ubi tamen communiter requiritur autoritas Superioris, si Pensio data sit alimentorum gratia, cum etiam alias non liceat transigere de alimentis futuris absque autoritate Prætoris 29.): cessante necessitate, seu paupertate Pensionarii, extingui Pensionem ab Episcopo causa alimentorum Beneficiato imposita 30.):

28.) De Translatione Pensionis integrum tractatum scripsit FATINELLUS DE FATINELLIS.

29.) L. 8. pr. ff. & L. 8. C. de Transact.

30.) Card. de LUCA de Pensionib. discurs. 40. n. 6.

non autem extingui penſionem proprie dictam, a Papa Beneficio impoſitam, cenſent Scriptores, quia hæc viget ſemper, quamdiu ſubſiſtunt ejus cauſæ intrinſecæ, *Materia* ſeu fructus Beneficii gravati; & *Forma*, quæ conſiſtit in conſenſu Titularis, & Voluntate Papæ, licet ceſſet cauſa impulſiva, ſcilicet cauſa alimentorum 31.). De materia Penſionum conſulantur ſingulares tractatus 32.).

§. 181.

31.) Lotterius de Re Benefic. lib. 1. q. 41. n. 1.

32.) Ejusmodi Tractatus de Penſionibus Eccleſiaſticis ſcripſerunt Paulus *Romanus*, Joan. Bapt. Caccialupus, & aliis plenius Hieron. Gigas. Augustin. Barbosa Praxis exigendi Penſiones. Card. de Luca tom. 1. part. 2. de Penſionib. Garcia de Benefic. p. 1. c. 5. Lotterius de Re Benefic. lib. 1. q. 35. ſeqq. Leurenius For. Benefic. part. 3. ſect. 1. c. 4. quæſt. 428. ſeqq. Præpoſitus Friſingenſis L. B. de Zeller tom. 1. Conſ. 5. n. 92. ſeqq. Van Espen Jur. Eccl. p. 2. tit. 28. Joan. Wamesius Conſil. tom. 1. Conſ. 264. uſque 284. Thomassin. p. 3. l. 2. c. 29. ſeqq.

§. 181. *Exactionis* nomine intelligitur omne id, quod Superiores a subditis exigunt extra ordinem: hoc loco intelligitur Pensio, quæ extraordinarie ab Episcopis ex justa causa exigitur de reditibus Ecclesiasticis. Præcipua ejus species est *Subsidium Charitativum*, quando Prælatus Ecclesiasticus ex manifesta ac rationabili causa cum charitate moderatum a Beneficiatis auxilium postulat 33.), ex obligatione ab his præstandum, utpote qui debere se, quod sponte tribuunt, existimant 34.). Exigere illud potest Papa, Episcopus, & qui habet Jurisdictionem quasi Episcopalem e. g. Cardinalis in suo Titulo. Item qui habet administrationem Episcopatus, uti Capitulum Sede vacante, Commendatarius perpetuus, Coadjutor actu administrans: non tamen Archidiaconus, Decanus aut Vicarius Generalis, nisi ex speciali mandato. Archiepiscopus potest quidem Suffraganeos suos, & eorum subditos ad subsidium sibi

III. Exactiones,

33.) C. 6. §. prohibemus. de Censib.
34.) C. 1. de Donation.

concedendum *charitative monere* 35.), non tamen compellere. Qualiscunque autem Prælatus id facere non debet absque consilio Capituli. Causa justa & rationabilis in genere est utilitas & necessitas Ecclesiæ, cui non sufficiunt Reditus Episcopi: in dubio hæc non præsumitur, cum Jura exigant causam *manifestam*.

A Beneficiatis in subsidium Charitativum præstanda.

§. 182. Subsidium hoc exigere Episcopus potest a Clericis & Ecclesiis suæ Diœcesis, & a Capitulo Cathedrali: non tamen a Clericis pauperibus, qui non habent ultra decentem sustentationem; neque ab iis, qui absque ullo Beneficio Ecclesiastico vivunt ex patrimonialibus, præsertim in illis Provinciis, ubi Clerici ratione patrimonialium subjecti sunt oneribus Laicorum; nec ab iis, qui absque culpa sua non percipiunt fructus Beneficii; nec a Monasteriis, quæ sunt libera a Lege Diœcesana, ad quam pertinet subsidium Charitativum, nisi ratione Ecclesiarum sæcularium Monasterio subjectarum. Quantitas quidem Subsidii hujus videtur aliquo modo deter-

35.) C. 1. de Pœnit. in 6.

terminata 36.) : sed usus hodiernus respicit magis proportionem necessitatis 37.).

§. 183. Ad subsidium Charitativum revocantur *Decimæ Papales*, quas Pontifex ex Reditibus Ecclesiasticis exigit pro se, vel exigendas concedit

IV. Decimæ Papales,

Prin-

36.) Juxta Extrav. un. inter commun. de Censib. Episcopi non possunt pro subsidio Charitativo plus exigere, neque etiam a volentibus plus recipere, nisi quantum ascenderent singulæ Procurationes, quando per alium visitant. In partibus autem Alemanniæ in tali casu pro unius diei procuratione ultra 80. Turonensium argenti valorem recipere Episcopi non possunt juxta dictam Extravagantem : Turonenses autem tales intelliguntur, quorum duodecim valeant unum florenum auri boni, puri & legalis ponderis, ac cunii Florentini. Hos florenos pro Ducatis sumit Hieron. Gigas tr. de Pension. q. 59. n. 7.

37.) Singularem Tractatum de Charitativo subsidio scripsit Bartholomæus Bellencinus, & Remigius de Gonny. item Nicolaus Boërius Decis. 133. seqq.

Principibus 38.). Imponi solent urgente aliqua necessitate, præsertim pro expeditione belli contra hostes fidei: unde passim Decimæ *Saladini* appellabantur, quia CLEMENS III. eas imperavit contra Saladinum Saracenorum Regem, qui urbem Hierosolymitanam occupaverat 39.). Variæ querelæ & lites de his Decimis tum

38.) De his agit Clement. 2. de Decimis. & Extrav. un. eod. inter comm. Quod autem ad hanc Constitutionem etiam nunc in dubio recurrendum sit, tradit MONETA de Decimis c. 9. n. 27. seqq.

39.) FLEURI Histoire Eccles. tom. 15. lib. 74. §. 15. & Discours VI. GUILLELMUS NEUBRIGENSIS de Rebus Anglic. l. 3. c. 33. ROGERUS HOVEDENUS Annal. part. poster. ad ann. 1188. fol. 366. Exempla harum Decimarum ubique occurrunt plurima, nominatim apud MART. CRAMERUM de Reb. Polon. lib. 6. fol. 115. lib. 12. fol. 209. lib. 30. fol. 437. ROBERT. GUAGNINUM de Gestis Francor. lib. 6. fol. 98. lib. 9. fol. 190. PAULUM ÆMYLIUM de Reb. gestis Francor. lib. 8. fol. 402. & 436.
JACOB. MEYER. Annal. Flandr. lib. 11. fol. 127. & lib. 12. fol. 157.
MEICHELBECK Histor. Frising. tom. 2. part.

tum alibi, 40.) tum præcipue in Germania agitatæ sunt. In Concilio CONSTANTIENSI remedium ponere promisit MARTINUS V. 41.): Idem autem eodem tempore decimas ejusmodi Clericis Germaniæ imposuit in sublevationem expensarum, quas Sigismundus Imperator pro tollendo schismate fecerat, quibus acriter contradictum fuit 42.). LEO X. per Le-

---

part. 1. fol. 111. ubi refertur modus solvendi fol. 112. MARTENE & DURAND. Anecdotor. tom. 1. & 2. passim. Odoric. RAYNALD. Annal. Eccles. Anno 1215. n. 14. A. 1224. n. 25. A. 1227. n. 57. 58. 61. A. 1267. n. 53. seqq. A. 1291. n. 22. 56. A. 1292. n. 7. seqq.

40.) Has Decimas vehementer improbavit PETRUS BLESENSIS Epist. 112. & 121. item in tract. de Hierosolymitana peregrinatione acceleranda: quæ ratio est, ut qui pro Ecclesia pugnant, Ecclesiam spolient, quam inimicorum spoliis, & donis triumphalibus ampliare debuerant?

41.) In Reformatione Nationibus oblata art. 18. apud Von der Hardt Conc. Constant. tom. 1. part. 23. fol. 1038.

42.) Oppositioni septem Ecclesiarum Germanicarum nomine, Concilio oblatæ præfigitur Titulus: *Dominici de, Germiniano*

Legatos ad MAXIMILIANUM Imperatorem & Principes Germaniæ missos, pro bello contra Turcas necessarium putat, ut imponantur Clericis Decimæ, plebeis quinquagesimæ, cuique domui stipendium unius militis, divitibus annui census ac lucri vicesima. His opposita est petulans Oratio dissuasoria 43.): sed major reverentia erga Pontificem & studium Rei Christianæ insedit mentibus Principum 44.).

Observanda circa eas,

§. 184. Circa has Decimas, nisi aliud exprimatur, observantur ea, quæ in Corpus Juris Canonici sunt rela-

---

miniano JCti Florentini Repudium Decimarum, Diplomatibus Martini V. & Edictis Episcoporum de Decimis a Clero Germano solvendis, oppositum in Concilio Constantiensi. apud Von der HARDT tom 2. part. 23. Fol. 606. seqq. Plura videri possunt apud *Petrum* DE MARCA Concord. Sacerd. & Imp. lib. 6. c. 12. n. 8. seqq.

43) Dignus partus suo Autore, qui UDALRICUS HUTTENUS fuisse fertur. Vid. German. Rerum Scriptores a Frehero editi tom. 2. m. fol. 391. seqq.

44.) Vid. Recess. Imper. Augustæ anno 1518.

relata 45.): ſcilicet, ut ſolvantur in parata pecunia: Eccleſiarum Calices, libri & alia ornamenta ex cauſa pignoris vel diſtractionis non recipiantur: nihil exigatur de reditibus Hoſpitalium: nihil a regularibus perſonis publice mendicantibus, nec a Clericis ultra neceſſariam ſuſtentationem non habentibus 46.): nihil ex pecuniis Eccleſiæ relictis pro emendis perpetuis reditibus: nihil de ſylvis, paſcuis, ſtagnis, ex quibus non conſuevit pretium redigi, niſi forte aliquid de illis (id eſt, de eorum proventibus) vendatur durante Decima: nihil de oblationibus ad opus fabricæ, vel quæ in certis feſtivitatibus in candelis &c. conſueverunt offerri: nihil de oblationibus

45.) Clem. 2. de Decimis. & Extrav. un. eod. int. com.

46.) In cit. Extrav. immunes dicuntur Clerici, quorum proventus annui ſummam ſeptem ducatorum non excedunt, forte anno 1300. quo Conſtitutio illa edita eſt, hi reditus ſufficiebant ad ſuſtentationem Clerici: hodie res ad arbitrium prudentis Collectoris reducitur.

nibus Confraternitatum ad luminaria, Cruces, Calices comparandos vel reparandos, ad sepeliendos mortuos &c. collectis. Deducuntur expensæ necessariæ, quæ fiunt in re, ex qua fructus percipiuntur, arando, colendo, & colligendo fructus: Parochus deducit salarium, Capellanis suis constituendum, nihil tamen ratione victus 47.). Solvitur Decima de quotidianis distributionibus, & de juribus Stolæ 48.). Nostra etiam memoria sæpius Pontifices concesserunt, ut ex Beneficiis Ecclesiasticis & Monasteriis solverentur Decimæ quibusdam Principibus, munere Collectorum in Episcopos translato. Bene admonet Gregorius Tholosa-

47.) In allegata Extrav. mentio fit Parochi, qui Capellanis *propter victum* salarium constituere necesse habet. Legendum puto: *præter victum*, quod etiam observat MONETA de Decimis c. 9. q. 2. n. 52.

48.) Rationem dat Pontifex, quia non occurrit, quin proventus Ecclesiastici sint. Videri tamen meretur MONETA loc. cit. n. 77. seqq.

Iosanus 49.): *caveant, qui exigunt, ne abutantur exactis, neve in usus alios convertant: non enim personis Ecclesiasticis solum injuriam irrogant, sed Deo & pauperibus, quorum patrimonium abliguriunt; Deus autem non fallitur &c.* Solent autem Pontifices a præstatione harum Decimarum eximere Cardinales, Equites Melitenses, & eos, quorum bona jam gravata sunt oneribus illius Principatus, in cujus emolumentum Indultum datur: singularibus etiam Privilegiis ab ejusmodi Decimis Papalibus, & subsidiis charitativis Societatem Jesu, & ejus Bona amplissimis verbis exemerunt Summi Pontifices Paulus III. Pius IV. & Gregorius XIII. 50.).

§. 185. Decimæ, de quibus dictum, censentur ab aliquibus 51.) *Præfectim*, debi-

U

49.) Syntagm. Jur. univ. lib. II. c. 20. n. 8.

50.) Vid. Compend. Privilegior. S.J. verb. Exemptio. §. 4. & 5. & Bullæ Pontificiæ in Instit. Societatis Vol. 1.

51.) Eo scilicet jure, quo in veteri testamento Pontifici debebantur Decimæ Decimarum.

quando Principibus conceduntur.

debitæ Summo Pontifici, & ab hoc ceſſæ Principibus. Iſti autem præterea in variis occaſionibus dona liberalia a Monaſteriis & Clericis vel exſpectant, vel exigunt. Hæc fuiſſe olim a Monaſteriis annuatim præſtita Regibus Francorum, abunde conſtat 52.), quæ videntur tandem in neceſſitatem tranſiiſſe. Abuſus tollere ſtuduit Concilium Lateranense III. ſub Alexandro III. ita tamen, ut æquitati & bono publico conſulatur, *ſi Epiſcopus & Clerus tantam neceſſitatem vel utilitatem aſpexerint, ut absque ulla exactione ad relevandas communes utilitates vel neceſſitates, ubi Laicorum non ſuppetunt facultates,*

52.) Concilium Vernense ſub Pipino ann. 755. can. 6. Concil. Aqisgran. ſub Ludovico Pio ann. 817. ubi refertur Notitia Monaſteriorum, quæ Regi militiam, dona, vel ſolas orationes debent, ratione haud dubie habita paupertatis vel divitiarum. Idem Ludovicus Pius reſervat ſibi dona dari ſolita ex Cella Turholt apud Bollandum tom. 1. Febr. fol. 405. in vita S. Anſcharii Archiep. Hamburgenſ. n. 59. Item Concil. ad Theodonis Villam, ann. 844. c. 4.

tates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda 53): *propter imprudentiam tamen quorundam Romanus Pontifex prius consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere,* prout provide adjicit Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. 54.), & magis confirmat Bonifacius VIII. per famosam Constitutionem *Clericis Laicos* &c. 55.), ingentium motuum fomitem inter hunc Pontificem & Philippum Pulchrum Regem Galliæ 56.). Postea tamen Sæculo XVI. hæc onera, sive Decimarum, sive Doni gratuiti

53.) C. Non minus 4. de Immunit. Eccles. & Fagnan. in idem.

54.) C. 7. ibid.

55.) C. 3. eod. in 6. Hanc Constitutionem benigne quidem ipse Bonifacius declaravit: ejus successor Benedictus XI. per Extrav. un. eod. inter commun. mitigavit: demum Clemens V. omnino revocavit, & ad terminos utriusque Concilii Lateranensis reduxit. Clement. un. eod.

56.) Vid. Histoire des Demelez du Pape Boniface VIII. avec Philippe par Adrien Baillet fol. 25. seqq. Et Joan. Rubeus in Bonifacio VIII. lib. 1. c. 15. & lib. 2. c. 7.

tuiti nomine, facta sunt ordinaria in Gallia, ac etiam in Belgio 57.). In Germania autem Episcopi & Abbates, qui possident Feuda Imperii, contribuunt ad communes necessitates juxta Concluſa Comitiorum Imperii: reliquus Clerus sæcularis & Regularis non difficilem se præbet urgente necessitate ad subsidium præstandum Principibus suis, ad normam allegati Concilii Lateranensis.

V. Regalia, maxime apud Gallos nota.

§. 186. Aliud Ecclesiarum onus, præcipue in Gallia, dicitur *Regalia*, per quam vocem numero singulari sumptam, intelligunt Jus Regi competens ad fruendum reditibus, ad Ecclesiam Cathedralem Sede vacante pertinentibus, donec novus Episcopus, juramento fidelitatis Regi præstito, Ecclesiæ possessionem adipiscatur. Hanc vocant Regaliam temporalem: spiritualem dicunt jus ad conferendum Præbendas & Beneficia non Curata, interim vacantia, donec novus Episcopus Sedis suæ possess-

57.) Vid. Thomassin. vet. & nov. Eccles. Discipl. p. 3. lib. 1. c. 38. 43. Van Espen Jur. Eccl. univ. p. 2. tit. 35. c. 3.

possessionem obtineat. Ortum videtur habere a Jure quodam Custodiæ & Depositi, cum vacante Ecclesia fructus interim, qui proveniunt, Principibus custodiendi, aut in depositum committuntur, Electo postea Ecclesiæ Pastori integri restituendi. Jus hoc competere potest vel ex reservatione in fundatione, vel ex privilegio, vel ex consuetudine: transiit autem paulatim in fructuum occupationem & appropriationem. Gregorius X. in Concilio Lugdunensi Anno 1274. cum abolere omnes abusus non posset, & pro recuperanda Palæstina benevolos Principum animos conciliare studeret; tolerandum aliquid ratus, constituit tamen, ut *qui ab ipsarum Ecclesiarum fundatione, vel ex antiqua consuetudine jura sibi hujusmodi vendicant, ab illorum abusu sic prudenter abstineant, & suos ministros in eis solicite faciant abstinere, quod ea, quæ non pertinent ad fructus sive reditus provenientes vacationis tempore, non usurpent* 58.).

58.) C. 13. de Elect. in 6. Guilielmus Durandus, qui interfuit Concilio Lugdunensi, in Commentario ad hoc Capi-

Non obstante hac moderatione, Jus istud semper magis fuit extensum in Gallia, cum Rex post Episcopi obitum conferat etiam vacantia Beneficia non Parochialia, & quidem in omnibus (paucis exceptis) Regni sui Diœcesibus, cum olim solummodo in quibusdam fuerit usurpatum 59.). Jus igitur Regaliæ ex quatuor juribus conflatum est I. ex jure nominandi Episcopum. II. jure illum investiendi. III. jure conferendi Beneficia Sede Episcopali vacante. IV. jure percipiendi proventus, fructusque vacantis Ecclesiæ Cathedralis. Plura non opus est adde-

---

Capitulum m. fol. 40. dicit: *præsens Constitutio fuit ad clamorem Prælatorum Franciæ & Angliæ promulgata, modicam tamen ex ea illic adhuc sequi videmus utilitatem.*

59.) Juris Regaliæ etiam ad Monasteria extensi memorabile specimen præbet lis illa, qua sub Ludovico XIV. involutæ fuerunt Moniales Congregationis B. M. V. a Petro Forerio fundatæ, prout narrat Eugenius Lombardus (Coelestinus Sfondrati) in Regali Sacerdotio Prælud. §. 1. n. 10.

addere, cum jus iſtud locum non habeat in Germania 60.).

§. 187. Ultimo loco inter Onera Beneficiorum numerantur *Procurationes*, quo nomine intelliguntur neceſſarii ſumptus ac expenſæ, quibus Epiſcopi, vel alii illorum loco, actualiter viſitantes Diœceſin vel Eccleſias, indigent pro ſuſtentatione competenti, quæ comprehendit victum & habitationem Viſitatoris, honeſtique comitatus, atque equorum neceſſariorum 61.). Sicut autem Viſitatio ſumme neceſſaria eſt, ita

VI. Procurationes in Viſitationibus;

60.) Videri poſſunt fuſe de hac materia ſcribentes ARNULPHUS RUZÆUS de Jure Regaliæ. PHILIPPUS PROBUS ſub eodem titulo. PETRUS DE MARCA de Concord. Sacerd. & Imper. lib. 8. c. 1. 17. 22. VAN ESPEN. Jur. Eccleſ. part. 2. tit. 25. c. 8. COELESTINUS Card. SFONDRATI Regale Sacerdotium. Item Gallia vindicata, ubi Maimburgi & Natalis Alexandri argumentis reſpondet. FLEURY Inſtitut. au Droit Eccleſiaſt. part. 2. C. 18.

61.) Procuratio etiam debita foret Legatis Apoſtolicæ Sedis tranſeuntibus, c. 17. de Cenſib. ſed hodie per non uſum videtur abrogata.

ita etiam Sacri Canones ſolicite cavent, ne populus & Clerus per eam nimium gravetur, ſed eam potius grato animo ſuſcipiant 62.).

Varia circa has ſtatuta.

§. 188. Statuitur itaque I. Viſitantes caveant, ne inutilibus ſumptibus cuiquam graves, oneroſive ſint: nec cum canibus venatoriis, & avibus proficiſcantur 63.), ſed ita procedant, ut non quæ ſua ſunt, ſed quæ JEſu Chriſti, quærere videantur: nec ſumptuoſas epulas quærant, ſed cum gratiarum actione recipiant, quod honeſte ac competenter illis fuerit miniſtratum, modeſto contenti equitatu, famulatuque. II. Ne ipſi, aut quisquam ſuorum quidquam, nec pecuniam, nec munus, qualitercunque oblatum, procurationis cauſa accipiant; non obſtante qua-

62.) Limites ponuntur in Concil. LATERAN. III. & IV. relato c. 6. & 23. de Cenſib. item Conc. TRID. ſeſſ. 24. c. 3. de Reform.

63.) Ex hac Conſtitutione Concilii LATERANENSIS III. & numero equorum ibi permiſſo, elucet, quod eo tempore Viſitationes nonnunquam fuerint inſtitutæ occaſione Venationis cujusdam.

quacunque consuetudine, etiam immemorabili. III. Etiam pro Visitatione Testamentorum ad pias causas nihil admittendum est, præter id, quod ex relictis piis Episcopo jure communi debetur. IV. Accipere possunt victualia, hoc est, esculenta & poculenta, sibi ac suis frugaliter, moderateque pro temporis tantum necessitate, & non ultra, ministranda. V. Sit in optione eorum, qui visitantur, an malint antea consuetam taxam pecuniarum solvere, an vero victualia submini-strare: ubi autem consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud a Visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, id ibi observetur 64.). VI. Si una die Episcopus visitet duas Parochias, debet esse contentus una Procuratione;

64.) Oratoria privata nullas solvunt Procurationes C. fin. de Censib. salvum etiam jubetur manere jus conventionum antiquarum cum Monasteriis, aliisve piis locis, aut Ecclesiis non Parochialibus initum, quod illæsum permaneat. Præscriptio autem locum non habet C. 17. de Censib. nisi sit immemorialis. Advertit autem FAGNANUS in C. Venerabili

ne: nec licet subsistere extra casum necessitatis in eadem Ecclesia ultra unum diem 65.). VII. Episcopi visitantes non possunt Procurationem exigere a Laicis 66.). VIII. Si quisquam (vel ipse Visitans, vel ejus familiares & ministri) aliquid amplius accipere præsumpserit, is præter dupli restitutionem intra mensem faciendam, aliis etiam pœnis juxta Constitutionem Concilii Lugdunensis 67.), vel in Synodo Provinciali determinandi, absque ulla spe veniæ, mulctetur.

---

rabili. eod. n. 29. ut de consuetudine non solvendi procurationem dicatur constare, non sufficere, ut visitati nunquam Episcopum procuraverint, sed probari oportere, Episcopum petiisse Procurationem, & visitatos detrectasse illam solvere, & postea Episcopum per longum tempus acquievisse.

65.) Unde Episcopus visitans Ecclesias vel Clerum Civitatis Cathedralis, non potest prætendere Procurationem, aut victualia a Visitatis, quia Visitatione expleta potest domi suæ victum sumere.

66.) Quia solos Clericos, non Laicos nominant Sacri Canones, quamvis isti sint simul visitati. Zypæus Jur. Pontif. novi lib. 3. Tit. de Censib. n. 9. Fevret traité de l'Abus lib. 3. c. 4. n. 7. fol. 282.

67.) C. 2. de Censib. in 6.

TITULUS XIII.

DE MODIS, QUIBUS EXTINGUITUR VEL ALTERATUR BENEFICIUM.

§. 189.

BENEFICIUM Ecclesiasticum dicitur (§. 103.) *Jus perpetuum* &c. ea scilicet perpetuitate, quæ in humanis rebus exspectari potest. Optime constituta vicissitudini subjecta sunt. Paucos exhibemus modos, quibus idem Beneficiis Ecclesiasticis contingit. Extinguitur Beneficium, quando Ecclesia destruitur una cum Reditibus: aut ab Infidelibus occupatur, ut nullus ibi fiat Cultus Divinus 68.): aut si Pontifex permitteret Monasteriis, ut Ecclesias in proprium usum convertant 69.). *Supprimitur* Beneficium, si Ecclesiæ subtrahitur erecta ibi Dignitas, aut Præbenda, vel Præbendarum numerus diminuitur. Cum ista tendant ad diminutionem Divini Cultus, atque ideo difficilius permittantur 70.);

Extinguitur vel primitur Beneficium.

68.) C. 42. VII. q. 1. Extrav. 3. de Elect. inter Commun.

69.) C. 19. de Privileg.

70.); semper requiritur gravis et necessaria causa. Præter alias ex singularibus circumstantiis obortas rationes 71.), causa supprimendi Beneficium est vindicta gravis scelerum 72.): defectus Sacrarum Reliquiarum 73.): Diminutio Redituum 74.) & quidem talis, ut persona idonea non possit cum fructibus illis vivere, & satisfacere oneribus Beneficii 75.). Praxis Romana requirit etiam, ut probetur ista diminutio habito respectu quantitatis assigna-

tæ

70.) C. 12. de Constit.

71.) Rationes, ex quibus suppressus est Patriarchatus Aquilejensis, videre licet in Constitutione super hoc negotio edita a BENEDICTO XIV. Anno 1751. & continetur in ejusdem Bullario Tom. III. Const. 50. & in Append. N. 4.

72.) C. fin. XXV. q. 2.

73.) C. 26. dist. 1. de Consecr. ubi reprobantur *quæ per somnia & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubicunque constituuntur Altaria.*

74.) C. fin. de V. S.

75.) Observari hoc loco meretur id, quod dicit Imperator JUSTINIANUS Novell. 3. in fine princ. *Non oportet ad mensuram expensarum quærere etiam possessiones (hoc enim simul ad avaritiam, impietatemque perducit) sed ex iis quæ sunt, expensas metiri.*

tæ a principio fundationis: nam si Beneficiati Prædeceſſores diuturno tempore contenti fuerunt ea portione & quantitate, non eſt minuendus numerus ſub prætextu inſufficientiæ Redituum. Similiter nec ſupprimendum eſt Beneficium, nec minuenda onera, niſi depauperatio facta ſit poſt acceptationem Beneficii; nam imputandum eſt ei, qui depauperatum beneficium acceptavit 76.). Cauſa reducendi numerum etiam eſt, quando contra intentionem & providentiam Fundatorum plures admiſſi ſunt: vel etiam quando numerus in nimiam multitudinem effuſus eſt 77.). Suppreſſum

76.) Gloſſ. in C. 1. XXI. q. 1. v. neceſſitatem.

77.) Hoc deſumitur ex ea ratione, qua JUSTINIANUS Imperator nimiam multitudinem Referendariorum ad minorem numerum reduxit, *Cauſa jure a nobis honorata, deinde in multitudinem effuſa, ne propria imminuatur honeſtate &c.* Novell. 10. Conſonat, quod ex S. Hieronymo dicitur in C. 24. diſt. 93. circa fin. *Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemptibiles facit.* item C. 12. diſt. 40. *Multi Sacerdotes, & pauci Sacerdotes; multi nomine, pauci opere.*

ſum vel extinctum Beneficium rei viſcere poteſt, ſublata cauſa, qu illud vivere impedit, vel quæ C tum Divinum exercere non permi tit: ſi poſtea augeantur proventu 78.); vel ſi cauſa ſuppreſſionis de prehendatur inſufficiens 79.).

Variis modis,

§. 190. Suppreſſio vel ſaltem Al teratio Beneficiorum ſæpe fit p *Unionem* Titulorum, quæ eſt duo rum vel plurium Beneficiorum i perpetuum conjunctio 80.). Mul tæ hujus Unionis ſpecies a Docto ribus ſolent recenſeri, quæ deſum debent ex formulis uniendi 81.). Propriiſſime dicta *Unio* eſt, quando ita Beneficia conjunguntur, ut ex duobus unum tantum, & veluti ter-

78.) C. 8. & 9. de Conſtitut.

79.) C. 12. ibid.

80. C. 8. de Exceſſ. Prælat.

81.) Conjunctio duorum Beneficiorum in unius perſonæ favorem, non eſt proprie Unio, nec hujus loci: dabatur olim ob defectum Presbyterorum; poſtea etiam pro ſpecioſo pallio ad poſſidenda plura Beneficia, quod reprobat Concilium TRID. Seſſ. 7. c. 4. de Reform.

tertium quoddam genus fiat, retentis in uno utriusque privilegiis 82.). Nonnunquam unum Beneficium subijcitur alteri, ubi non fit proprie Unio, sed potius subjectio per modum Unionis 83.): vel Canonicatus incorporatur Parochiæ, ut quicunque obtinet Parochiam, eo ipso sit Canonicus 84.): vel Abbatiæ uniuntur Episcopatibus 85.).

§. 191.

82.) Exemplum habemus in C. 3. de Stat. Monach.

83.) De tali subjectione intelligitur C. 3. de Eccles. ædif. C. 11. de Major. & obed.

84.) Ingolstadii, ubi hæc scribuntur, Parochus ad Speciosam est simul Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Eustettensis, gaudetque annuis proventibus æqualiter cum aliis Domicellaribus ejusdem Ecclesiæ. Sic etiam Clemens VII. concessit, ut Doctores Theologiæ in Academia Ingolstadiensi actu legentes, ad præsentationem Ducum Bavariæ gaudeant Canonicatu & Præbenda in Ecclesiis Salisburgensi, Augustana, Frisingensi, Ratisbonensi & Passaviensi, quod hodie non observatur: nescio an in usum aliquando deducta fuerit hæc facultas.

85.) Abbatia Prumiensis perpetuæ administrationis jure pertinet ad Archiepisco-

Præsertim per Unionem, quoad Temporalia;

§. 191. Præcipuam attentionem pro praxi meretur Unio, qua Ecclesiæ Parochiales incorporantur Monasteriis, Collegiis, Capitulis, Dignitatibus. Hujus numerantur tres species, Incorporatio quoad sola temporalia: quoad temporalia & spiritualia simul: demum Incorporatio pleno Jure. In dubio præsumitur illa, quæ Parœciali Ecclesiæ est minus onerosa, & autoritati Episcopi minus detrahit. Prima incorporationis species *quoad temporalia* intelligitur, quando etiam dicitur Ecclesia dari, conferri, possideri 86.): concessio enim jurium spiritualium requirit expressam mentionem. Unde

---

scopatum Trevirensem. Bulla unionis a GREGORIO XIII. Anno 1579. data extat in Histor. Trevirens. Diplom. tom. 3. fol. 94. Hæc Unio subreptionis accusata fuit a P. Priore Monasterii Cosma Knauff Anno 1716. Similiter Abbatia Augiæ Divitis unita est Episcopatui Constantiensi: hæc unio pariter nuper impugnata fuit; sed utrinque siniſtro eventu.

86.) Desumitur hoc ex C. 7. de Donation. ubi Episcopus concedendo Ecclesiam, tantum censetur dare, quod *temporaliter* obtinet in Ecclesia.

de quando legimus in quibusdam sæculis Ecclesias in Beneficium Laicis concessas esse, Ecclesiarum nomine Decimas, aliosque Reditus concessos intelligimus,

§. 192. Altera species *quoad temporalia & spiritualia simul*, datur, quando Cura animarum committitur, vel recipi ab Episcopo mandatur, vel etiam si Monasterium, cui unitur Ecclesia Parochialis, expressis verbis verus ac proprius Pastor vocatur. Hac ratione ille, cui Parochia est unita, plerumque est & vocatur Parochus *primitivus* vel *habitualis*, quando scilicet non sola temporalia bona alicujus Parochiæ sunt incorporata Monasterio, Collegio, vel Dignitati; sed ipsa Ecclesia est eidem collata, in qua tamen non ipsum Monasterium exercet curam animarum, sed tenetur efficere, ut cura hæc exerceatur per idoneum Vicarium: ita tamen, ut titulus Parochiæ vere resideat penes Monasterium 87.). Episcopi autem his

Quoad Temporalia & spiritualia simul;

X tem-

87.) De Parochis primitivis intelligitur C. 12. de Præbend. C. 1. eod. in 6. Clem. 1. de Jure Patronat.

temporibus vehementer urgent, u
Vicarii constituantur ex sæculari Cle
ro: nec acceptant Regularem, s
priori tempore saltem bis constitu
tus fuerit Presbyter Sæcularis 88.)
Quiscunque demum sit Vicarius, s
ve Regularis, sive Sæcularis, debe
ille ab Episcopo non solum genera
liter approbari ad audiendas Con
fessiones, sed specialiter deputar
ad exercitium Curæ animarum i
hac determinata Ecclesia; nisi Cur
animarum ita incumbat Monasterio
ut ejus Decanus vel Prior sit ver
Parochus actualis, & alterius opera
utatur tanquam Sacellani 89.).

Aut Pleno jure.

§. 193. Tertia species Incorpora
tionis fit *pleno jure* 90.), quando
conceditur Jurisdictio quasi-Epi
scopalis, ita ut Monasterium habeat
Clerum & Populum sibi uni saltem
in spiritualibus subjectum. Notan
dum

38.) C. 5. de Præbend. in 6.

89.) Videantur geminæ Dissertationes de Parocho primitivo Treviris editæ, cum adjuncta Constitutione *Firmandis* a Benedicto XIV. edita Anno 1744.

90.) Alii distinguunt inter Incorporationes *pleno jure*, & *plenissimo jure*: sed non apparet fundamentum hujus distinctionis in sacris Canonibus.

dum tamen, ex solis verbis *pleno Jure* non inferri plenam incorporationem: sunt enim hæ voces æquivocæ, & applicabiles cujcunque juri; sic Decimæ dicuntur pleno jure ad aliquem pertinere: attendendum igitur ad alias expressiones clariores 91.).

§. 194. Ecclesiarum, quæ invicem uniuntur, deberet esse aliqua qualitas prope similis, in qua convenire possunt. Hinc Parochialibus Beneficiis non deberent uniri Beneficia Regularia; nec Ecclesiæ Parochiales Monasteriis, aut Abbatiis, vel Dignitatibus 92.). Beneficia Juris Patronatus Laici, vel Collativa sine consensu Patronorum, vel *Quænam Ecclesiæ,*

91.) Terminus *pleno jure* significans plenissimam incorporationem, adhibetur in C. 3. §. 2. de Privileg. & in hoc ipso sensu sumitur terminus *utroque jure* in *C.* 21. eod.

92.) *Conc.* Trid. Sess. 24. c. 13. de Reform. Unde si aliquid fiat contra ordinationem hanc Concilii, intercedere deberet Autoritas Summi Pontificis. In Bavaria quoad temporalia debet fieri cum præscitu Principis, uti alia quoque, *ubi temporalium rerum tractatus suscipitur*, juxta Concordata de Anno 1583.

Collatorum ; aut perpetuo reservata Pontifici, ab Episcopo uniri non possunt, nec conjungi Collegiatis Ecclesiis, vel in eas converti. Curandum etiam, ne confundantur termini seu limites Diœcesium, uniendo Ecclesias variarum Diœcesium 93.).

Et a quibus possint uniri?

§. 195. Unio Episcopatuum ad solum Pontificem pertinet 94.): aliarum Ecclesiarum ad Episcopum, cum consensu Capituli, antequam Ecclesia vacat, & quando vacat; nisi vellet Episcopus unire Mensæ suæ, vel Mensæ Capitulari; hoc enim non posset etiam cum consensu Capituli, non obstante consuetudine contraria, quæ velut corruptela reprobatur 95.); quia non potest sibi in facto proprio esse autor Episcopus. Unire etiam potest alius, qui habet Jurisdictionem

93.) Trident.. Sess. 14. c. 9. de Reform.
94.) C. 8. de Excess. Prælat.
95.) Clem. 2. vers. fin. de Reb. Eccles. non alien. Tholosanus de Benefic. Eccl. c. 20. n. 6. Barbos. de Offic. & Pot. Episc. p. 3. alleg. 67. n. 9. seq. Hier. Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 37. n. 25. Pyrrhus Corradus Prax. Benef. l. 2. c. 8. n. 84. seqq. Leuren in For. Benef. p. 3. q. 891. P. Pichler ad Tit. de Præbend. n. 23.

nem quasi-Episcopalem. Eandem potestatem Capitulo Sede vacante plures tribuunt; alii tamen negant 96.). Fieri etiam potest Unio per Præscriptionem, probato immemoriali tempore.

§. 196. Uniones non sunt temere faciendæ, sed potius revocandæ 97.), cum per illas imminuatur Cultus Divinus; & Reditus, qui pluribus sufficerent, ad unam Ecclesiam revocentur. Causæ duæ recensentur, *evidens necessitas, vel utilitas* 98.), scilicet ob paupertatem, si singulæ Ecclesiæ non possunt per se nutrire Rectorem 99.): ob vicinitatem locorum, & penuriam populi *Ex evidenti necessitate vel utilitate.*

96.) Lotterius de Re Benefic. l. 1. q. 28. n. 141. opinionem Capitulo faventem, tanquam improbabilem reijcit.

97.) Conc. Trid. Sess. 7. c. 6. de Reform. Inter centum Gravamina, quæ in Comitiis Norimbergensibus Anno 1522. Legato Apostolico a Principibus Imperii fuerunt exhibita, locum octogesimum sextum obtinet querela de Parochiis incorporatis; quarum Vicarii non habent congruam sustentationem.

98.) C. 33. de Præbend.

99.) Trid. Sess. 21. c. 7. de Ref.

puli 100.) : ob favorem Præbendæ cujusdam pauperis, Collegii, Seminarii & institutionis juventutis, vitæ Monasticæ &c. His enim Præbendæ possunt uniri, modo suscipiantur earum onera, vel relinquatur congrua pensio pro Vicario in loco Beneficii.

Effectus unionis. §. 197. Effectus est I. ut unita Beneficia pro uno habeantur, & possint ab uno teneri. II. Beneficium Mensæ unitum non vacat mortuo eo, qui illud administrat 1.). III. Unitorum vacatio non fit alterutrius; sed aut ambo vacant, vel neutrum; unoque collato, annexum quoque collatum censetur. IV. Qui possidet Beneficia unita, potest in alterutro residere, & alteri servire per substitutum: si tamen unum sit dignius & in majore Ecclesia, oportet eum in hac deservire 2.).

§. 198.

100.) C. 3. §. sed & hoc. X. q. 3. C. 48. XVI. q. 1.

1.) Clement. un. de suppl. neglig. Præl. & Clem. un. de Excess. Prælat.

2.) C. 30. §. qui vero. de Præbend.

§. 198. *Dismembratio* est aliqua diminutio Beneficii, dum salva illius unitate pars redituum, quibus abundat, ab eo aufertur, & applicatur alteri, remanente interim Beneficio penes suum Rectorem ordinarium, ita ut titulus Beneficii non extinguatur. Requirit easdem causas & solennitates, quæ requiruntur ad alienationem rerum Ecclesiasticarum. *Dismembratio:*

§. 199. Sicut Dismembratio est vicina Unioni, ita huic Unioni opposita est *Sectio*, seu *Divisio* Beneficii, quando ex uno Beneficio fiunt duo vel plura, ita ut divisis fructibus, duo inposterum Parochi, vel Beneficiati instituantur. Fieri non debet sine præscitu eorum, quorum interest; & nisi Beneficium præbeat tot Reditus, ut sufficiant ad duos Beneficiatos sustentandos 3.). Causa in Beneficiis Parochialibus potest esse, copia & distantia Parochianorum tanta, ut Officiis Divinis in Ecclesia Parochiali commode *Divisio:*

3.) *C.* 8. & 26. de Præbend.

mode non possint interesse 4.) Fit Talis Divisio, si tollatur facta Unio, vel expresse, vel tacite per actus contrarios, aut cessante causa 5.).

Alteratio Beneficii. §. 200. Insuper alteratur Beneficium per mutationem formæ primæ in aliam: veluti si ex Abbatia fiat Episcopatus 6.): ex Episcopatu Archiepiscopatus 7.): ex Parochia Monasterium 8.): ex Beneficio Regulari sæculare 9.).

4.) C. 3. de Eccles. ædif. Conc. Trid. Sess. 21. c. 4. de Ref.

5.) Exempla rescissæ Unionis habemus C. 1. ne sede vac. &c. C. 8. de Excess. Prælat.

6.) Id contigit Fuldæ, Anno 1752.

7.) Extrav. 5. de Præbend. inter commun. Suppresso Patriarchatu Aquilejensi erectus est Archiepiscopatus Utinensis & Goritiensis Anno 1751.

8.) C. 73. XII. q. 2.

9.) Tales Ecclesias Collegiatas & Cathedrales habemus plures in Gemania, uti Elvacensis &c.

SECTIO IV.

DE ACQUISITIONE ET ALIENATIONE RERUM ECCLESIÆ.

§. 201.

Transitus ad hanc Sectionem.

ACTUM est in præcedenti Sectione universim de Bonis Ecclesiarum & Ecclesiasticorum: restat ut dispiciamus, de modis particularibus Res & Bona Ecclesiarum, ac Ecclesiasticorum. vel acquirendi, vel alienandi. Præmittenda tamen est doctrina generalis, quæ mens sit Ecclesiæ circa alienationem Rerum legitime acquisitarum.

TITULUS I.

DE REBUS ECCLESIÆ NON ALIENANDIS.

Conf. Lib. 3. Decretal. tit. 13. Sext. tit. 9. Clement. tit. 4. Extrav. Com. 4.

§. 202.

Rerum temporalium Ecclesiæ divisio:

REs temporales Ecclesiæ sunt I. vel *Mobiles*, quæ salva substantia sua de loco in locum moveri, aut seipsas movere possunt: vel *Immobiles*, quæ salva substantia in alium locum transferri non possunt, ut domus, fundus, Ecclesia, Cœmeterium &c. quibus in hac materia æquiparantur Jura incorporalia, Decimæ, Ususfructus, Servitutes rebus immobilibus adhærentes, Loca Montium, Census annui, Nomina debitorum, Actiones &c. 10.). II. Aliæ sunt *Pretiosæ*, aliæ *Non pretiosæ*. Pretium desumitur vel ex materia, ut aurum, margaritæ; vel ex forma, ut artificiosæ picturæ; vel ex singulari utilitate, quæ inde accedit Ecclesiæ, ut apparet in fundo fertili, vel sterili; vel ex peculiari reverentia

10.) C. 2. h. t. in 6. L. fin. C. de Præscript. longi temp.

tia Deo, Sanctis, Fundatoribus aut Benefactoribus debita, ut inſignes Reliquiæ, Dona in memoriam Fundatorum relicta. Æſtimatio rei reſpondet ſæpe majori vel minori magnificentiæ, ac opulentiæ Eccleſiarum, ita ut eadem res cenſeatur pretioſa in quadam Eccleſia rurali, quæ non multum æſtimatur in Eccleſia majore Urbis. III. Inter Res mobiles, aliquæ ſervando ſervari poſſunt, & deſtinatæ ſunt ad uſum, quo res non conſumuntur, uti Bibliotheca, Grex ovium &c.: aliæ vel ſine corruptione diu ſervari non poſſunt, vel ex natura ſua deſtinantur ad uſum, quo conſumuntur, uti frumentum, vinum, pecudes ſingulæ, pecunia 11.): ſi tamen hæc deſtinata ſit ad comparandum rem immobilem, vel mobilem pretioſam; vel ſepoſita per modum theſauri, aut ad futuras graviſſimas neceſſitates, merito habetur pro re pretioſa.

11.) *Aurum Eccleſia habet, non ut ſervet, ſed ut eroget & ſubveniat in neceſſitatibus.* C. 70. XII. q. 2.

Prohibetur alienatio

§. 203. Sicuti ex dictis (§. 5. & alibi) neceſſaria Eccleſiæ ſunt tum Ornamenta, Veſtes & Vaſa &c., tum Bona ac Jura, ex quibus congrui pro perpetua Miniſtrorum ſuſtentatione, ac Cultus Divini augmento proventus fluant; ita Reipublicæ intereſt, ut ſtudioſe ſerventur, quæ pro uſu Eccleſiarum legitime ſunt acquiſita. Unde ne ſub titulo Adminiſtrationis, Epiſcopi vel eorum Oeconomi Res Eccleſiæ diſſiparent, earum alienatio vel omnino prohibita, vel certis ſolennitatibus coercita fuit, ad eum modum, quem Leges obſervant circa Bona Reipublicæ 12.), Pupillorum & Minorum 13.), ac aliorum, qui ſub curatela ſunt 14.). Univerſim tamen in hac materia tenendum, non ſemper legitimum argumentum duci a Tutoribus aut Curatoribus ad Rectores Eccleſiarum, cum major his autoritas competat circa Res Eccleſiæ, quam

12.) L. ult. C. de vend. Reb. Civit.
13.) L. 1. ſeqq. ff. de Reb. eor. qui ſub tut. item C. de Prædiis Minor.
14.) Tot. tit. ff. de Curat. furioſ. dand.

quam Tutoribus circa Res Pupillorum. In eo autem Canones alienationem rerum Eccleſiæ prohibentes cum aliis ejusmodi Legibus conveniunt, quod, cum in maximum Eccleſiarum favorem cedant, omnia Rubricæ verba latiſſimam mereantur interpretationem, adeo ut per *Res* intelligantur etiam Jura, ſervitutes &c. 15.): per *Eccleſias* intelligantur quæcunque loca & Collegia Religioſa: nomine *Alienationis* veniant omnes illi actus, per quos Eccleſia circa res ſuas temporales gravamen patitur 16.).

15.) Per Res Eccleſiarum non intelliguntur ipſæ Eccleſiæ, Monaſteria, vel ſimilia loca ſacra & religioſa, quæ in ſenſu proprio nec vendi, nec alienari unquam poſſunt, cum non ſint in alicujus dominio. Aliud eſt de Calicibus, Paramentis &c. quæ vendi poſſunt ratione materiæ. Card. PETRA tom. 5. ad Conſt. V. Pauli II. ſect. 2.

16.) *Alienationis verbum continet Conditionem, Donationem, Venditionem, Permutationem & emphyteuticum perpetuum contractum.* C. 5. h. t. & EMAN. GONZALEZ ibid. Alibi exprimitur Conceſſio,

Hypo-

Immobilium & Mobilium pretiosarum.

§. 204. Juxta generalem SS. Canonum Regulam, Res immobiles magni valoris, & Ecclesiæ utiles, aut Mobiles pretiosas, absque justa causa, & solennitatibus a Jure præscriptis, alienare prohibentur Administratores seu Rectores Ecclesiarum 17.). Antiqui Canones feruntur præcipue in Episcopos, & Leges Græcorum Imperatorum in Oeconomos: intelliguntur autem omnes, qui pro diversorum temporum disciplina res Ecclesiarum administrant. Has prohibentur *alienare,*

Hypotheca, Locatio ultra triennium, Infeudatio, Datio in solutum, Transactio, per quam bona & jura Ecclesiæ transferuntur in alium: eadem ratione etiam Compromissum, Cessio litis, juris, actionis jam acquisitæ.

17.) Can Apost. 37. C. 20. 52. XII. q. 2. C. 1. & 3. de his quæ fiunt a Præl. sine consens. Cap. C. 1. 4. 5. seqq. de Reb. Eccl. alien. C. 1. & 2. eod. in 6. Clem. 1. & Extrav. Ambitiosæ. inter com. eod. Conc. Trid. sess. 22. c. 11. de Reform. L. 14. cum subjunctis Authenticis. C. de SS. Eccl. Novell. 7. 46. Seriem prohibitionum harum fusius tradit Card. Petra tom. 1. ad Const. I. Leonis I. Sect. 1. n. 20. seqq.

nare, id eſt, non tantum plenum earum dominium, ſed etiam jus aliquod transferre in alterum, etiam in aliam Eccleſiam, per conceſſionem in feudum, in emphyteuſin, in hypothecam ſpecialem, per Pignus, per Precarias, per Locationem diuturnam, per Conſtitutionem Uſus, uſusfructus, poſſeſſionis vel Servitutis realis.

§. 205. Ut legitime alienatio fiat, requiritur juſta Cauſa, qualis eſt *Neceſſitas*, *Pietas* vel *Utilitas*. Neceſſitas Eccleſiæ 18.) debet eſſe ejusmodi, cui alio modo obviari non poſſit. E. G. Si non ſuppetat alia ratio ſolvendi debitum, reparandi ruinoſum ædificium Eccleſiæ, procurandi decentem ſuppellectilem ad Divina peragenda. In quibus caſibus incipiendum eſt a rebus minus neceſſariis; nec alienatio debet eſſe perpetua, ſi ad ſublevandam neceſſitatem ſufficiat temporalis, uti Lo-

Concedi-tur tamen ex Neceſſitate:

18.) Non ſufficit neceſſitas reſpiciens Prælatum, uti pro redimendis Bullis, pro ſolvendis Annatis; hæc enim ſunt onera Prælati, non Eccleſiæ.

catio, Oppignoratio 19.). Huc refertur *Præceptum* legitimum, quo inducitur neceſſitas Juris, quando Lex, Sententia Judicis, vel expreſſa Teſtatoris voluntas alienationem imponit 20.).

Pietate: §. 206. *Pietas* pro redimendis captivis, avertendis gravibus periculis, convertendis infidelibus, ſuſtentandis pauperibus, humandis Fidelium corporibus, ad alienationem movere poteſt: relinqui tamen debet Eccleſiæ

19.) Innocentius VIII. Pontifex pro liberatione Urbis ab hoſtibus oppreſſæ, anno 1486. *Mitram Pontificalem, Regnum nuncupatum, & alia quam plurima Eccleſiæ jocalia pretioſa, aurea & argentea, diverſis mercatoribus pro diverſis pecuniarum ſummis ad quantitatem forte centum millium ducatorum auri de Camera aſcendentibus pignoravit &c.* prout ipſe narrat in Conſtit. XII. Non debet. Anno 1487.

20.) Si res immobiles per actum inter vivos, vel mortis cauſa perveniant ad Religioſos, poſſeſſionis Bonorum temporalium etiam in communi incapaces; Bona hæc vendi, & pretium in utilitatem Monaſterii converti debet.

cleſiæ, quod ſufficiat ad proprias ejus neceſſitates 21.).

§. 207. Legitima Alienationis cau- *Vel Uti-*
ſa eſt etiam *evidens Utilitas*, ſcilicet *litate:*
certa, non dubia. Unde quando pro alienatione rerum Eccleſiæ conceditur Beneplacitum Apoſtolicum, apponitur huic clauſula: *dummodo alienatio cedat in evidentem Eccleſiæ utilitatem*, ad quam verificandam non ſufficit, quod res Eccleſiæ detur pro æquali pretio; ſed debet Eccleſia locupletari 22.), quando ſcilicet Utilitas aſſignatur pro cauſa alienationis: ſi vero cauſa alienandi ſit neceſſitas, videtur ſufficere, quod Eccleſia ex tali alienatione non ſit deteriorata 23.). Ad cauſam Utilitatis reducitur *Incommoditas*, quando

21.) C. 15. 16. 70. XII. q. 2.

22.) Si res alienetur, ut ematur melior, proventibus uberior: ſi imponitur Cenſus pro extinguendo alio cenſu majore. Sperellus Deciſ. 154. n. 83. ſeq.

23.) Vid. Thomas de Rosa de Executor. Liter. Apoſt. p. 1. c. 5. n. 316. De clauſula *in evidentem* latiſſime tractat Pyrrhus Corradus Prax. Diſpenſat. lib. 9. c. 2.

res longe distat, vel alia affert incommoda 24.).

Cum certis solennitatibus,

§. 208. Præter justam causam requiruntur aliquæ solennitates, quæ consistunt in *tractatu*, *consensu & subscriptione Capituli*, si Ecclesia Capitulum habeat; dein in *consensu & autoritate Superioris*, imo & *Sedis Apostolicæ*. Discrimen igitur faciendum inter Ecclesias: quædam ex his habent Capitulum, & Episcopum, seu aliud Caput, pari potestate præditum. In his si agatur de alienandis Bonis Capituli, sejunctis a Bonis Mensæ Episcopalis, requiritur Consensus Capituli *pro Interesse*; si autem tractetur de Bonis Mensæ Episcopali incorporatis, vel de Rebus Ecclesiæ Collegiatæ aut Cathedralis, idem consensus & tractatus exigitur ad *solennitatem* 25.). In aliis Ecclesiis, quæ Capitulum non habent, suffi-

---

24.) Redoanus de Reb. Eccl. non alien. Rubric. 12.

25.) Leo I. Pontifex C. 52. XII. q. 2. præter utilitatem requirit tractatum & consensum *totius Cleri*: hunc autem his temporibus repræsentat Capitulum.

ſufficit & requiritur præter Rectorem Eccleſiæ, etiam conſenſus Epiſcopi.

§. 209. *Beneplacitum Sedis Apoſtolicæ* pro majore cautela & indemnitate Eccleſiarum requirit PAULUS II. Pontifex 26.), cujus Conſtitutionem praxis Germaniæ ita interpretatur, ut reſpiciat ſolum Eccleſias Sedi Pontificiæ immediate ſubjectas: in reliquis enim Autoritas Epiſcopi ſufficere cenſetur 27.). Imo etiam Epiſcopi & Abbates Exempti Germaniæ non videntur ſe hac Conſtitutione conſtrictos tenere, quam in his Provinciis receptam non eſſe multi Doctores tradunt. Dura eſt hæc aſſertio, cum omnes Epiſcopi & Prælati, qui a Romana Sede confirmantur, tactis Evangeliis in verba hujus Con-

Et Beneplacito Apoſtolico:

26.) Extrav. Ambitioſæ. Inter Commun. de Reb. Eccl. non alien.

27.) Epiſcopus tamen bona alicujus Eccleſiæ inferioris in ſeipſum alienare non poteſt, ne in proprio facto autoritatem præſtet. Gloſſ. in textum Gratiani poſt C. 40. XVII. q. 4. Clement. 2. h. t.

Conſtitutionis jurent 28.), ac proin eam recipere videantur. Cenſent forſitan, Juramentum non ultra ſtringere, quam in quantum Conſtitutio illa in uſum eſt deducta: Cui perſuaſioni opponi ſolet, quod Conſtitutiones Pontificiæ, ubique pervulgatæ, & pro emolumento Eccleſiarum utiliſſimæ, qualis eſt Bulla Paulina, ita obligent, ut nulla contraria conſuetudo, vel non uſus admittatur, niſi doceatur, eam ſciente & annuente Pontifice eſſe introductam: Romani autem Scriptores afferunt plurima exempla ex Germaniæ Diœceſibus, vel petiti Beneplaciti, vel reſciſſæ alienationis ob de-

28.) Verba Juramenti, quod continetur in Pontificali Romano, ſunt hæc: *Poſſeſſiones ad Menſam meam pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignerabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum conſenſu Capituli Eccleſiæ meæ, inconſulto Romano Pontifice. Et ſi ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam ſuper hoc edita Conſtitutione contentas, eo ipſo incurrere volo.*

defectum illius 29.). Meliore forſitan jure judicant, potiſſima Bona Eccleſiæ ſuæ eſſe Feuda Imperii, circa quæ autoritatem ſupremam etiam quoad alienationes exercet Imperator: nec credunt recurrendum ſibi eſſe Romam circa res minoris momenti, ſi circa potiſſimas Eccleſiæ ſuæ Poſſeſſiones alterius Curiæ Autoritatem ſuſpicere teneantur. Id facile permitti poteſt, non vigere uſum Bullæ Paulinæ ſaltem quoad pœnas. Si petitur Beneplacitum Pontificis, exprimi ea debent, quæ reddunt alienationem difficiliorem, uti ſi bona data ſint Eccleſiæ cum pacto de non alienando; ſi bona alienanda ſint in Laicum, vel in conſanguineos Prælati 30.).

§. 210.

29.) Sic Concordia olim Anno 1692. inita inter Epiſcopum Herbipolenſem & Abbatem Fuldenſem, reſciſſioni obnoxia declarata fuit ob defectum Beneplaciti Apoſtolici. Rot. Rom. coram Jac. Emerix decis. 1028. & 1267.

30.) Praxin de Conceſſione & Executione Beneplaciti Apoſtolici exhibet PYRRHUS CORRADUS prax. diſpenſat. lib. 9.

Aliorumque Consensu.

§. 210. Beneplacitum Apostolicum, si quæratur & obtineatur, supplet consensum Capituli, quando iste pro solennitate requiritur; secus si requiratur pro interesse 31.). Similiter potest hic consensus sub formalitate solennitatis, supervenire ratihabendo: pro interesse autem requiritur tanquam pars, & sine eo non habetur contractus. Si agatur de Jurisdictionalibus Episcopalis Dignitatis, videtur consensus requiri pro interesse, quia Capitulum succedit Episcopo, Sede vacante, & unum corpus cum eo constituit, ut proin etiam vivente Episcopo habitualiter dicatur habere Jurisdictionem: aliter loquendum in Bonis Mensæ Episcopalis, passim separatis a Bonis Capituli. Præter hæc potest esse necessarius consensus ejus, qui sibi in fundatione vel dotatione Ec-

---

Card. Petra tom. 5. ad Const. V. Pauli II. sect. 5. de Delegatis autem Causarum alienationum &c. agit Constit. II. ejusdem Pauli II. & Petra ad eandem Constit.

31.) Vid. Card. Petra tom. 1. ad Const. I. Leonis I. Sect. 3. n. 4.

Eccleſiæ hoc jus reſervavit 32.): vel Domini directi, ſi Bona ſint Feudalia: vel Principis ob pacta ſpecialia & Concordata. Ordinarie autem Conſenſus Patroni requiritur ſolum de honeſtate: nec opus eſt ſubhaſtatione, ita ut plus offerenti res vendatur. Leges Civiles, quæ eam expetunt 33.), in hac re non obligant, niſi per Sacros Canones ſint approbatæ 34.): iſti autem Conſtitutionem

32.) Singulariter ſibi reſervare videtur Imperator in bonis ab Imperiali domo Eccleſiæ applicatis. Auth. hoc jus porrectum. C. de SS. Eccleſ.

33.) In Auth. hoc jus porrectum. C. de SS. Eccleſ.

34.) Unde poſtquam BASILIUS Urbis Præfectus pro Odoacre Rege legem tulerat de rebus Eccleſiæ Romanæ non alienandis, SYMMACHUS Papa in Concilio Romano Anno 502. Legem hanc, uti latam a non habente poteſtatem, abrogavit C. 1. diſt. 96. & lege ſpeciali alienationes irritas declaravit, adjecta pœna Excommunicationis. C. 20. XII. q. 2. Simile Decretum SYMMACHUS poſtea miſit ad CÆSARIUM *Arelatenſem*, quod habetur in C. 61. XVI. q. 1. & ab Editoribus Conciliorum ac Decreti Grati-

nem Imperatoriam referunt quidem, non tamen approbant 35.).

Alienatio illegitime facta

§. 211. Alienationem aliter factam innumeri Canones prohibent, simulque irritam & nullam declarant. Et quidem alienantes sine justa causa, peccant contra Jus naturale, & Divinum, consequenter pro utroque foro nulliter agunt, cum disponant illegitime de re aliena, cujus non sunt domini. Si autem alienant absque præscriptis solennitatibus, peccant contra Jus Ecclesiasticum 36.), quod talem contractum, irritum decernit. An autem hæc irritatio procedat etiam in foro interno

---

Gratiani ad eundem annum 502. refertur. Sed FRANC. PAGIUS in vita Symmachi ostendit, dictum Concilium Romanum habitum esse Probo Consule Orientali: alterum Decretum missum esse Anno 513. Probo Consule Occidentali.

35.) In *C.* 2. X. q. 2. Nihilominus RODOLPHINUS Prax. Judic. p. 1. c. 15. n. 119. subhastationem necessariam judicat, quando alienatio est necessaria, autoritate Judicis.

36.) Qui juramento tenentur non alienare, peccant etiam contra Jus Divinum.

no, ita ut E. G. emens rem Eccleſiæ juſto quidem pretio, ſed tamen absque præſcriptis ſolennitatibus, eam tuta conſcientia retinere poſſit, donec in foro externo ad reſtitutionem condemnetur, diſceptatur inter Canoniſtas. Conformiter doctrinæ alibi traditæ (Præcogn. §. 131.) ſuſtineri poteſt, ejusmodi alienationem requiſitis ſolennitatibus deſtitutam, eſſe irritam & nullam etiam pro foro conſcientiæ, quia per ſolam irritationem fori externi non obtineretur finis a Jure irritante præcipue intentus, ob plurima obſtacula, quæ vel Actionem, vel ſententiam fori externi impedirent. Id conceditur, poſſe in ejusmodi eventu, quo alienatio Eccleſiæ utilis reperiretur, ſuppleri poſtea ſolennitates.

Eſt irrita etiam pro foro interno.

§. 212. Severum ſe in hoc articulo præbuit PAULUS IV. Pontifex, decernendo, detentores bonorum ſine ſolennitatibus alienatorum, debere ea cum fructibus Eccleſiæ reſtituere, ita ut nec præſcriptio, nec compenſatio, aut retentio pro melioramentis, nec quodcunque Juris remedium poſſit eis ſuffragari. Hanc

Paulinam Pius IV. alia Constitutione temperavit pro sedandis litibus, & controversiis, ratione rigoris illius, subortis; eamque quoad lites pendentes & futuras ad terminos Juris communis reduxit 37.), cui Juri communi conformis videtur esse nullitas talium alienationum etiam pro foro interno. Hoc tamen ita intelligendum, ut ille, in quem translata fuit res Ecclesiæ, agere non possit de nullitate, sed potius compelli possit etiam invitus ad observantiam contractus, recurrendo ad S. Congregationem Concilii pro sanatione Contractus, & concessione Apostolici Beneplaciti, si Ecclesia sibi utilem esse contractum credat.

Variæ illationes.

§. 213. Ex his infertur I. Res Ecclesiæ mobiles non pretiosas, præcipue si servando servari non possint, libe-

37.) Has, aliasque similis argumenti Constitutiones Pontificias legere est in Bullario horum Pontificum: apud Reddanum in fine Tractatus de Rebus Ecclesiæ non alienandis, & in septimo Decretalium lib. 1. tit. 7.

libere alienari ab Adminiſtratoribus aut Rectoribus Eccleſiarum absque ullis ſolennitatibus, cum nullibi talium rerum alienatio ſit prohibita, modo Eccleſia non patiatur injuſtum damnum. II. Idem ſentiendum de rebus immobilibus exigui valoris, inutilibus, vel etiam noxiis aut parvis 38.); modo res iſtæ parvæ, non ſint pars magni fundi: ad has enim alienandas requiritur quidem juſta cauſa, non tamen ſolennitas. Cavendum tamen, ne ad effugiendas ſolennitates, & eludendas leges,

38.) *Terrulas, aut vineolas exiguas, & Eccleſiæ minus utiles, aut longe poſitas & parvas, Epiſcopus ſine conſilio Fratrum, ſi neceſſitas fuerit, diſtrahendi habeat poteſtatem.* C. 53. XII. q. 2. Ex his videtur deduci, res inutiles & infructuoſas requirere Beneplacitum Apoſtolicum, quando non ſunt modicæ. Quando autem res cenſeatur eſſe modici valoris, videri poteſt apud PYRRHUM CORRADUM Prax. Diſpenſat. Apoſtol. lib. 9. c. 4. n. 43. ſeqq. De rebus noxiis intelligitur C. 20. ibid. ubi prohibetur Papa alienare prædia Eccleſiæ, *niſi tantummodo domos, quæ in quibuslibet urbibus non modica impenſa ſuſtentantur.*

res tales nimia facilitate æstimentur tanquam inutiles: ideo enim requiritur tractatus prævius, ut de earum utilitate aut inutilitate disquiratur 39.), nisi hæc aliunde esset evidens, & omnibus nota. III. Rector Ecclesiæ, modo habeat prudentem causam, absque solennitatibus repudiare potest delatam hæreditatem, Legatum, aut res immobiles vel mobiles pretiosas Ecclesiæ relictas, modo ea nullo adhuc modo sint admissa vel acceptata: & non sit dispositio mere lucrativa absque ullo onere. Nam *qui occasione acquirendi non utitur, non intelligitur alienare, veluti qui hæreditatem omittit, aut optionem intra certum tempus datam non amplectitur* 40.). Repudiationem pupilli habent quidem Leges pro alienatione 41.), & ad eam

39.) Unde in C. 8. h. t. permittitur Episcopo possessiones minus utiles pro aliis utilioribus alienare seu commutare *de Fratrum*, id est Capituli, *& senioris partis consilio & assensu.*

40.) L. 28. ff. de V. S.

41.) *Fundum legatum repudiare pupillus sine Prætoris autoritate non potest: esse enim*

eam requirunt autoritatem Prætoris: ſed ſupra notavimus, Rectoris Eccleſiæ autoritatem majorem eſſe, quam Tutoris & Pupilli cui prohibetur non tantum alienatio & dilapidatio proprii patrimonii, ſed etiam omiſſio lucri: Conſtitutiones autem Pontificiæ præſertim recentiores, quæ ſolennitates præſcribunt, in toto ſuo & exactiſſimo formularum apparatu de repudiatione ſeu renuntiatione juris quærendi, aut omiſſione lucri, mentionem nullam faciunt 42.). Facile tamen concedo, dari Eccleſiæ reſtitutionem in integrum. IV. Etiam poſt Conſtitutionem Paulinam res Eccleſiæ alienari absque Beneplacito Apoſtolico poſſunt *in caſibus a Jure permiſſis* 43.), *ac de rebus & bonis in emphyteuſin ab*

enim & hanc alienationem, cum res ſit pupilli, nemo dubitat. L. 5. §. 8. ff. de reb. eor, qui ſub tutel &c.

42.) Deciſiones Rotæ Romanæ, rationes & Doctores pro hac doctrina affert Card. Petra tom. 5. ad Conſt. V. Pauli II. Sect. 2. n. 74. ſeqq.

43.) C. 3. & 4. h. t. & Canones citati ſupra n. 21. non tamen credi debet, omnia

antiquo concedi solitis 44.): item imminente necessitate, quæ moram non patitur. Si cum Beneplacito Apostolico contractum est debitum, & data hypotheca generalis; tunc pro extinguendo hoc debito, non requiritur aliud Beneplacitum Apostolicum, etiamsi judicialiter deveniatur ad distractionem rerum immobilium. V. Juramentum, quo se obstringunt Episcopi ad non alienandum, non impedit, quo minus alienent in casibus a Jure permissis.

Actiones pro recuperandis rebus male alienatis.

§. 214. Cum actus alienationis absque debitis solennitatibus institutus, omni modo & ipso jure sit nullus, dominium rei male alienatæ semper permanet in Ecclesia; imo etiam dicitur Ecclesia retinere possessionem Civilem, nisi hanc demum

nia ea, quæ expresse in Jure permissa olim fuerunt Episcopo, etiam hoc tempore ab eodem posse fieri absque Beneplacito Apostolico, uti citra centesimam partem fructuum suæ Mensæ donare Ecclesiæ, permutare Beneficium sæculare cum Regulari.

44.) De hoc casu dicetur infra Tit. 17. de Feud.

mum per ſilentium longi temporis amittat: ideo datur Eccleſiæ remedium redintegrationis 45.) ex Officio Judicis, vel Condictione legis ad bona male alienata, reſtituto pretio, recuperanda. Poſſet etiam peti Manutentio pro Civili poſſeſſione, quæ remanet penes Eccleſiam, quia ſcilicet dum occupans recuſat reſtituere poſſeſſionem naturalem, facit vim inquietativam, cum prohibeat Eccleſiam naturaliter poſſidere 46.). Hæc tamen Manutentio locum non habet, ſi nullitas ſit turbida, veluti ſi ſit dubium, an alienatio rei cadat ſub Extravagante Paulina. Diſcuſſo tali dubio, pro recuperanda re male alienata, Eccleſiæ, & quibuscunque Eccleſiaſticis perſonis talis Eccleſiæ, imo etiam ipſi Adminiſtratori alienanti, ſi non ſuo ſed nomine Eccleſiæ agat, competit etiam Remedium poſſeſſorium recu-

45.) Ex Can. redintegranda. III. q. 1.

46.) Postius de Manuten. obſerv. 57. n. 102. & poſt tract. Deciſ. 327. n. 15. Deciſ. 330. n. 27. & aliis Deciſionibus ab eodem autore citatis, & tractatui ſuo adjectis.

perandæ *unde vi*, vel etiam Vindicatio contra quemcunque poſſeſſorem, ad rem cum omnibus fructibus a die contractus, deductis expenſis neceſſariis, reddendam 47.): vel pro arbitrio Eccleſiæ, actio perſonalis adverſus alienantem, ejusque hæredes, ad damnum Eccleſiæ illatum, ex ſuo patrimonio, ſi quod habet, reſarciendum. Melioramenta, perpetuam utilitatem importantia, ex æquitate relinquuntur, vel compenſantur contrahenti. Optimo etiam jure pro re recuperanda ſe interponit Patronus Eccleſiæ, vel etiam Princeps, qui jura Eccleſiarum tueri debet. Si Eccleſia erit hæres Rectoris male alienantis, non tenetur ſtare facto illius, quia adeundo hæreditatem, nequit remittere ſuum jus ſine ſolennitate; nec hæres tenetur ratum habere factum ſui Autoris a lege irritum 48.).

§. 215.

47.) C. 4. & 6. h. t.

48.) Card. Petra tom. 5. ad Conſt. V. Pauli II. ſect. 4. n. 14. aliter videtur ſentire Christinæus Vol. 3. deciſ. 82.

§. 215. Præter Excommunicatio- *Pœnæ*
nem omnibus tam male alienantibus, *male*
quam alienata recipientibus genera- *alienan-*
liter impoſitam, addit Conſtitutio *tium.*
Paulina aliquas pœnas aggravantes:
ſcilicet male alienans, ſi ſit Epiſco-
pus vel Abbas; incurrit Interdictum
ingreſſus in Eccleſiam: & ſi per ſex
menſes inſorduerint in hoc inter-
dicto, incurrunt ſuſpenſionem ab
Adminiſtratione & Regimine ſuæ
Eccleſiæ ſeu Monaſterii. Si ſint Cle-
rici inferioris Ordinis aut Dignita-
tis, Excommunicationem ipſo facto
incurrunt, ſimulque privantur Be-
neficiis, quorum bona alienarunt,
ita ut ea vacare cenſeantur, & con-
ferri alteri poſſint: ut autem hæ pœ-
næ pro foro externo incurrantur,
requiritur declaratio facti: qua ſtan-
te incurriſſe has pœnas alienans cen-
ſetur, etiamſi deprehenſa utilitate
Eccleſiæ, ſolennitates ſuppleri poſ-
ſint 49.). Recipientes autem mala

49.) Vendens rem Eccleſiæ ſine traditio-
ne, nulliter quidem agit & peccat; non
tamen incurrit pœnas Eccleſiaſticas,
cum

fide, in rigore amittunt pretium; si bona fide egerunt, possunt repetere pretium, quando Ecclesia exinde facta est ditior: deberent tamen probare pretium versum esse in utilitatem Ecclesiæ. Hoc nisi fiat, daretur illisactio adversus autorem alienationis.

Jura Monasteriorum circa alienationem.

§. 216. Quæ hucusque dicta sunt, æque de Monasteriis, ac de aliis Ecclesiis intelliguntur: juvat tamen specialiter de Regularibus quædam adijcere. Quamvis Monasteria nominatim & quoad literam comprehendantur in Constitutione Pauli II; nihilominus plurimi Regulares privilegia obtinuerunt sine Beneplacito Apostolico alienandi, cum derogatione ejusdem Extravagantis 50.).

Sed

---

cum nulla fiat alienatio. Idem dicitur de promissione vendendi, donandi &c. qui actus non obligant absque Beneplacito.

50.) Rodriquez Quæst. Regul. tom. 1. q. 27. art. 3. Suarez de Relig. tom. 4. lib. 2. c. 28. Tambur. de Jure Abbat. tom. 3. disp. 13. q. 6.

Sed URBANUS VIII. per S. Congreg. Concilii edi juſſit Decretum 7. Sept. Anno 1624. quo omnia ejusmodi Privilegia revocantur intra fines Europæ, prohibeturque alienatio omnium rerum ac bonorum immobilium, & pretioſarum mobilium, abſque Congregationis Concilii expreſſa licentia in ſcriptis & gratis concedenda 51). Beneplacitum autem Apoſtolicum non eſt neceſſarium iis, quibus non quidem ex privilegiis; ſed ob ſtabilium incapacitatem alienatio permiſſa, ſeu potius neceſſaria eſt, quales ſunt Minores de Obſervan-

51.) Totum tenorem Decreti exhibet TAMBUR. loc. cit. n. 8. Card. PETRA tom. 4. ad Conſt. VI. Benedicti XII. fol. 180. Multi Religioſi olim circa alienationes ad petendum Beneplacitum Apoſtolicum ſe adſtrictos non credebant ob communicationem Privilegiorum a JULIO III. & GREGORIO XIII. Societati Jeſu conceſſorum. Quam prompte & integre autem hæc ſocietas ſe ſubijciat Decreto URBANI VIII., poterunt iidem Religioſi legere in Compendio Privilegiorum recens edito Anno 1757. Verb. Alienatio. §. 3. & 4.

vantia, Patres Capuccini, Theatini, Domus Profeſſæ Societatis Jeſu 52.) Nihilominus hæ Religiones comprehenduntur eodem Decreto quoad Mobilia pretioſa, quorum incapaces non ſunt 53.) : item quoad immobilia, quæ juxta Statuta ſua retinere poſſunt pro indigentiis Sacriſtiæ & Fabricæ ; quoad hortos, vil-

52.) Etiam in iſta alienatione curari debet, ne Eccleſia lædatur. Unde poſtquam aliquæ Provinciæ Reformatæ S. Franciſci propoſuiſſent, quod res ſibi relictæ a ſuis Syndicis viliſſimo pretio vendantur, Sacra Congregatio Concilii 18. Martii 1719. reſpondit, non poſſe in poſterum ſyndicos procedere ad venditionem rerum immobilium, niſi prævia Edictorum affixione, ut venditio fiat plus offerenti. Card. Petra tom. 5. ad Conſt. V. Pauli II. ſect. 1. n. 5.

53.) Ideo anno 1692. Provincialis cujusdam Ordinis Mendicantis ſtabilium incapacis, judicatus fuit incurriſſe pœnas ob alienationem mobilium pretioſorum, etiam a Capitulo generali confirmatam, absque Beneplacito Apoſtolico, juſſusque fuit ſupplicare Sanctiſſimo pro abſolutione. Card. Petra tom. 4. ad Conſt. VI. Benedicti XII. n. 9.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

villas recreationis cauſa &c. 54). Nec poſſunt res unius Monaſterii alienari in aliud ejusdem Ordinis, etiam ubi plura Monaſteria ſocietatem inter ſe, & eundem Prælatum Regularem habent. Imo videtur etiam prohibita alienatio per diviſionem bonorum inter Abbatem & Conventum, ſicut etiam Epiſcopus non poteſt perpetuo cedere Capitulo reditus ſuæ Menſæ 55.). Cum autem in Decreto URBANI VIII. nominatim prohibeantur Regulares Cenſus perpetuos ſeu vitalitios absque Beneplacito Apoſtolico ſuis Monaſteriis imponere; aliqui autem deprehenſi ſint mentem Pontificis per alios contractus eludere: ideo per aliud Decretum prohibentur Regu-

54.) Videri poteſt DEL BENE de Immun. Eccl. p. 2. c. 17. dub. 22. n. 45. loquens de ſuis Patribus Theatinis.

55.) Textus contrarii intelliguntur vel de jure communi ante Paulinam Conſtitutionem, uti in C. 1. h. t. vel de alienatione neceſſaria, & diſpoſitione Fundatoris, uti in C. 15. de Teſtam. vel de alienatione fructuum valitura ad vitam Epiſcopi juxta C. 8. de Tranſact.

gulares pecunias ad cambium, vel mutuo accipere cum solutione alicujus lucri cessantis, vel damni emergentis, & cum obligatione seu hypotheca bonorum, aut dato pignore.

Bona per Pacem Westphal. alienata,

§. 217. Non obstantibus tum sacris, tum profanis Legibus, plurima Ecclesiarum Bona variis temporibus male alienata, & præsertim post Lutheri defectionem a Protestantibus partim vi occupata, partim per Pacem Westphalicam obtenta fuerunt. Celebris inde oritur quæstio, an possessores talium Bonorum, ad fidem Catholicam reversi, vel Catholici horum Possessorum Successores, vel eorundem Bonorum Emptores, teneantur hæc Bona Ecclesiis restituere, aut ad pristinos usus Ecclesiasticos reducere. Angustiæ hujus libelli non permittunt, ut Controversia hæc latius examinetur. Discrimen fieri potest inter res Mobiles, & Immobiles. Res *Mobiles* bello injusto ereptæ, ejus conditionis plerumque sunt, ut earum dominus vix ullam spem habere possit easdem recuperandi: hinc facile conceditur, ut illæ ab alio

eman-

emantur, & retineantur, animo eas reſtituendi domino ſuo, ſi iſte comparuerit, & expenſum pretium reſtituerit emptori, tanquam utili negotiorum geſtori.

An debeant reſtitui a Succeſſore Catholico?

§. 218. De Immobilibus quibus annumerantur Cenſus annui, jus decimandi &c. nonnihil aliter ſentiendum & loquendum; illorum enim domini plerumque non ſunt ignoti, nec facile deponunt animum ea habendi. Non multum autem intereſt, an quis ea Eccleſiis injuſte eripuerit, an vero ſucceſſione vel emptione ab injuſto poſſeſſore obtinuerit. De his omnibus communiſſime Catholici docent, talia Bona, ſi in manus Catholicorum pervenerint, reſtituenda eſſe ad priſtinos uſus, niſi Pontificia diſpenſatio impetretur. Fundamentum hujus doctrinæ præcipuum eſt, quia Proteſtantes nullo iuſto titulo hæc Bona acquiſiverunt, nec meliore in ſucceſſores ſuos aut emptores transferunt: Conventio enim inter Principes per Pacem Weſtphalicam inita, non dat majus jus, nec voluit (ſi etiam potuiſſet) dare *proprietatem* eorum bonorum, quorum *poſſeſſionem* ex neceſſitate permiſit:

sit: talis autem permissio nullum tribuit jus, sed solum operatur tolerantiam. Dein Pacis Westphalicæ Articuli vim suam qualemcunque exserunt inter Catholicos & Protestantes: quando igitur possessor talium bonorum est Catholicus, Conventio illa ad eum minime pertinet 56.). Sæpius tamen Summus Pontifex ex suprema Autoritate ad reti-

nen-

56.) Fusius hac de re disputat Benedictus XIV. Bullarii sui tom. 3. Const. 57. ubi recenset Decreta anno 1630. circa hanc quæstionem edita. Eandem quæstionem attingit Molina de J. & J. tr. 2. disp. 118. Ægydius de Coninck de Actib. supernat. disp. 31. dub. 7. n. 126. aliique a dicto Pontifice allegati.

Arsdekin Theol. tripat. tom. 2. p. 2. tr. 6. q. 10. videtur non satis discernere inter Res Mobiles & Immobiles. Vid. P. Schmalzgrueber tom. 2. Consil. 15. & Autor *Bigæ Discussionum*, ubi refutatur JCtus Moguntinus, qui contra communem Catholicorum doctrinam loquitur in Dissertatione *De Possessore Catholico non obligato ad Bona sæcularisata pristinis usibus Ecclesiasticis restituenda*. Inter Acatholicos hanc

quæ-

nenda hæc bona diſpenſavit 57.): & facile deinceps diſpenſabit, quando majus Dei obſequium, & animarum ſalus id exigere videbitur.

§. 219. De Rebus Eccleſiæ non alienandis agunt omnes qui commentantur in Lib. 3. Decretal. tit. 13. & concordantes Titulos in Sexto, Clementinis & Extravagantibus. Præterea Guil. Redoanus Tract. de Reb. Eccleſ. non alien. Del Bene de Immun. Eccleſ. Cap. 17. Ascanius Tamburinus de Jure Abbatum tom. 3. Diſp. 13. & 14. Pyrrhus Corradus Prax. Diſpenſat. Apoſtol. lib. 9. *Scriptores.*

---

quæſtionem tractat Henniges in Medit. ad Inſtrum. Pacis art. 5. §. 25. lit. q. fol. 241. & alibi. Böhmer Jur. Eccl. Proteſt. lib. 3. tit. 13. §. 57. ſeqq.

57.) De Julio III. erga Britannos Raynaldus n. 8. & Spondanus n. 4. ad Ann. 1554. De Clemente XI. erga Saxones vid. Benedictus XIV. loc. cit. §. 28. De Ducibus Neoburgicis P. Schmalzgrueber loc. cit. n. 22.

Card. VINCENT. PETRA Comment. ad Conſtit. Apoſtol. tom. 1. ad Conſt. 1. Leonis I. tom. 2. ad Conſt. 6. Gregorii IX. tom. 4. ad Conſt. 6. Benedicti XII. & tom. 5. ad Conſt. 5. Pauli II.

Jos. GIBALINUS de Univ. rer. hum. negot. tom. 2. lib. 4. c. 8.

Card. DE LUCA tom. 4. tract. 2. part 3.

TITULUS II.

DE PACTIS ET CONTRACTIBUS.

Confer. Lib. 1. *Decretal. tit.* 35. & 40. *Sext. tit.* 18. & 20.

§. 220.

Res acquiruntur vel alienantur

DESCENDENDUM eſt ad modos, per quos res quælibet ab Eccleſia acquiri, vel alienari poteſt. Non agimus hoc loco de modo acquirendi *Originario*, ſcilicet occupatione rei, quæ nunquam in alterius fuit dominio, vel a ſuo domino eſt derelicta: ſed potius de modo acquirendi *derivativo*, quo Eccleſia vel acquirit jus aut dominium rei, in alterius dominio jam exiſtentis; vel transfert

fert jus aut dominium rei ſuæ in alium : dominium quidem rei per actualem præſtationem ac traditionem ; jus autem exigendi aliquam præſtationem transfertur, obligando ſe alteri ad dandum, faciendum, vel non faciendum.

§. 221. Ut autem univerſim conſtet, quam provide negotiationi & commercio inter homines conſuluerint varii populi, ſciendum eſt, actuum humanorum, qui ad aliorum hominum utilitatem tendunt, alios eſſe ſimplices, alios compoſitos 58.). *Simplices* alii ſunt *benefici*, alii *permutatorii*. Ex illis aliqui *meri benefici* ut donatio, vel præſtatio facti utilis: alii *benefici cum mutua aliqua obligatione*, uti Commodatum, Mandatum, Depoſitum. Actus *permutatorii* aut *dirimunt* partes dando vel faciendo, ut etiam altera pars det vel faciat, e. g. dando rem pro pecunia in Emptione Venditione, dando uſum rei pro mercede, ut in Locatio- *Variis modis:*

58.) Hugo Grotius de Jure belli ac pacis. lib. 2. c. 12.

catione Conductione &c. aut *Communionem afferunt*, communicando facta aut res ad communem utilitatem, ut in Societate. *Compositi* actus sunt, ubi plures ex dictis actibus simplicibus in quodam negotio concurrunt. Sic si sciens, rem majoris emam, partim erit Emptio, partim Donatio ejus quod plus est in pretio: si aurifabro pecuniam promittam, ut de suo auro mihi annulos faciat, partim erit Emptio auri, partim Conductio operæ: similiter in Fidejussione, Pignore, Cambio &c. plures diversi contractus concurrunt. Omnes isti actus aut in præsens absolvuntur, aut in futurum prominent: in præsens absolvitur actus, dando vel faciendo aliquid: in futurum prominent promissiones tum dandi tum faciendi. Ab his ultimis initium ducamus.

Promissione: §. 222. Plures sunt gradus, quibus nostram mentem alteri de aliquo præstando manifestamus. I. *Nuda Assertio*, explicans animum præsentem de futuro, non tamen obligans ad perseverandum in ea cogitatione; sed relinquens libertatem mutandi consilium. II. *Pollicitatio*, quan-

quando voluntas se ipsam pro futuro determinat, cum signo sufficiente ad indicandam perseverandi necessitatem 59.). Hæc naturalem parit obligationem exsolvendi fidem, alteri tamen jus proprium non tribuit: proin Pollicitationem non servans, non peccat contra Justitiam, sed contra Fidelitatem 60.). III. *Promissio* perfecta est, quando ad determinationem voluntatis accedit sufficiens signum volendi conferre alteri jus proprium: ad hoc autem requiritur acceptatio alterius, quæ tamen non semper necessario debet innotescere promissori præsertim in actibus beneficis unilateralibus; aut

59.) In L. 3. ff. de Pollicit. dicitur *Pollicitatio, offerentis solius promissum.*

60.) Pollicitationem Reipublicæ factam pœnitentia non revocari æquissimum est: unde si quis rem ex pollicitatione Curatoribus Reipublicæ traditam vindicare velit, repellendus est a petitione. Cit. L. 3. §. 1. Hæc legis dispositio extenditur ad Ecclesias & Causas pias: Pollicitatio his facta, censetur acceptata, & etiam in foro externo firma esse jubetur.

si Promissionem antecessit rogatio; in hoc enim casu censetur in antecessum facta acceptatio, nisi expresse fuerit revocata, modo tamen rogationi respondeat Promissio 61.) Ante acceptationem revocari promissum potest sine injustitia 62.) Promissio Deo facta nominatur *Votum*, quod acceptatur a Deo, si libere sit factum de meliori bono: unde mox obligat secundum gravitatem materiæ ex Religione, quæ est summa Justitia erga Deum.

§. 223.

61.) Si plus promittatur, quam rogatum sit, Leges Romanæ acceptatam censent Promissionem, quia major summa continet minorem. L. 1. §. 4. L. 83. §. 3. ff. de Verb. oblig. sed hæc ratio non est semper congrua: sæpissime enim mihi non consulitur, nisi tantundem, hoc est, nec plus, nec minus, quantum rogavi, accepero. §. 5. Inst. de Inutil. Stipul.

62.) Promissionis & Pacti naturalem obligationem non agnoscit Franc. Connanus Comment. Jur. lib. 1. c. 6. n. 11. seq. & lib. 5. c. 1. n. 4. seq. nisi intercedat συναλλαγμα, id est mutuum factum obligatorium. Hanc doctrinam merito reijcit Hugo Grotius l. cit. c. 11. n. 1.

§. 223. Ad Promissionem acceptatam proxime accedit *Pactum*, quod dicitur *duorum pluriumve in idem placitum consensus* 63.), scilicet de aliquo ex justitia præstando. Pro diversitate negotiationis humanæ, innumera sunt Pactorum genera. Quædam conventiones autoritate Legum singulariter munitæ & ordinatæ sunt, ac propterea civilem in foro externo obligationem pariunt: & hæ vocari solent *Contractus*. Aliæ relinquuntur in sua forma & obligatione naturali, retinentque nomen *Pacti* specifice sumpti. Hujus obligationis naturalis effectus primarius est præstatio rei debitæ. Secundarii effectus sunt I. quod solutum, ab ipso debitore repeti non possit. II. quod compensatio locum habeat. III. quod pignora recipi & retineri possint. IV. quod novari possit debitum. V. quod tertius intervenire, atque pro obligato fidejubere, aut debitum constituere queat. *Pacto*

63.) L. 1. §. 2. ff. de Pactis.

Cujus variæ sunt species:

§. 224. Pactum dividitur I. in *Publicum*, quod ex causa publica e. g. per fœdera pacis; & *Privatum*, quod de re & causa privata initur. II. in *Expressum*, quod fit consensu per verba, nuncium, literas, nutus aliudve signum declarato; & *Tacitum*, quod manifestatur facto e. g. reddendo vel abolendo cautionem debiti; vel quod Jura ex aliquo facto, æquitatis causa præsumunt aut fingunt, etiamsi revera consensus non detur, e. g. res in conductas ædes illatæ præsumuntur aut finguntur pro solvenda pensione locatori oppignoratæ 64.). III. In *Personale*, quod concipitur in certas personas; & *Reale*, quod etiam ad hæredes paciscentium pertinet. IV. In *Nudum*, quod intra solos conventionis fines consistit; & *Non nudum*, quod in Legibus obtinuit speciale nomen, aut certa verborum solennitate perficitur, ut Stipulatio, vel quod habet

64.) Quomodo post Leges Romanas differat Consensus tacitus a præsumpto, tradit Thomasius Instit. Jurisprud. Div. lib. 2. c. 7. n. 19. seqq.

bet *Causam*, quando scilicet ex parte unius jam est impletum; vel quod in continenti adjcitur, & adhæret alicui contractui, ut pactum retrovendendi adjectum emptioni; vel singulari Legis assistentia & Juris favore gaudet, quale est pactum promissæ dotis, constituti 65.). Hæc ultima Pacta vocari etiam solent Pacta *Legitima*, & pariunt Condictionem ex Lege.

§. 225. *Contractus*, prout distinguitur a Pacto specifice dicto, est *Conventio ultro citroque habita, pariens per se actionem.* Cum Contractus jure naturali & multarum Gentium a pacto non differat, debet ejus differentia desumi ex dispositione Legum Romanarum, ex quibus competit illi actio, & quidem *per se*; pactis autem quibusdam conceditur actio, quando induunt, vel imitantur Contractum. *Contractu,*

65.) Pacta non nuda communiter vocari solent *vestita, verbo magis, quam sensu inconcinno*, ut advertit ARN. VINNIUS tract. de Pactis cap. V.

Qui diversimode

§. 226. Dividitur Contractus I. in *Verum*, id est, vero naturali consensu, signis aut factis declarato constantem; & *quasi contractum*, qui constat consensu a Lege, æquitatis causa ficto; quales sunt Negotiorum gestio, Tutelæ administratio, Communio rei singularis, Communio hæreditatis, Aditio hæreditatis, acceptio indebiti 66.) II. In Nominatum, qui proprium & speciale sortitus est nomen, quod determinatam negotii naturam manifestat, uti Emptio, Locatio; & *Innominatum*, qui caret speciali nomine 67.). Hujus quatuor sunt

66.) Tot. Tit. Inst. de obligat. quæ quasi ex contractu nasc.

67.) Etiam Permutatio habet proprium nomen, & tamen communiter a numero Contractuum nominatorum excluditur. Nominati igitur Contractus vocantur illi, qui ob usum frequentiorem vim quandam & naturam acceperunt talem, quæ etiamsi nihil esset dictum specialiter, ex ipso nomine satis posset intelligi: unde etiam certæ de illis proditæ erant actionum formulæ, quarum multas congerit Barnab. Brissonius in egregio opere *de Formulis & solen-*

sunt species, do ut des; do ut facias; facio ut des; facio ut facias 68.); ad quos referri solet Permutatio, & Contractus æstimatorius. III. In *Unilateralem*, seu lucrativum, per quem aliquis alterum obligatum habet, sine mutua sua obligatione, uti Mutuum, obligatio literarum &c. & *Bilateralem*, seu oneroſum, qui utraque ex parte obligationem & actionem producit, qualis est Emptio Venditio, Locatio Conductio, ex quibus mox ab initio subest utrinque principalis obligatio, proin datur etiam utrinque Actio *directa*: in aliis, uti Depoſito, Pignore, Mandato, Commodato, unus tantum per se & principaliter obligatur ab initio; alter dein ex accidenti, vel minus principaliter, forte ad præstandam indemnitatem, resarciendas expensas. Contra

solennibus Populi Romani Verbis. In ceteris autem Contractibus hoc tantum inerat, quod dictum erat, ac proinde non communis aliqua & usitata, sed accommodata ad ipsum factum dabatur formula, quæ ideo *præscriptis verbis* dicebatur.

68.) L. 5. ff. de Præscript. verb.

tra priorem itaque datur actio *Directa*; adversus alterum *Contraria*.

Dividitur. §. 227. IV. In Contractum *bonæ fidei*, in quo alter alteri obligatur in omne id, quod ex æquo & bono videtur præstandum, licet verbis conventionis non sit expressum; & *Stricti juris*, ubi non exceduntur expressi conventionis termini. Discrimen hoc, quatenus est ex Jure Romano, hodie non attenditur. Naturalis tamen ratio suadet, ut in iis contractibus, qui in utriusque commodum cedunt, benigniore interpretatione etiam ea veniant, quæ æquitatis ratio & popularis usus desiderat, uti in Emptione &c.; in contractibus vero unilateralibus, ubi solum de unius obligatione, & alterius lucro agitur, qualis est stipulatio, strictius inhæreatur verbis, ne obligatio nimium extendatur in contrahentis præjudicium 69.). V. In *Consensualem*, qui solo

69.) Videantur Commentatores in §. 28. Inst. de Action. qui tamen non ita intelligendi sunt, ut in contractibus stricti juris tenaciter inhæreatur cortici verborum, neglecta Contrahentium men-

solo contrahentium consensu perficitur, ut Emptio Venditio; *Verbalem*, qui solis, & olim quidem certa verborum solennitate perficiebatur, uti stipulatio; *Literalem*, qui oritur ex chirographo spe numerandæ pecuniæ dato 70.); & *Realem*, qui non subsistit sine actuali traditione rei, ut Mutuum, Depositum, Commodatum, Pignus. VI. In Contractum *translativum juris in re*, qui sua natura est habilis, ut accedente traditione jus in re conferat, ut Emptio, Mutuum; & *non translativum*, qui tantum usum, curam', vel administrationem tribuit, uti Locatio Conductio, Commodatum, Depositum &c. VII. In Contractus *Juris Civilis*, qui suam originem debent Juri Civili Romano, ut stipulatio, Donatio propter nuptias, Emphyteusis, obligatio litera-

---

mente; sed Judex semper debet respicere ad ea, quæ nominatim a partibus expressa, vel alias ex Legis dispositione in natura negotii contenta sunt.

70.) Alii huc referunt etiam Contractum, qui pro sua constitutione requirit scripturam, qualem nonnulli putant Emphyteusin Ecclesiasticam.

terarum 71.); & Contractus Juris *Gentium*, ideo sic dictos, quia ab aliis Gentibus fuerant introducti, a Romanis tamen recepti, & variis Legibus ordinati.

Contractibus Adjicitur Conditio:

§. 228. VIII. Dividitur Contractus in *Absolutum*, qui mox effectum suæ naturæ proportionatum obtinet; & in *Conditionatum*. Liberum enim est hominibus certas quandoque leges suis contractibus imponere, certas clausulas aut modos adnectere. *Conditio* autem est qualitas actui adjecta qua vis illius in futurum ac incertum eventum suspenditur 72.): unde intelligitur conditio proprie dicta, scilicet de futuro, possibilis, contingens, suspensiva. Nam conditio de præsenti vel de præterito, si par-

71.) Multi contractus hodie usitati originem suam debent Consuetudini vel Juri alterius cujusdam Civitatis, aut Provinciæ: eodem enim jure constituendi novos Contractus gaudent alii populi, quo usi fuerunt Romani. Unde non semper opus est, ut vestigia, nomen vel naturam Contractus alicubi usitati, inquiramus in Legibus Romanis: tales sunt Oppignorationes Germaniæ, Emphyteusis alterata Bavariæ &c.

72.) §. 4. Inst. de Verb. oblig.

parte rei non ſuſpendit efficaciam contractus, quamvis contrahentes neſciant, an conditio actu exiſtat, vel extiterit, & conſequenter an contractus obliget vel non: conditio ex natura ſua, lege vel facto impoſſibilis, contractum reddit irritum. Qui promittit dare, ſi voluerit, nihil agit: conditio, ſi promiſſarius voluerit: neceſſario inexiſtit promiſſioni, ut ſcilicet acceptetur; ante acceptationem autem nondum datur obligatio. Quando non ipſa ſubſtantia obligationis, ſed tantum modus ſolutionis in voluntatem contrahentis conijcitur, valet contractus abſolute, e.g. ut ſolutio præſtetur commodo tempore; item dabo dotem, quantum viſum fuerit; quo caſu tandem devenitur ad arbitrium boni viri. Conditio *poteſtativa*, quæ dependet ex facto alterutrius contrahentium, e. g. ſi Theologiæ det operam, vere ſuſpendit valorem. Conditio *reſolutiva* ſupponit contractum validum; eveniente tamen conditione reſolvendum. Conditio de futuro nondum exiſtens, revocari non poteſt, niſi conſentientibus cunctis paciſcentibus: nam *ſpes debitum iri* transmittitur

tur utrinque ad hæredes post mortem contrahentium. Eventus autem conditionis retrotrahitur ad initium contractus 73.).

Dies: §. 229. Præter Conditionem, Contractui adijci potest Dies, Modus, Causa, Demonstratio, Arrha. *Dies* quodcunque temporis spatium, mensem, annum, horam complectitur, quod temperandæ, finiendæ, aut multiplicandæ obligationi adijcitur. Quando *Dies* Pacto vel Contractui tacite inest 74.), aut Dies certus 75.), vel etiam incertus, de quo nescitur, quando sit extiturus 76.), expresse adijcitur, tanquam terminus *a quo*, statim quidem dies *cedit*, & obligatio

---

73.) Plura videri possunt apud PHILIBERT. BRUSSELIUM tract. de Conditionibus. Quæ singularia sunt Conditionibus Matrimonio aut Testamento adjectis, suis locis notantur.

74.) *Qui Carthagine dari stipulatur, cum Romæ sit, tacite tempus complecti videtur, quo perveniri Carthaginem potest.* L. 73. ff. de V. O.

75.) *Decem aureos primis Kalendis Martiis dare spondes? §. 2.* J. eod.

76.) *Si cum moriar, dare promisero.* L. 17. ff. de Condict. indeb.

tio nascitur; antequam tamen dies *veniat*, res promissa peti non potest. Si vero dies adjectus simpliciter sit incertus, ita ut incertum sit, an sit extiturus, æquivalet conditioni de futuro contingente 77.). Dies adjectus tanquam terminus *ad quem* obligationem non suspendit, sed usque ad diem præfixum multiplicat: adventu autem suo per exceptionem elidit 78.). Si stipulatio in annos singulos simpliciter concipiatur sine appositione diei, obligatio erit pura, & perpetua, transiens utrinque ad hæredes: legatum autem simili modo relictum, morte legatarii finitur 79.); nam qui stipulatur, hæredibus etiam suis cautum vult: qui autem legatum relinquit, solam legatarii personam respicere censetur.

77.) *Si cum hæres morietur, legetur, conditionale legatum est.* L. 4. ff. quando die legat. ced. Nam relictum censetur sub conditione, si Legatarius vivat, morente hærede: unde si Legatarius ante hæredem moriatur, legatum non transmittitur.

78.) §. 3. J. de V. O.

79.) L. 16. §. 1. ff. eod.

Modus: §. 230. *Modus* est gravamen dispositioni adjectum instar causæ finalis 80.) in tempus futurum ab altero præstandum. Si Modus sit possibilis contingens, statim dies cedit & venit: si tamen gravatus postea onus implere recuset, id quod datum est, vel condictione causa data causa non secuta, vel utili rei vindicatione repeti potest 81.). Modus natura impossibilis pro non adjecto habetur: repugnans substantiæ contractus, hunc ipsum vitiat 82.), quia quis vel-

80.) Si modus respiciat duntaxat commodum donatarii, censetur esse causa tantum impulsiva, & capitur legatum vel donum, etsi modus non impleatur, e. g. *Titio centum, ita ut fundum emat, legata sunt.* L. 71. pr. ff. de condit. & demonstr. secus, si modus cedat in emolumentum legantis vel tertii. e. g. *Titio centum relicta sunt ita, ut Maviam uxorem, quæ vidua est, ducat.* L. cit. §. 1.

81.) L. 3. C. de Donat. quæ sub modo &c.

82.) De Matrimonio constat ex C. fin. de Condit. appos. de aliis contractibus colligitur ex l. 14. ff. de usu & habit. ubi legatum ususfructus sine usu, seu sub modo non utendi, inutile dicitur, quia ususfructus esse non potest sine usu.

vellet & non vellet idem : uti etiam si modus sit turpis, & de Jure impossibilis 83.) : si tamen pactum vel legatum respiceret finem bonum, qui per aliud æquipollens obtineri posset ; tunc commutationi locus esset 84.). Turpem quoque reddit promissionem Modus de jure necessarius, e. g. ut a crimine abstineas: turpitudo enim versatur ex parte accipientis, qui amore virtutis & Legum autoritate, non autem pactionibus privatis a crimine avocari debet 85.).

§. 231. *Causa* est moderamen Contractui adjectum, quod paciscentes ad contrahendum impulit, quia est aut erit. Intelligitur Causa moralis, cujus existentia vel præsens, vel futura movet; cum viciſſim modus *Causa:*

83.) *Si flagitii faciendi causa concepta sit stipulatio, ab initio non valet.* L. 123. ff. de V. O. In matrimonio tamen & ultimis voluntatibus talis modus non vitiat actum, sed pro non adjecto habetur.

84.) L. 16. ff. de usu & usufr. per legat. datis.

85.) L. 1. §. 2. & L. 2. ff. de condict. ob turp. caus.

sit instar causæ finalis, quæ per ipsam dispositionem obtinebitur. Communiter dicitur, Pactum corruere & nullum esse, si falsitas causæ subsit; nam juxta commune proverbium cessante causa cessat effectus 86.), excepto tamen matrimonio, & actu ultimæ voluntatis, nisi constet, etiam in his negotiis voluntatem esse alligatam causæ.

Demonstratio: §. 232. *Demonstratio* est modamen Contractui adjectum, quod præter nomen rei vel personæ designandæ gratia adhibetur. Falsa demonstratio non vitiat actum, modo constet, de qua re vel persona sermo fuerit 87.).

Arrha. §. 233. Contractibus quandoque adjicitur *Arrha*, quo nomine intelligitur res in signum negotii perficien-

---

86.) Desumi hoc solet ex l. 1. C. de Condict. ob causam datorum. Integrum tractatum de hoc proverbio, *Cessante causa cessat effectus*, scripsit TIRAQUELLUS, vix tamen pro innumeris emergentibus casibus satisfacit.

87.) L. 17. & 33. ff. de Condit. & Demonstrat.

ciendi, vel perfecti data. Si negotium consistat adhuc intra limites pacti vel tractatus de Contractu futuro e. g. de Emptione secutura; admitti potest, quod arrha perdita liceat a negotio inchoato recedere 88.). Si vero Contractus jam sit perfectus, recedere ab eo non licet, etiamsi quis arrham perdere, vel duplicatam restituere velit 89.). Qui promittunt operam suam, solent obstringi, & ad eam alacrius impendendam excitari per arrhas: etiam in Camera Imperiali Advocatis & Procuratoribus arrharum nomine aliquid dari solet 90.). Notarii publici, quorum opera requiritur, sub-

88.) Sic multi intelligunt JUSTINIANUM in l. ult. ff. de lege commissor. & in pr. Inst. de Empt. ubi de Emptione nondum perfecta, datis tamen arrhis, dicitur: *is qui recusat adimplere contractum, si quidem est emptor, perdit quod dedit: si vero venditor, duplum restituere compellitur.*

89.) Colligunt ex L. 6. C. de rescind. vendit. *quamvis duplum offerás pretium emptori, tamen invitus ad rescindendam venditionem urgeri non debet.*

90.) GAIL. lib. 1. obs. 151. n. 1.

arrhari volunt auro & argento 91.) Famuli & Ancillæ in noſtris Provinciis contrahunt de ſua opera locanda, receptis Arrhis, *Hafft-gelt*. His autem omnibus absque gravi cauſa non omnino liberum videtur, perdita, vel reſtituta Arrha a contractu recedere. Certius nihil dici poteſt, quam circa arrhas judicandum eſſe de mente contrahentium juxta communem uſum & locorum conſuetudinem. Nonnunquam arrha datur, ut poſtea in pretium computetur 92.); nonnunquam ad evidentiorem Contractus initi probationem: nonnunquam pro firmanda obligatione ad implendum contractum; hoc autem impleto, vel etiam per mutuum conſenſum reſciſſo, arrha reſtitui debet 93.): nonnunquam vix alium effectum aut finem videtur habere, niſi ut liceat pœnitere 94.). Ab Arrha, quam-

91.) LAUTERBACH. Vol. III. Diſp. 124. de Salariis theſ. 22.

92.) L. ult. ff. de Lege Commiſſor.

93.) L. 11. §. 6. ff. de Action. empti & vend.

94.) Vid. Diſſertatio LAUTERBACHII de

quamvis hac voce nonnulli abutantur, distinguitur, quod Germani pietatis causa pro felici eventu initi contractus offerunt Deo, pauperibus, vel alicui Sancto 95.): item Nummi bibales, qui dari solent, ut hi, qui præsentes fuerant, de contractu recordentur 96.): item pretii additamentum, quod in emptionibus majoris momenti honorarii loco solet dari uxori aut liberis venditoris 97.). Sæpe etiam Contractibus adjicitur *pœna*, a violantibus contractum solvenda. Hæc si apponatur ad puniendam culpam transgressionis, ut plerumque fieri solet, obligatur transgrediens eam solvere, non quidem ante petitionem partis, bene tamen,

de Arrha, quæ continetur in ejusdem Dissert. Academ. Vol. 1. Disp. 11. Müllerus ad Struv. Exercit 23. thes. 22.

95.) *Gottespfenning*. de quo Zasius singular. Responsa. lib. 2. c. 24. n. 5.

96.) Wehner pract. observ. v. Weinkauft. juxta Gloss. v. firmum. in pr. Inst. de Verb. oblig. *in Lombardia bibunt*, scilicet bibendo & congratulando consummationem actus indicant.

97.) Leykauff. vid. Lauterbach l. c. thes. 86.

sententiam Judicis: & per hanc solutionem non tollitur obligatio præstandi facti, quod promissum fuerat, cum pœna confirmandæ & augendæ, non minuendæ obligationis causa adjici soleat: & stipulatio principalis per posteriorem pœnalem non novetur 98.).

Ad Conventiones Jure naturali

§. 234. Ad Promissionum & Conventionum vim ac efficaciam varia requiruntur tum ex Jure Naturæ & Gentium, tum ex Jure Civili & Canonico. Licet enim Jus Naturæ nullum determinatum Contractum nobis tradat, nihilominus postquam a variis populis quidam Contractus in usum deducti fuerunt, æquitas naturalis exigit, ut observentur ea, quæ ad utilitatem Societatis humanæ per singulos contractus intentam requiruntur. Independenter igitur a Legibus Romanis, vel Statutariis, Jus

98.) In l. 44 §. ult. ff. de O. & A. dicitur *quasi novatio*, in illis circumstantiis scilicet, ubi clare patet mens contrahentium, quod inire velint pactum alternativum: nam vera novatio non intelligitur, nisi id expresse agatur. vide L. ult. C. de Novat.

Jus Naturæ & Gentium requirit I. Usum rationis. II. Consensum verum tam internum, quam externum. III. Libertatem ab errore. IV. Libertatem a dolo, ex quo posset provenire error. V. Libertatem a metu. VI. Honestatem. VII. Æqualitatem. VIII. Rem proprio arbitrio subjectam.

§. 235. Igitur requiritur I. *Usus rationis.* Ideo & furiosi & amentis, & infantis nulla est promissio aut conventio. Ob infirmum judicium quibusdam succurrunt Leges Civiles, tum Græcorum 99), tum Romanorum, qui infirmos volunt Contractus impuberum & minorum sine autoritate Tutorum ac Curatorum: Minores autem, qui Curatorem non habent, gaudent restitutione in integrum 100.). Ad quæstionem, an pupillus sine autoritate Tutoris contrahens, *Requiritur I. usus Rationis:*

99.) *Minoribus tot annis lex non concedit contractum facere tanquam infidis: neque mulieri apud Athenienses, nisi usque ad ordei modium, propter consilii infirmitatem.* Dio Chrysost. Orat. 74. fol. 638.

100.) L. 3. C. de in integr. restit. &c.

saltem *naturaliter* teneatur? respondendum puto, illum naturaliter obligari 1.), id est, actum ex natura sua esse talem, qui inducat vinculum morale, quo pupillus alteri obstringatur, ita quidem, ut implens Contractum, non solvat indebitum, sed satisfacere censeatur obligationi suæ. Si tamen pupillus uti velit Legum favore, elidere potest alterius jus, in quantum sibi est noxium, adeo ut non tantum solvere non teneatur, sed etiam solutum repetere possit, non quidem per se, nisi post obtentam restitutionem in integrum, sed tamen per Tutorem vel Judicem. Leges aliquæ 2.) dicunt, ejusmodi pupillum *nec natura* debere, id est, non tam fortiter jure naturali adstringi ad complendum Contractum, ut non possit se per Legum favorem expedire ab hoc vinculo. Licet autem non omnes obligationis naturalis effectus (§. 223.)

in

1.) L. 1. §. 1. ff. de Novat. L. 25. §. 1. ff. quando dies legat. ced.

2.) L. 41. ff. de Condict. indeb. L. 59. ff. de O. & A.

in tali pupillo ſubſiſtant: locum tamen habent aliqui, quos etiam Jus Civile firmos cupit, uti Novatio, Fidejuſſio. Idem dici ſolet de Minore Curatorem habente, hoc tamen diſcrimine, ut ejusmodi Minor contrahere poſſit obligationem perſonalem, non tamen realem, quia Curator non perſonæ, ſed rebus datur 3.).

§. 236. Requiritur II. *Mutuus paciſcentium conſenſus.* Opinantur Theologi quidam 4.), ſolum requiri conſenſum externum libere poſitum ſine animo ſe obligandi, aut obligationem alterius acceptandi. Melius & communius dicitur, requiri ad eſſentiam pacti etiam conſenſum internum, ſive animum ſe obligandi, aut obligationem acceptandi ſaltem implicitum, quo contrahens deliberate & libere init pactum, quale communiter ineunt homines, ex quo ſufficienter ſcit oriri talem obliga-

II. Mutuus Conſenſus:

3.) L. 20. ff. de Rit. Nupt. L. 101. ff. de V. O.

4.) Joan. de Dicastillo de J. & J. lib. 2. tr. 3. diſp. 1. n. 461. ſeqq.

ligationem. Leges enim præter verba & traditionem aperte requirunt animi consensum 5.). De Matrimonio id omnes concedunt 6.): eadem autem est ratio reliquorum contractuum profanorum. Ex verbis quidem aut signis exterius libere positis oritur in foro externo præsumptio consensus interni 7.), & obligatio reparandi damnum, inde fors illatum: sed tamen simulate & ficte paciscens revera vi pacti non obligatur, quia Respublica, vel Legislator consensum supplere non potest; nec tenetur remota fictione vere consentire, nisi a Judice compelleretur, aut alia ratione damnum reparare non posset. Id admittitur, ad essentiam pacti non requiri animum obligationem implendi. Porro quamvis solo consensu interno obliga-

5.) L. 1. §. 2. ff. de pactis. L. 3. §. 2. & L. 55. ff. de O. & A.

6.) Ex c. 26. de Sponsal. & l. 30. ff. de rit. nupt.

7.) *Nemo existimandus est dixisse, quod non mente agitaverit.* L. 7. §. 2. ff. de supellect. legat.

ligare nos possimus Deo, qui corda & renes scrutatur: ut tamen homines se invicem obligent, requiritur consensus externus mutuus signis vel verbis expressus, & ex intentione ponentium pacisscentibus intimatus, & acceptatus 8.).

§. 237. Consensus iste III. debet esse *liber ab errore.* Jus Naturæ & Gentium id præcipue spectare videtur, quid contrahentes de facto voluerint, & an contractus erroneus ex culpa alterius contrahentis proveniat: quando culpa alterius ad errorem non concurrit, vel saltem id dubium videtur, error semper nocere debet erranti; nisi circumstantia illa, in qua erravit, promisso, vel contractui per modum conditionis fuerit adjecta 9.). Nec irritus potest dici Contractus erroneus ex eo, *III. Libertas ab errore.*

8.) De his vid. P. Guiliel. Beusch. tract. de Pactis & Contract. in genere. c. 1. sect. 2. seqq.

9.) Vim non habet exemplum Puffendorffii de Jure Nat. lib. 3. c. 6. §. 7. de eo, qui equos emit, falso nuntio de-

ce-

eo, quod fundatus sit in præsumptione facti, quod non ita se habet, quæ præsumptio inferre videtur promissum habitualiter conditionatum 10.): nam porta non est aperienda ejusmodi interpretationibus voluntatis nostræ in habituali constitutione animi fundatis, quæ perturbarent omne commercium inter homines: attendendum est, quid de

---

ceptus, quod equi sui domi perierint; nam falsa hæc narratio, nisi ipsius venditoris dolo sparsa, vel per modum conditionis inserta pacto fuerit, est extra negotium, quod propterea non censetur irritum.

10.) Non placet ejusmodi regula tradita ab HUGONE GROTIO de Jur. Bell. ac Pac. l. 2. c. 11. §. 6. a quo huc refertur ex CICERONE lib. 1. de Oratore ad Q. Fratrem illa *causa militis, de cujus morte cum domum falsus ab exercitu nuntius venisset, & pater ejus re credita testamentum mutasset, & quem ei visum esset, hæredem fecisset, essetque ipse mortuus &c,* THOMASIUS Inst. Jurispr. Div. l. 2. c. 7. n 44. observat, casum istum huc non pertinere, quoniam ultimarum voluntatum quoad interpretationem alia est ratio, quam promissorum & contractuum.

de facto velimus, non autem quid detecto errore vellemus. Nec omnem difficultatem expedit distinctio illa, an circa substantiam rei, an vero circa qualitatem & accidentia erratum sit. Si expresse profiteor, me emere mensam argenteam, nulliter ago, si mensa sit stannea: eadem ratione si expresse profiteor me emere mensam quadrangularem, nulliter ago, si mensa sit rotunda: hoc pertinet ad qualitatem accidentalem, illud ad substantiam mensæ: neutrum pertinet ad substantiam contractus; ad hunc enim non refert, an mensa sit argentea, vel stannea; sicut non refert, an sit quadrangularis, an rotunda, nisi conditio hæc pacto inseratur. Cum autem juxta superius dicta, requiratur etiam consensus internus, sufficeret quidem ad nullitatem actus, si quis in animo talem conditionem, circa quam errat, actu adjiceret: non autem sufficit, si solum habitualiter sit ita constitutus, ut non ageret, si se errare agnosceret. Nullum esse consensum errantis & similes regulæ proveniunt ex diversis Juris-Consultorum Romanorum sectis & opinionibus. Spectando

ctando Jus naturale attenditur, qui de facto agatur; & an alter contrahentium non det culpabilem erroris causam 11.): qui enim studiose alium in errorem inducit, non potest jus contra illum acquirere, nisi ille agnito errore sponte velit contractum servare,

IV. a dolo:

§. 238. Error sæpe oritur ex dolo alterius: unde Jus Naturæ & Gentium ad Contractum requirit IV. *libertatem a Dolo*, per quem intelligitur machinatio alterius decipiendi causa. Solet distingui, an dolus causam dederit contractui, an fuerit incidens. Distinctio hæc inventum est Juris Romani ad ostendendam ex parte differentiam inter contractus bonæ fidei & stricti Juris: cum autem hæc divisio vix usum hodie habeat, etiam distinctio illa in plerisque negotiis nihil decidit. Distinguendum potius est, an dolus fuerit adhibitus ab eo, quocum contraximus, an vero a tertio. In priori casu erit in arbitrio decepti utrum con-

11.) His contraria non sunt ea, quæ diximus de Matrimonio sect. 2. §. 310.

contractum velit pro nullo declarari, utrum salvo manente contractu, læsionis pensationem exigere. In posteriori casu negotium erit firmum; tertius vero dolum adhibens, nobis tenebitur ad interesse. Quod autem Jure Romano, læsus non potuerit contractum declarare nullum & irritum, ratio est, quia non præsumitur dolus, sed legitime probari debet: habet igitur actionem doli ad rescissionem contractus: vel si alter agat, læsus habet exceptionem doli mali 12.). Idem est, etsi nullus dolus contrahentis interceſſit; sed ipsa res in se dolum habet 13.), id est, si enormis læsio sit evidens,

12.) §. 1. Inst. de Except. l. 11. §. 5. ff. de action. Empti. l. 5. C. de rescind. vendit. l. 5. C. de inutil. stipulat. si quis tamen nimia facilitate induci se sinit, sibi dictum putet illud C. 6. de his quæ vi metusve caus. *non obstante dolo, quo se proponebant fuisse seductos; cum talis dolus non tam ad circumventionem prædictorum, quam ad fatuitatem eorum debeat retorqueri.*

13.) L. 36. ff. de Verb. oblig.

etiamsi neuter animum fraudandi habuerit.

V. a Metu

§. 239. V. Requiritur *Libertas a Metu.* Metus nonnunquam in Contractibus sumitur pro suspicione probabili, fore ut ab altero decipiamur: si metus hic non impedivit, quo minus contraherem, impedire etiam non potest, quo minus fidem servem. Mihi ipsi imputare debeo, si ejusmodi hominis, qui quosvis promiscue decipit, ludibrio ac fraudi me exponam 14.). Sed alio sensu per Metum intelligitur vehemens animi terror, ortus ex intentato gravi malo, ni promissum vel pactum inire velimus: quem si tertius incusserit, valebunt pacta ordinarie, exceptis scilicet illis negotiis, in quibus requiritur plenissima libertas, cum Leges remedium rescissionis adhibere non possint, qualia sunt matrimonium, & religiosa professio. Si metus

14.) Talem hominem, qui fidem non meretur, loquentem inducit PLAUTUS Curcul. Act. V. scen. 3. *promisi linguae; eadem nunc nego: dicendi, non rem perdendi gratia haec nata est mihi.*

metus mihi inferatur ex justa causa ab eo, cui imperium in me competit, rursus valet actus: uti etiam si leve solummodo malum mihi imminet; ex hoc enim si quis ad contrahendum moveatur, adscribere id potius debet debilitati suæ & pusillanimitati 15.).

§. 240. Si quis autem vi omnino injusta, & metu gravis mali promissum extorserit, quæstio est, utrum tale promissum vi Juris naturæ sequatur obligatio. Censeo, nullam obligationem oriri; nam ex solo consensu meo non nascitur obligatio, quando alter jure naturali prohibetur eandem acceptare: iste autem tenetur naturaliter, ad promittentem ab omni metu & onere inde orituro liberandum, quale onus esset obligatio. Extreme opponuntur hæc duo, aliquem obligatum tenere, & teneri ad eundem *Gravi*

15.) *Non obstante violentia, quæ proponebatur illata, cum neque metum mortis, neque cruciatum corporis contineret, & ideo non debuerat cadere in constantes.* C. 6. de his quæ vi &c.

ab omni obligatione immunem ſervandum. Obligatio omnem vim accipit a Lege, & in Contractibus præcipue a Lege naturali: quia igitur hæc ipſa lex vim & metum alteri incutere vetat, illa etiam prohibet metum facienti, ne ex hac metus incuſſione jus acquirat. Leges Romanæ concedentes illi, qui metum intulerat, actionem, ſed exceptione quod metus cauſa elidendam, vel mera & inutili ſubtilitate nituntur, vel ſolummodo tales actus habent interim pro validis, donec probetur metus, qui non præſumitur; vel excerptæ ſunt ex ſententiis eorum Jurisconſultorum, qui ſequebantur ſectam Stoicorum, rati, metum non cadere in fortem virum.

Et probabili: §. 241. Ut tamen tale promiſſum vel contractus cenſeatur nullus, requiritur I. ut moraliter certum ſit, eum qui metum incuſſit, non habuiſſe jus id faciendi. II. Ut ſit metus cadens in virum conſtantem, ſcilicet mali præſentis & gravis, quodque aliter niſi per promiſſum evitari non poteſt, utpote imminens ab eo, qui minas poteſt, & ſolet exequi. III. Ut promiſſum metu initum, ceſſante

sante metu non sit ratihabitum, vel per verba expressa, vel per facta consensum subsequentem inferentia. Nullitas enim talis promissi se tenet solum penes eum qui metum passus est: hic si deprehendat, contractum sibi esse utilem, potest eum ratum habere & compellere alterum ad ejus observationem. Si pro evitando, vel finiendo bello ineuntur pacta, non facile est permittendum, ut ea violentur ex prætextu incussi metus. Nam sæpe cessat primum requisitum. Dein talia Pacis fœdera sunt pacta publica, & si non Justitiam commutativam, inferunt certe Justitiam legalem, qua obligatur tota Respublica, adeoque cum subditis ipse Princeps; alias turbaretur socialitas & tranquillitas generis humani in perpetuum, nisi per pacta ejusmodi finiretur bellum 16.).

16.) Multa de hoc argumento disputant Legati Mitylenæorum, qui fœdere cum Athenienſibus abrupto, apud THUCYDIDEM de Bello Peloponnes. lib. 3. inter alia sic loquuntur: *Non tam benevolentia nos, quam timor in societate continuit:*

VI. Honestas; §. 242. VI. Requiritur *Honestas*; omnis enim promissio vel conventio turpis, jure naturali est irrita. Talis est, si vel promittatur materia turpis, utpote ad quam obligatio dari non potest; vel turpi modo, scilicet per dolum aut metum; vel sub turpi conditione, ita ut promissum alliciat ad peccatum: nam etiam impleta conditione non datur obligatio, quia promissio ad malum alliciens, mox ab initio est turpis; nec ulla intervenit ratio, ex qua postea cohonestetur, & convalescat, præsertim cum obligatio post impletam conditionem oritura, alliciat ad malum, & consequenter oriri non possit 17.).

VII. Æqualitas: §. 243. VII. In Contractibus bilateralibus Jus Naturæ & Gentium requirit *Æqualitatem*, seu ut Contractu adimpleto neuter contrahentium plus vel

---

nuit: adeoque quibus primo res tutiores metum demerent, ii etiam primi societatem rupturi erant.

17.) Vid. PUFFENDORFF de Jur. Nat. & Gent. lib. 3. c. 7. §. 8. ubi rejicit contrariam opinionem GROTII.

vel minus habeat, quam ante eundem habuerat 18.). Etiam in Contractibus beneficis quædam rei æqualitas ſpectatur, non quidem omnimoda, ſicut in permutatoriis, ſed ex ſuppoſitione ejus quod agitur, ne quis ſcilicet ex beneficio damnum ſentiat. Unde Mandatarius indemnis præſtatur a ſumptibus factis; & Commodatarius rem tenetur reſarcire, ſi periit, non autem Depoſitarius, niſi culpa acceſſerit. Nihilominus quædam inæqualitas rerum, in quam conſenſum eſt, ubi nec mendacium interceſſit, nec ejus quod dictum oportuit reticentia, in actionibus exterioribus pro æqualitate habetur 19.).

§. 244. Demum VIII. requiritur, ut Contractus fiant de re proprio arbitrio ſubjecta. Nam Promittere vel paciſci non poſſumus circa res & actio-

VIII. Res propria.

18.) Plura vid. in Differt. III. Rigoris Moderati circa uſuras §. 12. ſeqq.

19.) *In emendo & vendendo naturaliter conceſſum eſt invicem ſe circumſcribere.* L. 22. ff. Locati. L. 16. §. 4. ff. de Minorib. Vid. Grotius l. 2. c. 12. §. 26.

tiones alienas. Regula igitur generalis est, quod pacta non prosint tertio, nec obsint. Unde JCti Romani docent 20.), etiam illum non obligari, qui *alium daturum, facturumve quid promiserit*, spectatis scilicet nudis verbis promissionis: ex æquitate tamen & convenientia ita interpretamur verba, illum, quantum in se erit, curaturum, ut alter det vel faciat. Pro alienis autem non reputantur actiones aut res eorum, in quos nobis est imperium, quousque isthoc se extendit. Habebit etiam effectum pactum illius, cujus interest id præstari tertio, quod promissum fuit: talis enim paciscens propter suum interesse recte aget, ut impleatur promissio 21.) Administrator & Procurator generalis, si limites potestatis suæ non excedat, omni contractu Dominum & Principalem suum absolute obligare potest, nisi Leges ex speciali favore quibusdam consulant, e. g. Ecclesiis, Civitatibus, quæ non obligantur ex mutuo contracto per Pro-

20.) §. 3. Inst. de inutil. stipulat.
21.) §. 20. ibid.

Procuratorem, nisi pecunia in earum utilitatem versa probetur 22.).

§. 245. Præter ea, quæ ex æquitate naturali, cum aliqua Legum moderatione circa Contractus requiri diximus, alia quædam in Jure Civili & Canonico reperiuntur disposita. Pauca afferimus specimina I. Circa Personas. II. Circa Res. III. Circa solennitates. *Personas* quod attinet 23.), Prælati aliique Administratores Ecclesiarum de rebus earum pacta & contractus ad alienationem rerum immobilium vel mobilium pretiosarum tendentes, inire non possunt absque causis & solennitatibus in præcedente Titulo recensitis. Jure Civili annullantur omnia pacta & contractus prodigorum, quibus autoritate Prætoris adempta est bonorum administratio, nisi cedant in evidentem eorum utilitatem. *Jus Civile & Canonicum varia statuunt circa Personas:*

22.) De hac versione videri potest P. Beusch tract. de Pactis c. 3. sect. 3. §. 9.

23.) Varias cautelas circa Personas contrahentes refert Samuel Strykius de Cautelis Contract. sect. 1. c. 2. circa objectum contractuum ibid. c. 3.

litatem. Donationes inter Conjuges irritæ declarantur (ſupra Sect. II. §. 369.). Filiusfamilias impubes ne quidem autore patre paciſcens obligatur, ſaltem quoad effectus ſibi noxios 24.): pubes autem valide contrahit, modo id fiat vel cum conſenſu patris, vel ſine præjudicio patris. Religioſus poteſt per pactum obligationem in ſe ſuſcipere mere perſonalem, vel acceptare actum mere lucrativum, quando ſcilicet tales actus nec in præjudicium ſunt Monaſterii, nec a Prælato irritantur. Quamvis Judæi in publicis nundinis libere contractus celebrare poſſint, nihilominus extra hæc publica commercia Judæus celebrans contractum cum Chriſtiano, in quo ipſi Chriſtianus obligatur, ordinarie in Germania nulliter agit, nec ullum jus aut actionem contra Chriſtianum ſibi acquirit, niſi obligatio autoritate Magiſtratus loci, in quo Chriſtianus domicilium habet, confirmata atque erecta fuerit. Si Judæus

24.) §. 10. Inſt. de inutil. ſtipul. l. fin. §. 2. ff. de V. O.

dæus Christiano actionem, quæ ipsi adversus alium Christianum competit, vendat aut cedat; & cedens & cessionarius actione hac sua privantur, nec a debitore cesso quidquam exigere possunt 25.). Specialiter a Legibus improbantur pacta Advocati cum Cliente de quota litis, vel de palmario 26.); & Medici cum ægroto, quando suspicio incussi metus subest 27.): non enim contractus celebrare cum ægrotis universim prohibentur Medici, sed eos metu perdendæ valetudinis extorque-

re

25.) Decisa hæc sunt in Recessu Imperii Augustæ anno 1551. §. 79. Vid. Strykius in Usu moderno Pandect. lib. 18. tit. 4. §. 12. Müllerus ad Struv. Exercit. 23. thes. 77. lit. a. XI. Jodoc. Beck de Jurib. Judæor. c. 12. §. 22. seqq.

26.) L. 5. & 6. C. de Postulando. l. 53. ff. de pactis.

27.) *Archiatri scientes annonaria sibi commoda a populi commodis ministrari, honeste obsequi tenuioribus malint, quam turpiter servire divitibus: quos etiam ea patimur accipere, quæ sani offerunt pro obsequiis, non ea quæ periclitantes pro salute promittunt.* L. 9. C. *de Professoribus & Medicis.*

re 28.) : nihilominus etiam extr
has minas incivile est, si Medicu
nimium affectum prodat erga re
quandam ægroti 29.). *Qui in cu-*
cerem

28.) *Si Medicus, cui curandos suos oculos qui eis laborabat, commiserat, periculum amittendorum eorum per adversa medicamenta inferendo, compulit, ut ei possessiones suas contra fidem bonam æger venderet: incivile factum Præses Provinciæ coërceat, remque restitui jubeat.* L. 3. ff. de extraord. Cognit. Expertus id est Ludovicus XI. Rex Galliæ, cui ægrotanti Joannes Coctier Medicus sæpe apertas minas intentabat, & hoc modo singulis mensibus obtinebat plusquam decem millia thalerorum. COMINES lib. 6. c. 12. P. DANIEL Hist. Franc. part. 7. ad ann. 1483.

29.) Talis fuit Julius Mancinus Medicus Romanus, qui referente JANO NICIO ERYTHRÆO Pinacothec. part. 2. n. 24. quando ægrotos invisebat, in primis oculos per cubiculum circumferebat, & si quam ibi egregie pictam tabulam aspexisset, continuo adamabat; dabatque operam, ut in suam potestatem perveniret: neque id sibi erat difficile impetrare ab eo, qui suam ipsi salutem vitamque commiserat. Vid. ARIUS PINELLUS ad Leg. 2. C. de Rescind. vend. part. 2. c. 2. n. 33. FACHIN. Controv. Jur. lib. 2. c. 25.

cerem quem detrusit, ut aliquid ei exiorqueret, quidquid ob haac causam factum est, nullius momenti est 30.). Clericis prohibentur negotiationes, frequentes fidejussiones, & similia negotia, per quæ implicantur curis sæcularibus, & impediuntur a functionibus Ecclesiasticis 31.). *Qui Officii causa in Provincia agit, vel militat, prædia comparare in eadem Provincia non potest* 32.). Contractus inter Tutorem & Pupillum improbantur 33.).

§. 246. II. De *Rebus*, circa quas fieri possunt, aut non possunt Contractus, varia statuuntur. Jus Canonicum prohibet omnes pactiones circa Beneficia Ecclesiastica. Item in commercium venire non possunt Res sacræ & religiosæ; res furtivæ & vi pos- *Circa Res:*

30.) L. 22. ff. quod met. caus. vid. GOTHOFREDUS ad hanc legem.

31.) Tot. tit. Ne clerici vel Monach. &c. c. 1. de Fidejussor.

32.) L. 62. pr. ff. de contrah. empt.

33.) L. 5. §. 2. ff. de auctor. tutor. *Idemque porrigendum est ad similia: id est, ad Curatores, Procuratores, & qui negotia aliena gerunt.* L. 34. §. ult. ff. de contrah. Empt.

possessæ; liber homo; res non existentes, vel in quarum commercio fraus vel vendentium vel ementium timetur, uti venena, servi criminosi & fugitivi, res litigiosæ, emphyteuticæ, feudales, subjectæ restitutioni, publicis utilitatibus attributæ. Ut fundus dotalis, aut res immobiles Minorum alienentur, varia requiruntur, quibus fragilitati sexus aut ætatis consulatur. Nefas est barbaris & Romani Imperii, aut Christiani nominis hostibus arma deferre: prohibentur importari merces peregrinæ & exoticæ, ad mores corrumpendos & emungendos cives aptæ; extrahi autem variæ merces necessariæ. Multa Statuta prohibent emere frumentum in herbis, aut uvas pendentes 34.). Fodinæ salis ac metallorum plerumque reservantur Principi. De Rebus alienis, & hæreditate viventis variæ limitationes in Legibus ponuntur 35.).

34.) In Germania Reform. Polit. anno 1548. tit. 19. & anno 1577. tit. 19.

35.) De his & pluribus aliis fuse agit, & Leges adducit P. Melchior Friderich de Empt. & Vendit. part. 2. c. 1. art. 2. seqq. P. Beüsch de Pact. & Contract. cap. 4. Mozzius de Contractib. art. 7.

§. 247. III. Quoad *solennitates*, quænam requirantur in alienatione rerum Eccleſiæ & contractu Matrimonii, jam alibi dictum eſt. Ad alienandas res immobiles Pupillorum & Minorum requiritur Decretum Magiſtratus: ad Donationes ultra quingentos ſolidos, vel in Bavaria ultra mille florenos exigitur Inſinuatio apud Judicem. Ad formam pactorum nonnunquam requiritur ſcriptura ex conventione partium 36.). Inſtrumentum ſcriptum prælegi debet contrahentibus legendi ignaris. In multis locis requiritur charta ſigillata, ut Inſtrumenta habeant vim probandi in Judicio. Cauſa debendi adſcribi oportet in libris Mercatorum: item in Ceſſionibus, ubi Inſtrumentum quoad incorporalia eſt loco traditionis; quæ ſine titulo vel cauſa vim non habet. Circa varios contractus varia Jura ſtatutaria præſcribunt aliquam formam 37.). *Circa ſolennitates Contractuum.*

§. 248.

36.) Princ. Inſt. de Emption. L. 17. C. de fide Inſtrum.

37.) Videri poteſt Samuel Stryckius de Cautelis contractuum ſect. 1. c. 4. & paſſim

Contractuum substantialia, Naturalia, accidentalia:

§. 248. Ex his deducitur, juxta vulgares ICtorum phrases, alia esse substantialia, alia naturalia, alia accidentalia contractuum. *Substantialia* sunt, sine quibus actus esse non potest. Sic Emptioni substantialia sunt Merx, pretium, & conventio: uno enim ex his sublato, extingui contractum emptionis necesse est. Unde omnes solennitates, quæ non adhibitæ impediunt obligationis nativitatem, de substantia dicuntur, & constituere formam contractus censentur. *Naturalia* sunt, quæ innata Contractui intelliguntur: eo tamen salvo abesse possunt. Sic naturale emptioni est, ut venditor evictionem præstet. Diversa tamen horum Naturalium est ratio: aliqua quidem non alia ratione naturalia dicuntur, nisi quod frequentiori

passim per totum librum. Testantur Doctores, ex consuetudine alicubi requiri invocationem Domini Nostri Jesu Christi in instrumentis Contractuum ad substantiam, adeo ut Notarius Christianus eam apponere debeat etiam in contractibus Judæorum juxta FELINUM in c. 1. n. 2. de Fid. Instrum.

tiori & assidua consuetudine, quæ in nomen naturæ transiit, ad contractus accesserunt; & hæc etiam expresso contrahentium pacto abesse possunt, qualis est dicta obligatio ad evictionem. Alia autem per naturam Contractui adhærent, & sunt quasi proprietates intrinsecæ contractuum: & hæc expresso pacto tolli non possunt, sed potius ipsa pacta contra naturam contractus adjecta cadunt, aut Contractus in aliam speciem transformatur. Sic conveniri non potest, ut rei venditæ dominium non transeat ad emptorem 38.): ut alter socius damnum non sentiat; esset hæc enim leonina societas 39.): ut dominium rei depositæ in depositarium transeat; tale enim pactum *egreditur depositi notissi-*

38.) *Nemo potest videri eam rem vendidisse, de cujus dominio id agitur, ne ad emptorem transeat: sed hoc aut locatio est, aut aliud genus contractus.* L. 80. §. 3. ff. de contrah. empt.

39.) L. 29. §. 2. ff. pro Socio.

tissimos terminos 40.). *Accidentalia* dicuntur, quæ abesse vel adesse possunt, salva contractuum substantia, qualia sunt varia pacta Contractibus adjecta 41.).

Effectus Pacti,

§. 249. Effectus Pactorum & Contractuum *immediatus* & a jure naturæ descendens, est obligatio ad dandum, præstandum, faciendum vel omittendum, quod promissum est 42.). Hæc obligatio vocatur *naturalis*, cui respondet in altero jus exigendi implementum promissionis. Alia dicitur obligatio *civilis*, ex qua resultat effectus contractuum *mediatus*, scilicet actio, seu jus persequendi ac exigendi in judicio præstationem

---

40.) L. 24. ff. Depositi. In pecunia tamen depositа fieri id posse, patet ex L. 25. ibid. rationem dat UDALRIC. ZASIUS singular. Respons. lib. 1. c. 12.

41.) Doctrina hæc traditur a Glossa in L. pacta conventa. 72. ff. de contrah. empt. Vid. Commentatores in eandem Legem. CORASIUS Miscellan. lib. 3. c. 10. ZASIUS l. c.

42.) *Quid enim tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare?* L. 1. pr. ff. de pact.

nem vel omissionem illius rei vel facti, ad quam alter in commodum nostrum est obligatus. Ex pacto nudo quidem de Jure Civili positivo non datur talis actio in foro externo; bene tamen de consuetudine, vocarique solet *Condictio ex pacto*. Ex Contractibus bilateralibus nascitur utrinque reciproca actio & obligatio. hæc mox oritur, quando pactum vel contractus est pure celebratus: si vero sub conditione, obligatio quidem ad rem in pactum deductam suspensa manet, donec conditio impleatur: hac impleta, obligatio censetur pura & absoluta retro a die initæ conventionis. Est autem fides data in pactis honestis servanda omnibus, qui communionem Juris naturalis habent, consequenter etiam hostibus, nisi forte isti priores datam fidem infregissent 43.). Factum

43.) Wissenbachius ad Pandect. part. 1. disp. 9. n. 10. ultra modum calumnioſe invehitur in Patres Concilii Constantiensis, & Becanum qui eorum sententiam contra Joannem Hussum & Hieronymum Pragensem latam defendit, tan-

prægnans, id est, singularem juris effectum post se trahens, uti vendere, locare, mutuare, in contractum deductum, præcise est præstandum 44.); potius enim censetur esse stipulatio dandi, quam faciendi: imo etiam factum nudum promittens, spectando æquitatem naturalem, non liberatur præstando interesse. Leges aliquæ intelligi possunt de casu, quo factum amplius a promissore præstari non potest, vel ob culpabilem promissoris moram promissario amplius proficuum non foret.

Alternativi. §. 250. Pacta quandoque sunt *alternativa* ratione personarum promittendo *huic vel illi*; in quo casu particulam disjunctivam *aut* habere vim copulativæ *et*, constituit Imperator

tanquam fidei hæreticis datæ violatores. Vid. C. fin. de Hæret. & ibid. EMMAN. GONZALEZ. Item FERMOSINUS tom. 9. part. 1. Allegat. Fiscal. 47. JACOBUS SCHULTES in Tract. de Fide hæreticis servanda, argumenta utriusque sententiæ proponit.

44.) L. 75. §. fin. ff. de V. O. L. 35. §. fin. C. de Donat.

rator JUSTINIANUS 45.), adeo ut ambo ad rem promissam jus habeant, nisi scilicet aperte de alio sensu contrahentium constet. Si vero contractus sit alternativus respectu Rerum, dabo *hoc vel illud;* plerumque optio est penes debitorem 46.). Si plurium obligatio afficiat singulos, non pro rata, sed in solidum, vocantur *Correi debendi*: si singuli habeant jus rem totam exigendi, dicuntur *Correi credendi.* Factum unius Correi attingit etiam reliquos Correos, tam in utilibus, quam in odiosis, reservato tamen invicem regressu inter ipsos Correos 47.). Obligatio pactorum, quæ non expresse restringuntur ad personam, transit active & passive ad Successores universales seu hæredes 48.); item ad

45.) L. 4. C. de Verb. & Rer. signif.

46.) Vid. HAUNOLD. de J. & J. tom. 3. tr. 8. n. 315. seqq.

47.) Vid. JOAN. ANDREAS FROMMANN de obligatione Correali.

48.) Etiamsi obligatio ejus sit naturæ, ut extinguatur per mortem paciscentis, obligatio tamen quoad præteritum ad hæredes transit.

Succeſſores in Dignitate vel Principatu, ſi pactum nomine Dignitatis aut Principatus initum fuerit: non tamen ad Succeſſores ſingulares, niſi hæc ipſa obligatio in pactum deducta fuerit. Tertius non obligatur, etiamſi teſtis fuerit, ſigillum ſuum appoſuerit, vel operam ad perficiendum contractum adhibuerit.

Damnum dolo vel culpa datum

§. 251. Præter primariam obligationem præſtandi id, quod in Contractum deductum fuit, datur etiam obligatio compenſandi damnum dolo vel culpa datum. Per *dolum* hoc loco intelligitur ſtudioſa voluntas lædendi; per *culpam*, aliquis defectus diligentiæ, quam quis adhibere deberet 49). Communiter dividitur in latam, levem & leviſſimam. *Lata* dici-

49.) Materia de *Culpa* eſt ſatis obſcura & incerta. Acres concertationes inter Struvium & Henricum Coccejum rem magis intricatam reddiderunt: nec majus lumen affudit SAMUEL DE COCCEY, Henrici filius, qui parentis doctrinam compendio recenſet in Juris Civil. Controv. lib. 13. tit. 6. q. 10. ſeqq. Vid. ADAMI STRUVII Deciſ. Sabbath. c. 5. deciſ. 7. ſeqq.

dicitur, quando omittitur illa diligentia circa rem alienam, quam homines ejusdem conditionis etiam parum diligentes communiter adhibere solent in rebus propriis: *Levis*, quando omittitur diligentia, quam homines ejusdem conditionis diligentiores: *Levissima*, quando omittitur diligentia, quam homines ejusdem conditionis solertissimi adhibere solent. Vocatur hæc culpa *Juridica*; si autem conjungitur cum peccato coram DEO, dicitur *Theologica*.

Quis præstet?

§. 252. Damnum dolo, vel culpa lata, quæ dolus præsumptus est 50.), datum resarciri debet: imo considerata æquitate narurali extra contractus damnum qualicunque culpa datum, compensandum esset: in Contractibus autem & circa rem ex contractu detentam, præstanda est illa culpa, quam fert natura contractus. Nam quandoque sibi quis imputare debet, qui cum negligente contraxit, vel læsus utilitatem ex contrac-

50.) *Magna negligentia culpa est: magna culpa dolus est.* L. 226. ff. de V. S.

tu ſentit, qua compenſatur illatum damnum: ſed extra Contractus, nihil eſt, quod læſo imputetur; nec ponitur etiam ſpecialis utilitas ex alterius actu provenire. In Contractibus regulæ communes ſunt, quod culpam latam præſtare teneatur ille, qui illam commiſit: culpam levem præſtat eam committens in iis contractibus, qui cedunt in utilitatem utriusque contrahentis: culpam leviſſimam præſtat illam committens in contractibus, qui cedunt in utilitatem ſolius illam committentis: excipitur Precarium; qui enim iſtud accipit, tenetur ſolum præſtare culpam latam & levem 51.): Caſum fortuitum ſentire debet dominus, nec eum regulariter alius præſtare tenetur, niſi qui eum expreſſe vel tacite 52.) in ſe recepit, vel per culpam aut moram cauſam dedit. Poteſt conveni-

ri

51.) L. 8. §. 3. ff. de Precar.

52.) Spectato ſolo jure naturali Commodatarius caſum fortuitum in ſe tacite recipere videtur. (ſupra §. 243.).

ri ne culpa præſtetur: ſed *pactio, ne dolus præſtetur, rata non eſt* 53.).

TITULUS III.
DE DONATIONIBUS.
Confer. Lib. III. Decretal. Tit. 24.

§. 253.

INter actus, quibus aliorum utilitatem promovemus, aliqui ſunt *benefici* (Tit. II. §. 221.), ex quibus unus tantummodo utilitatem percipit, alter viciſſim nihil accipit: & quidem ſi illi, cujus utilitas promovetur, etiam nulla adhæreat obligatio perfecta, vocantur *mere benefici.* *Donationis*

53.) L. 17. pr. ff. Commodati. L. 23. de R. J. Aliud eſt, remittere reparationem damni dolo dati, in quo nihil repugnat juri naturali; aliud, conſentire in damnum dolo dandum: hac enim ratione daretur occaſio delicti, quæ pacto acquiri non poteſt. De culpa non præſtanda conveniri poteſt, quia iſta fit nec a ſciente, nec a volente: poteſt quis igitur infirmitatis humanæ conſcius, remittere jus ſummo rigore urgendi reparationem damni culpabiliter dati.

ficí. Talis eſt *Donatio*, ſeu liberalis datio, quæ nullo jure cogente ex ſola animi benignitate alteri fit 54.), accedente Donatarii acceptatione 55.). Quamdiu in ſolo tractatu aut verbis conſiſtit, vocari poteſt *Conventionalis*: quando accedit traditio rei donatæ, dicitur *Realis*. Propriiſſime dicta Donatio eſt, quæ fit per actum *inter vivos*.

Variæ ſpecies.

§. 254. Variæ ſunt ſpecies Donationis impropriæ, ad quam ſcilicet non mera & ſimplex liberalitas movet. Talis I. eſt Donatio *mortis cauſa*, quæ primum ſortietur effectum poſt

---

54.) An Donatio ſit Contractus, an Pactum legitimum, diſputant Doctores: argumenta utriusque partis refert WINMONT Colleg. ad Pandect. lib. 39. tit. 5. n. 3. ſeqq. Poteſt donatio fieri varie per pactum, ſtipulationem, & quovis alio modo conſenſum manifeſtante.

55.) Unde *ſi quis donaturus mihi pecuniam dederit alicui, ut ad me perferret, & antea mortuus erit, quam ad me perferat, non fieri pecuniam dominii mei, conſtat.* L. 2. §. 6. ff. de Donat. tum quia non ſimul datur utriusque conſenſus, tum quia exſpiravit mandatum per mortem.

post mortem 56.): unde, sicut alii actus mortis causa, semper revocari potest, & quamdiu est Conventionalis, dat solummodo spem debitum iri 57.); si sit realis, tribuit dominium revocabile usque ad mortem 58.), vel solum jus detentionis vivente donatore, juxta diversam hujus

---

56.) *Cum quis habere se vult, quam eum, cui donat: magisque eum cui donat, quam hæredem suum.* L. 1. ff. de mort. caus. donat. Non autem omnis mortis mentio facit donationem mortis causa: sed illa tantum, quæ non solam rei traditionem, sed ipsam perfectionem actus suspendit usque ad tempus mortis: unde etiam in extremis constitutus sæpe donat inter vivos; censemus enim, *eum qui absolute donaret, non tam mortis causa, quam morientem donare.* L. 42. in fin. ff. ibid. Cum Donatione mortis causa magnam affinitatem habet *mortis causa capio*; nam quidquid propter alicujus mortem obvenit, mortis causa capitur. L. 8. & 38. ff. eod.

57.) Si quid mortis causa donatum a donatore alienetur, donatio ipso facto revocatur: & viciſſim si donatarius præmoriatur, donatio mortis causa non subsistit.

58.) Vid. L. 29. ff. ibid.

hujus disposition em. Si autem donans mortis causa, promittat se non revocaturum, censetur actus aliam induere naturam, ita ut sit donatio inter vivos 59.). II. Donatio *Reciproca*, quæ est sub onere, ut tu mihi vicissim rem aliam dones 60.). III. *Remuneratoria*, facta ob bene merita, vel beneficia a Donatario in Donantem profecta 61.).

Quis possit donare?

§. 255. Donare potest, qui liberam rerum administrationem habet. Procuratores, Tutores & Curatores donare non possunt de rebus suæ cu-

12

59.) L. 27. ibid. ut vera donatio mortis causa valeat, requirit quinque testes simul præsentes, sicut alii actus mortis causa.

60.) Ad donationem reciprocam non requiritur rerum donatarum æqualitas, nec æstimatio; alias nullam haberet rationem dationis gratuitæ.

61.) In hac non habent locum, quæ sunt odiosa in Donationibus, quales sunt prohibitiones, ne fiat donatio ultra 500. solidos sine insinuatione, ne conjuges sibi mutuo donent &c. Cavendum tamen, ne Remuneratio fiat in fraudem Legum: si enim donum superet servitia, deberet revocari excessus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ræ commiſſis. Pater filio in poteſtate conſtituto regulariter non poteſt donationem puram & ſimplicem inter vivos facere, niſi ex cauſa: facta tamen confirmatur per mortem 62.). *Filiusfamilias donare non poteſt, neque ſi liberam peculii adminiſtrationem habeat: non enim ad hoc ei conceditur libera peculii adminiſtratio, ut perdat* 63.), niſi juſta ratione motus donet 64.). Mortis cauſa Donatio permittitur filiofamilias puberi cum conſenſu patris, etiamſi non permittatur teſtamenti factio 65.). De Donationibus inter Conjuges alibi dictum eſt (Sect. II. tit. 14. §. 369.).

§. 256.

62.) An autem, ſi dubia ſit voluntas patris, filius donata conferre teneatur, videntur leges eſſe ſibi oppoſitæ, ſcilicet L. 13. C. de Collat. & L. 18. C. famil. Herciſc. Vid. FACHINÆUS Controverſ. lib. 5. c. 80.

63.) L. 7. ff. de Donation.

64.) §. 1. ibid.

65.) L. 25. §. 1. ff. de mort. cauſ. donat. Hujus Legis mentio redibit in Titulo de Teſtamentis. An requiratur conſenſus patris, ut filiusfamilias donare mortis cauſa poſſit ratione peculii adventi-

An valeat Donatio omnium bonorum?

§. 256. Nulla lege prohibetur Donatio omnium bonorum præsentium & futurorum 66.): debet tamen Donatarius alimenta præstare donanti 67.), & satisfacere Creditoribus ob debi-

---

ventitii irregularis, pendet ex illa quæstione controversa, an patris consensus ad filii donationem mortis causa requiratur solum ob præjudicium patris, an vero ad solennitatem actus, & habilitandam personam filii? scopus hujus libelli non est, ut ejusmodi controversiæ gravium Doctorum, quæ mere ad Jus Civile pertinent, decidantur. Videri potest COVARRUV. de Testament. part. 3. Rubricæ. n. 8. seqq. MOZZIUS de Donation. m. fol. 639. seqq. LUDWELL de ultim. volunt. part. 2. c. 5. fol. 432. seqq.

66.) Multi tenent, talem donationem esse *invalidam*: cum autem apertam Legem pro se allegare non possint, ab aliis refelluntur. Vid. HARPRECHT ad Instit. lib. 2. tit. 7. §. 2. n. 116. seqq. Multo magis tenendum est, eam non esse *prohibitam* & illicitam. Vid. FACHIN. Controv. l. 6. c. 88.

67.) RENATUS CHOPPINUS de Privileg. Rustic. lib. 2. c. 3. scribit: ea lege donatis ædibus, ut donatori alimenta subministrentur, donatarium, licet ædibus postea chasmate consumptis, nihilominus pacto convento alligari.

debita antea contracta 68.). Si tamen Donatio inter vivos ascendat ultra 500. solidos 69.), requirit regu-

68.) Carpzov. Jurispr. forens. p. 2. C. 12. def. 28. censet, donatarium omnium bonorum præsentium & futurorum, non teneri ad debita donatoris solvenda, quia donatio facere non potest, quin donator hæredem habere possit, *saltem in juribus passivis.* Mirabilis est hæc hæreditas, quæ dempto lucro omni, obligat ad æs alienum de suo solvendum. Voluit forte Carpzovius, ut sæpius in usum deducatur formula testamenti ab Eudamida Corinthio pauperrimo usurpata, quæ apud Lucianum in Dialogo de Amicitia legitur: *Lego Aretæo quidem matrem meam alendam, atque in senecta fovendam: Charixeno vero filiam meam elocandam cum dote, quanta ab illo maxima dari poterit.* Si hoc testandi genere uti placet, donatio omnium bonorum nunquam tollet facultatem testandi, quæ tamen fere unica est ratio improbandi donationem omnium bonorum; semper enim poterit hæres institui *in juribus passivis*, hoc est, in debitis non invito donatario.

69.) Olim donationes valebant usque ad ducentos solidos absque insinuatione. L. 34. C. de Donation. factæ tamen in causas pias valebant usque ad 500. solidos.

gulariter insinuationem coram Judice: licet autem hæc de Jure communi non debeat fieri coram Judice rei sitæ 70.), fieri tamen debet coram aliquo Judice competente, cum requiratur cognitio causæ, ne homines aut fraude decepti, aut metu inducti, aut temere & sine circumspectione magnas summas profundant 71.). Confirmatio majoris donationis quoad excessum valet a tempore insinuationis, vivente donatore factæ. Plures donationes eodem tempore factæ, si excedant summam legalem, censentur una donatio. Res aliena donari potest, modo donator aliquid juris in ea ha-

---

lidos. §. 1. ibid. demum omnes donationes usque ad 500. solidos absque insinuatione declaratæ sunt validæ; & ad quasdam quidem causas nulla determinata fuit summa. L. 36. ibid. Per solidum hoc tempore passim intelligunt aureum Hungaricum. In Bavaria reducta est hæc summa ad mille florenos. Donatio mortis causa non habet limites, nisi sit inofficiosa.

70.) L. 30. ibid.

71.) Vid. BRUNNEMAN ad L. 27. C. de Donation.

habeat e. g. si possideat bona fide; hanc enim possessionem transferret cum jure percipiendi fructus, & conditione usucapiendi. Si autem prorsus nihil haberet in re donata, donatio erit nulla: nam nulla datur actio ad hoc, ut quis compellatur ad rem alienam emendam; sicuti hæres ex quasi contractu cum legatariis, tenetur legatario rei alienæ 72.).

Effectus Donationis.

§. 257. Effectus Donationis Conventionalis est, ut obliget ad rem Donatario tradendam, cui etiam tribuit actionem personalem, utrinque transitoriam ad hæredes, quæ vocatur Condictio ex Lege. Donatio Realis, per traditionem completa, dat actionem realem. Pro hoc effectu sæpe opus est interpretatione, quam Leges benignam postulant, ut Donationes potius valeant 73.).

72.) Vid. Widmont ad Pandect. part. 6. tit. de Donation. n. 82.
73.) L. 16. ff. de Donation.

Quando revocari possit?

§. 258. Donatio inter vivos, quæ juxta naturam suam semper firma manere deberet, revocari potest I. ob ingratitudinem Donatarii 74.) II. Ex querela inofficiosi, si sit cum præjudicio Legitimæ 75.). Naturalis ratio exigit, ut quis jure donandi non aliter utatur, quam prout officia exigunt: unde Leges merito revocationi subijciunt donationem contra Officium pietatis factam cum præjudicio Legitimæ hæredibus necessariis relinquendæ. III. Ob liberos Donatori postea natos. Generalis hæc doctrina de revocanda Donatione ob Adgnationem liberorum deduci solet ex famosa Lege *si unquam* 8. *C. de revoc. donat.* quæ loquitur de Donatione Patroni Liberto facta, & ob natos postea liberos revocata. Multi hanc Legem non universim extendendam, sed latam censent in specifico hoc casu ob singularem relationem inter Patronum & Libertum. Certe si filio eman-

74.) C. fin. de Donat. L. fin. C. de revoc. Donation.

75.) Tot. tit. C. de inoffic. Donat.

emancipato facta sit donatio, natis postea aliis liberis, non revocatur tota donatio, sed locum solummodo habet querela inofficiosi 76.). Etiam S. Augustinus diu post dictam Legem *si unquam*, a Constantino Imperatore Anno 355. latam, judicavit, Aurelium Episcopum *Jure fori* non obligatum fuisse ad reddenda bona donata, postquam Donatori filius natus fuerat 77.). Nihilominus consuetudine & praxi Tribunalium dictam Legem extendi ad alios casus, ubi post donationem nascitur filius, tradunt Doctores communiter 78.).

Donationes in Ecclesiam, vel ab Ecclesia factæ.

§. 259. Hæc de Donationibus universim dicta sufficiant: quæ etiam cum proportione intelliguntur de gratuita præstatione facti. *Donatio* Ecclesiæ facta, est duplicis generis: aliqua fit in Ecclesiam adhuc extruendam, quæ solet dici *Dotatio* (de hac dictum Sect. I. §. 20.): alia in

76.) L. 2. & 5. ibid.

77.) C. 43. XVII. q. 4. videri meretur Gothofredus in Comment. ad L. 3. Cod. Theodos. de revoc. Donat. lib. 8. tit. 13.

78.) Vid. Petrus Wadingus de Contractib. p. 1. disp. 3. dub. 13. §. 2. n. 4.

Ecclesiam jam extructam ex liberalitate alterius quam Patroni, vel etiam ex rebus Ecclesiæ. Circa has Donationes præter ea, quæ supra diximus Tit. II. de Oblationibus, notandum I. Prælatos vel Administratores Ecclesiarum circa Donationes ex rebus Ecclesiæ faciendas idem debere observare, quæ supra Tit. I. De Alienatione earum universim dicta sunt: imo etiam ad Donationem remuneratoriam, nisi sit modica, requiritur solennitas, ut scilicet debito modo examinetur, an subsit sufficiens causa 79.), etiamsi in aliam pauperem Ecclesiam donatio fieret 80.). II. Superiores Religiosi præ oculis habere debent Constitutionem Clementis VIII. *de Largitione munerum Regularibus inierdicta* 81.) cum Declaratione Urbani VIII. 82.), ex qui-

79.) Vid. Gonzalez ad c. 3. de Donation. Exemplum Donationis remuneratoriæ cum consensu summi Pontificis factæ, habemus in C. 5. ibid.

80.) C. 9. ibid.

81.) Bullar. tom. 3. Const. 28.

82.) Ibid. tom. 4. in Append. Const. 156. Vid. Suarez. de Relig. tom. 4. lib. 2. c. 26. Lezana Quæst. Regul. tom. 5.

quibus deprehendent, se non posse Donationes facere ad ostendendam suam liberalitatem; sed tamen moderatas ex causa motivum virtutis continente ad remuneranda obsequia, demerendos animos illorum, qui prodesse possunt aut obesse, & utilitatem Monasterii. III. Donatio ultra 500. solidos in Ecclesiam facta sine insinuatione subsistit. IV. Donatio Ecclesiæ facta non desiderat acceptationem 83.). V. Dominium ex sola donatione facta ipso jure in Ecclesiam transit ante traditionem 84.). VI. Juxta graves Autores Donatio in Ecclesiam facta, ob superventientiam liberorum revocari non potest integra, sed tantum usque ad legiti-

83.) Juxta TIRAQUELLUM de Privileg. piæ causæ. priv. 115. si quis aliquid poneret in templo ad ornatum ipsius, valeret donatio, etiam nemine recipiente, per textum in L. Paulus 23. ff. de Except.

84.) L. 23. §. 1. C. de SS. Eccl. ibi: *non solum personales actiones damus, sed etiam in rem.*

mam 85.). VII. Cum liberalis remiſſio debiti, ſit ſpecies donationis 86.): hinc Prælatus non poteſt remittere debitum Eccleſiæ, niſi forſan illiquidum, cujus exactio majoribus expenſis & moleſtiis Eccleſiam exponeret 87.).

§. 260.

85.) TIRAQUELLUS loc. cit. priv. 118. cum Gloſſa honeſtum eſſe cenſet, ut Eccleſia reſtituat in tali caſu donata: obſervandum autem haud dubie eſſe, quod honeſtum eſt.

86.) Qui debitum remittit, & ſimul munus offert, per unum, eundemque actum Donationis id facere cenſetur, exemplo illius Neapolitani, cui implacabilis creditor minabatur carcerem, niſi ſolutionem mox præſtaret. Debitor nec contumelioſis verbis, nec minis quidquam oppoſuit: ſed accedens ad ſuum fidiculare organum, ea ſuavitate & artificio in eo luſit, ut creditor jam mitior factus, non ſolum debita remiſerit, ſed liberale inſuper honorarium addiderit. Ita referunt ex Literis VINCENTII MARTINELLI, Trivultienſes ad Annum 1758. Septemb. art. 94.

87.) Vid. FRANC. DE CALDAS ad Leg. ſi curatorem verb. ſine *Curatore*. n. 120. C. de integr. reſtit.

§. 260. Præter Interpretes ad varios Juris Canonici & Civilis concordantes Titulos, plenius de Donationibus ſcribunt *Scriptores.*

Julius Clarus Sentent. lib. 4. §. Donatio.

Tiraquellus in L. ſi unquam. C. de Revoc. Donat.

Ant. Gomez Var. Reſolut. tom. 2. c 4.

Henricus Bocerus Tract. de Donationib.

Petrus Wadingus de Contractib. p. 1. diſp. 3. dub. 8. ſeqq.

Petrus Nicolaus Mozzius de Contractibus. a fol. 611.

Petrus Barbosa in L. quæ dotis. 34. ff. ſolut. matrim. &c.

Jos. Gibalinus de univerſa rer. human. negotiat. tom. 2. lib. 4. c. 2.

Carolus Molinæus de Inofficioſis Teſtamentis, Donationibus & Dotibus.

Marculfus Formularum lib. 2. cap. 1. & ſeqq. ponit varias formulas antiquas Donationúm, quas Notis illuſtrat Hieronymus Bignonius.

TITULUS IV.
DE CONTRACTIBUS BENEFICIS, ET PRIMUM DE COMMODATO, ET PRECARIO.

§. 261.

Inter Contractus beneficos

ACtus aliqui utilitatem quidem unius solummodo ex Contrahentibus promovent, & ideo *Beneficii* vocantur: simul tamen mutuæ & perfectæ obligationes, quæ pariunt actionem in foro, inde resultant, & ideo *Contractibus* annumerantur. Unde nominantur *Contractus Beneficii*, quales sunt Commodatum, Mutuum, Depositum, Mandatum, Fidejussio.

Est Commodatum.

§. 262. Commodatum est Contractus realis, quo res non fungibilis ad certum usum & tempus gratis conceditur, ea lege, ut finito usu eadem in specie restituatur. Charitas nempe suadet, ut rei meæ usum, quo facile carere possum, permittam alteri, qui eo indiget. Unde si res ad usum conceditur solius com-

commodantis gratia, proprie commodatum non est; nam usus non conceditur alteri, sed ipse commodans videtur uti ad finem suum obtinendum. Contractus hic conficitur consensu & rei traditione: neque enim promissio rei commodandæ confundenda est cum commodato. Unde juxta terminos Juris Civilis re initur: & obligatio ex eo enascens re contrahitur. Fit etiam *gratis*; nam si merces statueretur, transiret in locationem: potest tamen dari *Honorarium*.

§. 263. Commodari possunt Res omnes, quæ & quatenus usu non consumuntur, mobiles & immobiles, corporales & incorporales, quæ usum præstant, salva rei substantia, etiam homo ad obsequia 88.), etiam Res sacræ 89.); etiam res fungibi- *Quæ res,*

88.) Etiam Episcopus potest Clericum commodare ad obsequia spiritualia alterius Episcopi pro certo tempore.

89.) Commodatum non censetur comprehendi in alienatione prohibita, modo Res sacræ commodentur ad usum sacrum, non profanum, & nihil temporale per modum pretii interveniat.

les, quatenus aliquem usum habent, quo non consumuntur 90.).

Et a quo commodari possint?

§. 264. Commodare possunt illi qui liberam habent rerum administrationem: & commodato accipere, etiam illi, qui rem suam possunt meliorem facere, & pro casu commissæ culpæ habent restitutionem in integrum, uti pupilli, minores &c. Si Prælatus Ecclesiæ commodato ab alia Ecclesia acceperit res sacras, vel vasa ad Cultum Divinum; vel etiam a Laico tapetes aut alia ad ornatum: Ecclesia inde non obligatur, si res istæ forte culpa deteriorantur vel pereunt, nisi Commodato petita fuerint ex voluntate illorum, qui ad contractus Ecclesiæ autoritatem suam præstare debent.

Obligatio Commodantis:

§. 265. Commodans tenetur rem commodatam non revocare ante usum & tempus finitum, nisi ipse eadem

90.) Pecunia, Bellaria in convivio apponi solita, commodari possunt ad ostentationem, restituenda post hunc usum in specie, id est in individuo. Item Moneta nova & elegans, ut eam alteri ostendere possis.

dem indigeat ad usum antea improvisum: reparare damna ex dolo vel culpa sua lata Commodatario illata, e. g. commodando scienter vasa vitiosa 91.): resarcire expensas necessarias in rem commodatam factas; non autem sumptus necessarios ad usum-

§. 266. Commodatarius obligatur, rem commodatam exactissima diligentia custodire 92.): consequenter praestare culpam levissimam, si commodatum in solius commodatarii utilitatem vergat 93.). Quoad casus *Et Commodatarii*

91.) L. 18. §. 3. ff. Commod.

92.) L. 1. §. 4. ff. de Obl. & Act. C. un. de Commodat. Tenetur Commodatarius majori diligentia custodire rem commodatam, quam rem propriam: consequenter si utraque servari non potest, teneretur præ sua servare rem commodatam, nisi res sua sit multo pretiosior.

93.) Quando in §. 2. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. requiritur *exacta diligentia*, & in L. 5. §. 5. ff. commod. *diligens custodia*: intelligere debemus *exactissimam* diligentiam, *diligentissimam* custodiam, ne leges hæ contradicant aliis.

casus fortuitos æquitati naturali re-
de conveniens videtur (supra §. 243
ut Commodatarius rem resarci
quæ apud se periit eo casu fortui
quo non periisset apud commoda-
tem 94.), nam tacite videtur in
suscipere talem casum fortuitum 95.)

&

---

aliis. Legimus quidem L. 13. §. 1.
de pignorat. act. *venit in hac actione* (Pignoratitia) *& dolus, & culpa, &
in Commodato : venit & custodia.* melius
legitur : *at in commodato venit & custo-
dia.* prout emendat GERARDUS Noodt
Probabil. Jur. Civil. lib. 1. c. 4. & lib.
4. c. 3.

94.) Vid. WOLFII Jus naturæ part. 4.
§. 447. seqq. Ista tamen intelliguntur de
Commodato proprie dicto, quando res
commodatur solius Commodatarii gra-
tia. Unde etiam juxta Codic. Bav. p.
4. c. 2. §. 5. deberet ratione casus for-
tuiti Commodatarius compositionem
æquam cum commodante inire. Anti-
quæ Leges Bajuvariorum tit. 14. vo-
lunt, ut, si animal commodatum abs-
que culpa perierit, commodatarius *red-
dat corium.*

95.) Non videtur Commodatarius in se
suscipere talem casum, si res commo-
detur ad usum periculosum, e. g. equus
ad bellum : sed potius Commodans vi-
detur

& commodans præsumitur nolle carere re sua ex occasione beneficii usus alteri præstiti. Unde etiam si res a tertio deterioratur, vel destruitur, tenetur Commodatarius damnum resarcire. Aliter loquendum juxta Leges Romanas 96.), juxta quas Casus fortuitus imputari non debet Commodatario, nisi acciderit culpa sua, vel intervenerit pactum, seu in mora fuisset 97.): non autem tenetur Commodatarius probare, culpam abfuisse, nisi in iis, quæ ordinarie sine culpa utentis non contin-

detur consentire in damnum rei l. ult. ff. commodati. Unde non est singularis magnanimitas Hispani, nullam compensationem petentis pro equo pereunte, quem commodavit ad solenne cum tauris certamen, ut advertit LEYSERUS specim. 153.

96.) *Jus civile est, quod neque in totum a naturali vel gentium recedit, nec per omnia ei servit.* L. 6. ff. de J. & J.

97.) C. un. de Commodato. L. 18. ff. Commodati. Dictæ æquitati naturali consonant leges antiquæ Germaniæ; prout ostendit SCHILTERUS Exercit. 25. ubi tamen fatetur §. 19. contrariam sententiam Legibus Romanis conformem, ubique fere hodie usu receptam esse.

tingunt, uti furtum 98.). Obligatur Commodatarius re commodata non aliter, nec diutius, uti, quam ipsi fuerit a commodante concessum; alias furtum usûs committit 99.). finito igitur tempore, res est restituenda, etiamsi ea uti casu quodam impeditus fuerit Commodatarius; & licet a Commodante non petatur, quia dies interpellat pro homine: restitui autem res debet integra, quoad usus patitur 100), cum omnibus accessionibus & fructibus, eo loco, quo accepta est, & quidem propriis impensis Commodatarii.

§. 267.

98.) Si Commodatarius rei furto ablatæ pretium restituit, repetere illud potest re iterum recuperata.

99.) Non enim aliud ipsi competit, quam jus detentionis & usus definitus.

100.) Si res usu, ad quem conceditur, naturaliter fit deterior, commodans censetur consentire in hanc deteriorationem e. g. si quis commodaret Ecclesiæ Cereos in Altari arsuros. Nam si exigatur pretium ad proportionem imminuti ponderis, non erit Commodatum simplex, sed Contractibus compositis annumerandum, de quibus supra §. 221.

§. 267. Ex his obligationibus nascitur *Actio Commodati* 1.), *Directa* quidem Commodanti, *Contraria* autem Commodatario, ad se mutuo pro implendis istis obligationibus. Si Commodatarius nondum rem restituit, non permittitur quidem jus Compensationis pro alio debito, bene tamen jus retentionis pro resarciendis damnis vel expensis necessariis. Exceptionem dominii alieni contra Commodantem opponere non potest; exceptionem autem dominii proprii tunc solummodo, si in continenti habeat liquidas probationes: si vero istæ sint altioris indaginis, proponi debent in judicio separato 2.). *Actiones ex Commodato.*

§. 268.

1.) *Ait Prætor: quod quis commodasse dicetur, de eo judicium dabo.* L. 1. pr. ff. Commodati vel contra. Hoc non ita intelligendum est, ut actio Commodati censeatur *Prætoria:* est enim *Civilis* ex contractu Juris Gentium descendens. Igitur istud Edictum Prætoris ad approbationem, non ad originem referendum est.

2.) Arg. L. 25. C. de loc. & cond. ibi: *possessionem prius restituere debet, & tunc de*

Affine est Precarium: §. 268. Commodato affine est *Precarium*, quod precibus petenti utendum conceditur tamdiu, quamdiu is, qui concesserit, patitur. Non est verus Contractus 3.); sed potius est genus liberalitatis ex jure gentium descendens. Ad substantiam illius pertinet revocabilitas ad nutum concedentis, non attento usu vel tempore determinato 4.). Si certum tempus adijceretur Precario, intelligendum id est, ut rogans sciat, finito illo tempore finiri Precarium absque alia revocatione: posset tamen

---

de proprietate litigare. Unde Leyserus specim. 153. nec audiendum putat Commodatarium, etsi jus suum in continenti docere paratus sit: putat enim spolium committere commodatarium, dum restituere detrectat; spoliatum autem ante omnia restituendum esse.

3.) Licet ob affinitatem Contractibus annumeretur in l. 23. ff. de R.J.

4.) Nihilominus non plane intempestivam & alteri damnosam oportet esse revocationem, cum adjuvari beneficio, non decipi alterum oporteat. Unde intempestive repetens, non quidem vi precarii, sed tamen ex naturali æquitate posset repelli exceptione doli.

men concedens repetere ante elapsum illud tempus 5.): si tamen finito hoc tempore patiatur dominus alterum precario rem retinere, videtur Precarium de novo concedi.

§. 269 Non tam exacta, sicut in Commodato, Diligentia & Custodia requiritur: sed precario possidens præstat solummodo dolum & culpam latam: si tamen post repetitionem domini sit in mora, tenebitur ad resarciendum omne damnum post moram eveniens. Qui precario habet, non tam est verus rei possessor, quam possessionem alienam detinet, cum nunquam suo, sed alieno nomine possideat: hinc nullo tempore præscribit: potestque dominus rem suam propria autoritate, sed tamen absque vi adhibita, recuperare, modo constet, rem esse precario concessam 6.): vulgo tamen ajunt, eum qui rogavit, habere *Ejus obligatio:*

5.) *Nulla vis est hujus conventionis, ut rem alienam domino invito possidere liceat.* L. 12. ff. de Precario.

6.) L. 10. C. unde vi.

bere poſſeſſionem naturalem; qui rogatus eſt, habere civilem 7.). In dubio, precario rem habere præſumitur, qui poſſeſſionem adeptus eſt, ſi preces adhibuit, & impetravit, ut ſibi poſſidere aut uti liceat. Potest quis rem propriam precario accipere, ſcilicet uſum precarium rei, quam pignori dedit.

Et inde competens Interdictum.

§. 270. Precarium parit Interdictum reſtitutorium, quo ait Prætor: *quod precario ab illo habes, aut dolo malo feciſti, ut deſineres habere, qua de re agitur, id illi reſtituas.* Cum Precarium non finiatur morte concedentis, hoc Interdicto uti poſſunt ejus hæredes, imo etiam ſucceſſores ſingulares, ut proin Emptor rei precario conceſſæ vi ejusdem repetere poſſit eandem rem ab eo, qui precario habet, aut habere dolo malo deſiit, ejusque hærede. Finitur autem

---

7.) L. 15. §. 4. ff. de Precario. Nonnunquam precario conceditur uſus absque ulla poſſeſſione. *Is, qui rogavit, ut precario in fundo moretur, non poſſidet: ſed poſſeſſio apud eum, qui conceſſit, remanet.* L. 6. §. 2. ibid.

tem morte rogantis, qui ad hæredes ſuos nullum transmittit jus ultra poſſidendi rem defuncto conceſſam precario, ſed mox tenentur ad eam reſtituendam cum omni cauſa, ita quidem, ut commiſſa mora, poſt Interdictum teneantur ad omne damnum reſarciendum: ex dolo autem defuncti non tenentur, niſi quatenus ad eos pervenit 8).

§. 271. Precarium differt a Contractu *Precariæ* ſeu *Precariarum*, olim circa Bona Eccleſiaſtica uſitatiſſimo 9.), quo rei Eccleſiaſticæ immobilis uſus ad preces alicui concedebatur, eo pacto, ut conceſſio ſingulis quin- *Differt hoc a Contractu Precariæ.*

8.) Dicta hæc de Precario, deſumpta ſunt ex Titulo Pandectarum de Precario, ad quem videri poteſt BRUNNEMAN, WIDMONT, & alii Interpretes.

9.) De quo in libro tertio Decretalium habetur Titulus ſingularis *de Precariis*. Proprie *Precaria* & *Preſtaria* appellabatur charta, ſeu Inſtrumentum, quod occaſione hujus contractus conficiebatur. talem chartam exhibet MARCULFUS formul. lib. 2. c. 5. item Autor incertus formularum veterum c. 27. & 28. item form. vet. Leg. Rom. cap. 7. & BIGNONIUS in Notis fol. 550. ſeqq.

quenniis renovaretur, & finito concessionis tempore res concessa cum omnibus incrementis ad Ecclesiam reverteretur. Per quinquennalem revocationem ostendebatur, rem ejusmodi semper mansisse in dominio Ecclesiæ, & reditus tantum detentori attributos fuisse. Olim Clerici stipendium ex bonis Ecclesiæ acceperunt *sub Precariæ nomine* 10.). Modum pro Ecclesia Constantinopolitana præscripsit Leo Imperator 11.), quem ad alias Ecclesias extendit Justinianus 12.). In Occidente tamen liberius Episcopi concedebant Precarias, seu *Præstarias*, ita dictas, quod ab Ecclesia *præstarentur* petentibus, non tantum pauperibus, sed etiam aliis Laicis 13.): unde Episcopi

10.) C. 72. XII. q. 2. ex Concil. Tolet. VI. c. 5.

11.) L. 14. §. 5. C. de SS. Eccles.

12.) Novell. 7. c. 4.

13.) In Actis Sanctorum die 27. Febr. in vita B. Joannis Abbatis Gorzienſis cap. 12. n. 110. narratur de Comite quodam Palatii, *qui simul bona Monasterii sub Precaria vel Præstaria, quam dicunt, obtinebat.*

pi jubentur Precarias irrationabiliter factas, ad jus Ecclesiæ revocare 14.). His autem temporibus irrationabiliter, & nulliter fierent, si ab Episcopo, vel Rectore Ecclesiæ concederentur absque solennitatibus ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requisitis: quæ in prima concessione, non autem in renovatione quiquennali adhiberi deberent 15.). Differt igitur hic contractus a Precario, quod Precaria ad certum tempus constituatur, non ad domini nutum, & ut plurimum census in Precaria intervenerit, non autem in Precario, quod gratuitum est. Plura non opus est dicere de hoc contractu, qui hodie est rarissimus 16.).

14.) C. 2. de Precariis.

15.) Vid. Eman. Gonzalez ad *C.* 1. eod. tit. n. 7.

16.) Præter Commentatores Juris Canonici ad Tit. de Precariis, videri plura possunt apud Thomassinum Discipl. Eccl. p. 2. lib. 3. c. 22. Du Cange Glossar. V. Precaria.

TITULUS V.
DE MUTUO.

§. 272.

Mutui BENEVOLENTIÆ, qua per Commodatum & Pecarium concedimus alteri usum rei nostræ, salva ejusdem substantia, par est illa, qua rem nostram ad abusum seu consumptionem damus per *Mutuum*, quo nomine intelligimus *Contractum realem, quo res fungibilis ea lege datur, ut eadem reddatur in genere.* Conficitur consensu & traditione rei *fungibilis*, quæ scilicet fungitur vice alterius rei ejusdem generis, ita ut spectato usu, ad quem destinatur, æquipolleat eidem speciei; æstimaturque numero, pondere, ac mensura, ut Nummi, æs, vinum, triticum. Horum dominium per Mutuum transfertur, ut ex meo fiat tuum 17.), cum

17.) L. 2. §. 2. ff. de reb. cred. Princ. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. Fingit Claudius Salmasius, quod per mutuum non fiat alienatio. Refutat hunc errorem WISENBACH in singulari Diatriba de Mutuo & in vindiciis illius.

cum facultate de ipsa re disponendi pro arbitrio. Quia igitur res mutuo data per usum consumitur, reddi non potest nisi *in genere* 18.): reddi autem debet tantundem, seu ejusdem quantitatis & qualitatis. Et ideo est quidem Contractus *beneficus*, quia Creditor seu Mutuans permittit liberam consumptionem rei suæ; sed tamen non sine perfecta obligatione, cum Debitor seu Mutuatarius teneatur restituere idem in genere: & ad id conveniri potest Condictione certi ex Mutuo, quæ est actio civilis, utrinque ad hæredes transiens, perpetua & stricti juris 19.).

§. 273. *Substantialia* hujus Contractus sunt I. Res fungibilis. II. Ejus traditio translativa dominii. III. Obligatio restituendi in genere. *Naturalia* sunt I. ut reddatur res ejusdem generis in eadem quantitate. II. in eadem bonitate. III. Ut pe- *Natura*

18.) Per accidens contingere potest, ut eadem res reddatur in specie, si scilicet accipiens eadem non fuerit usus.

19.) Vid. tot. tit. ff. De reb. cred. si cert. pet.

riculum rei mutuatæ sit penes accipientem. IV. Ut Contractus sit gratuitus: nam tota æqualitas in Contractibus requisita, habetur per restitutionem rei mutuo datæ. Si quid ex his Naturalibus deficiat, contractus redditur vitiosus & injustus. Si autem lucrum ultra sortem ratione Mutui exigitur, committitur usura: quamvis sperari aliquid possit, non ut debitum, sed liberaliter & ex gratitudine sponte dandum.

Excludit lucrum. §. 274. Potest quidem cum Mutuo concurrere Titulus aliquid exigendi ultra sortem, qualis est Damnum emergens, Lucrum cessans, Periculum sortis; sunt etiam aliqui Contractus, per quos pecunia collocatur ad lucrum, valde affines Mutuo: solicite tamen cavendum, ne ad palliandam usuram ubique fingatur ejusmodi Titulus, vel Contractus 20.).

§. 275.

20.) Hæc fuse exposita sunt in Dissertationibus meis, quæ inscriptæ sunt Rigor Moderatus &c.

§. 275. Præter ea, quæ de Contractibus in genere circa pupillos, minores, aliosque diximus, qui non habent liberam rerum suarum administrationem; singulare est in Legibus Romanis SC.tum Macedonianum, quod prohibet mutuas pecunias dare eis, qui in potestate patris sunt: & ei qui crediderit, denegat actionem efficacem tam adversus ipsum filium filiamve, nepotem neptemve, quam adversus patrem avumve, etiam soluta patria potestate. *Quæ ideo Senatus prospexit, quia sæpe onerati ære alieno creditarum pecuniarum, quas in luxuriam consumebant, vitæ parentum insidiabantur* 21.). Unde quia Privilegium hoc introductum est ex causa publica, ad præcavendam corruptionem juventutis, & si non parricidia, certe plurima alia mala evitanda: ideo hodiedum viget, eidemque filius renuntiare non potest, etiam interposito juramento. Si tamen intui-

Singularia circa filiumfamilias.

21.) §. 7. Instit. quod cum eo qui in alien. potest. &c. Item tot. tit. ff. de SC.to Macedon. & C. ad SC.tum Macedon.

tu ſtudiorum, aut ad ſumptus neceſſarios, quos ipſe pater feciſſet vel cum licentia patris 22.) mutuata ſit pecunia, aut Mutuum ſit in rem patris verſum; aut pater vel filius patria poteſtate ſolutus, partem debiti ſolvat; cenſetur ratum habere debitum, & ceſſat SCtum. Quamvis filius renuntiare antea non poſſit huic Privilegio; ſi tamen in patria adhuc poteſtate conſtitutus actu ſolvat, non repetit, quia naturaliter eſt obligatus, quæ tamen obligatio elidi poteſt per exceptionem SC. etiamſi nummi extent in peculio 23.). Inſuper locum non habet hoc Privilegium, ſi filius habeat peculium caſtrenſe vel quaſi caſtrenſe, quod libere adminiſtrat; aut ſi quis gerat ſe pro filio ſui juris, & Creditor bona fide exiſtimet, eum eſſe emancipatum; aut ſi mutuum ſit

22.) Intellige de Patre, qui filium habet in poteſtate: ſi enim hic fuerit in poteſtate avi, licentia Patris non tollet Privilegium SC.ti. ſic conciliantur L. 14. ff. & L. 4. C. ad SC. Maced.

23.) L. 9. §. 2. ff. de SC. Maced.

sit non in pecunia, sed in frumento, vino &c. nisi forte in fraudem legis id fiat.

§. 276. Singularia quædam sunt statuta circa Mutuum Ecclesiæ vel Civitati datum 24.). Religiosus accipiens mutuum sine consensu Abbatis & Capituli, non obligat Monasterium, nisi probetur fuisse conversum in utilitatem Conventus 25.): idem statuitur de Civitate 26.). Quod de Religioso dictum, intelligitur etiam de Abbate, atque Episcopo absque consensu Capituli 27.), ac de *Religiosos;*

24.) Doctrinam de pecunia Ecclesiæ fœnori exponenda relinquo Protestantibus, apud quos Administratores Ecclesiarum, ad modum Tutorum pecuniam Ecclesiasticam otiosam relinquere non debent. Multa de hoc argumento disputat Böhmerus Exercitat. 44. ad Pandect. item Jur. Eccl. Protest. lib. 3. tit. 16. Ecclesiæ Catholicæ prohibentur pecunias exponere ad usuras.

25.) C. 4. de Fidejussion. Nov. 120. c. 6. §. 3.

26.) L. 27. ff. de reb. cred. si cert. pet.

27.) Hoc intelligitur de Prælatis, quibus pro negotiis Ecclesiæ adjunctum est

de Beneficiato, aut Rectore Ecclesiæ absque consensu Superioris mutuum sumente, qui solum teneatur ex fructibus, quos percipiendi & insumendi liberam habent potestatem: teneretur tamen Ecclesiæ solvere, si Nummi mutuo sint accepti pro necessaria sustentatione.

Ecclesias & Civitates.

§. 277. Si tamen Mutuum sit acceptum cum consensu Capituli vel eorum, quorum autoritas in contractibus intercedere debet, Mutuator non debet esse solicitus, an pecunia vertatur in utilitatem Ecclesiæ, nec versionem hanc debet probare 28.), nisi hæc petat restitutionem in integrum, quæ Ecclesiæ competit ad instar Minorum, qui pro impetranda Restitutione contra Mutuum, læsionem aliam quam quæ ex ipsa obligatione Mutui exsurgit, probare

---

est Capitulum: qui autem non dependent a Capitulo, contractus celebrant juxta Statuta sui Ordinis, ut censentur Ecclesia vel Domus obligata.

28.) Pro tali casu restringitur Auth. hoc jus porrectum. C. de SS. Eccles. quæ refertur in C. 2, X. q. 2.

bare non debent, sed Creditori potius incumbit onus probandi, illos non fuisse in damno 29.). Quod autem dictum est de versione in utilitatem Ecclesiæ a Creditore probanda extra casum Restitutionis in integrum, multi non volunt id extendi ad alios contractus, sed restringunt ad solum Mutuum pecuniarium, & quidem tale, quod datur sub fœnore 30.). Quando autem Creditor debet probare versionem, non requiritur plena & evidens probatio, sed sufficit prudens præsumptio, & conjectura. Si pecunia mutuo data Prælato, absque ejusdem culpa casu fortuito pereat, tenebitur tamen Ecclesia: Leges enim volunt ei cavere, ne negligentia aut dolo Prælati lædatur; non vero omnes casus fortuitos mutuanti imputare. Quæ autem dicuntur de Ecclesia, accommodari quoque solent Civitati.

§. 278.

29.) L. 1. & 2. C. si adverſ. Credit.
30.) Videatur Petrus Wadingus de Contract. Disp. 6. dub. 4. §. 2. n. 4.

Condictio ad repetendum Chirographum:

§. 278. Hæc de Mutuo, in qu realiter pecunia numerata eſt, quo plerumque *Naturale* vocant, dic ſufficiant. Aliud eſt Mutuum Civi quod parit Civilem obligationem Hanc contrahunt illi, qui ex cup ditate habendi Mutuum, tradu Chirographum accepti Mutui teſtem ex quo præſumit Judex, eos a cepiſſe, quod ſcripto confeſſi ſun ſibi numeratum eſſe, & propter condemnat illos ad ſolutionem, ac revera eſſent obligati. Remedium præbent Leges, quæ intra biennium concedunt Condictionem ad repetendum Chirographum 31.), aut altero agente Exceptionem non numeratæ pecuniæ, ita ut in utroque caſu detentor Chirographi probare debeat numerationem 32.). Elapſo biennio Præſumptio de pecunia numerata adeo roboratur, ut in contrarium non admittatur probatio, ſaltem ordinaria, quamvis reſpui non poſſit fortiſſima quædam & extra.

31.) L. 7. C. de non numer. pecun.
32.) L. 14. C. eod. §. un. Inſt. de Liter. obligat.

traordinaria probatio, qualis est Confessio propria Adversarii, aut alia æquivalens. Nam obligatio ex Chirographo, quæ in defectu veri & naturalis Mutui oriri dicitur, adeo fortis esse non videtur, ut stringat in foro interno, aut manifestæ veritati obsistat in foro externo. Lapsus biennii tollit quidem privilegium, quo onus probandi rejicitur in possessorem Chirographi, non autem tollit veritatem, ejusque per legitimas probationes ostensionem.

Vel Exceptio non numeratæ pecuniæ.

§. 279. Si is, qui Chirographum dedit, mortuus sit ante biennium a Jure concessum ad excipiendum vel agendum; quod reliquum est biennii, valebit hæredi, ut ipse exceptionem proponat 33.): si autem Debitor in vita proposuerit querelam, hæres habebit jus excipiendi perpetuum. Ecclesiasticos, qui suo nomine ex spe numerandæ pecuniæ dederunt Chirographum, non gaudere singulari favore, sed jure communi, quod biennium exceptioni præ-

33.) L. 8. C. eod.

præfigit, censeri, communius docetur, cum eorum personis, aut bonis patrimonialibus nulla legatur data exemptio. Si autem Prælatus nomine Ecclesiæ spe futuræ numerationis tradidit Chirographum, quo Mutuum acceptum fatetur, videtur probabilius habere exceptionem non tantum ad biennium, sed saltem ad decennium: hoc enim tempus conceditur exceptioni Dotis non numeratæ 34.): a dote autem ad Ecclesiam bonum ducitur argumentum 35.).

TITULUS VI.
DE DEPOSITO.

Confer. Lib. 3. Decretal. Tit. 16.

§. 280.

Depositi Definitio & Divisio: DEPOSITUM est Contractus 36.) bonæ fidei, quo res alicui gratis custodienda traditur ea lege, ut eadem

34.) Auth. fin. C. de Dote cauta &c.

35.) EVERARDUS in Loc. argum. legal. Loc. 60. a dote ad piam causam.

36.) Agitur hoc loco de Depósito *Conventionali*: nam Depositum *Judiciale* vel *sequestrarium* non est hujus loci, quando

dem in ſpecie ad deponentis arbitrium reſtituatur 37.). Aliud eſt *Voluntarium*, quod absque periculo urgente fit: aliud *Neceſſarium* vel *Miſerabile*, ad quod cogit inſtans periculum rei perdendæ, ſcilicet cauſa tumultus, incendii, ruinæ, aut naufragii 38.). *Regulare* eſt, quod ſervat naturam Depoſiti, nec alium habet admixtum Contractum. *Irregulare* eſt, quod de alio Contractu aliquid participat e. g. de Mutuo, vel de Locatione.

§. 281. Subſtantialia hujus Contractus ſunt I. Utriusque conſenſus ſatis manifeſtatus, & intentio, qua contrahentes volunt rem pro depoſito habere 39.). II. Traditio rei *Subſtantialia:*

do ſcilicet res litigioſa uſque ad cauſæ deciſionem, vel ſiſtendarum uſurarum gratia, traditur Judici vel ſequeſtri. Singularem Diſſertationem *de Depoſito Juris* videre licet apud LAUTERBACH Vol. II. Diſput. 63.

37.) Leges eodem ſenſu ſumunt commendare & deponere. L. 24. ff. depoſiti. l. 186. de Verb. ſignif.

38.) L. 1. §. 1. ff. Depoſiti.

39.) Non ſufficit, ſi quis ponat rem in do-

mobilis vel immobilis 40.); propriæ vel etiam alienæ, modo non deponatur apud rei dominum: hic enim actione Depositi non tenetur, modo constet, vel in continenti probari possit dominium. III. Ut tradatur & accipiatur res custodiæ causa 41.). IV. Obligatio restituendi, ex summa æquitate, quam exigit bona fides. Hanc tamen æquitatem æstimamus non ad merum jus gentium,

---

mo vel cubiculo alterius *scientis & patientis*, nisi iste ratione officii sit obligatus, ut caupo, stabularius, nauta; vel saltem taceat, quando deponens dicit, se rem ipsius custodiæ committere.

40.) Non extat exemplum rei immobilis depositæ in Legibus Romanis, quia exempla plerumque sumuntur ex eis, quæ regulariter contingunt. Habemus tamen statutum in Cod. Civ. *Bavar. p.* 4. c. 2. §. 7. n. 2.

41.) Unde res deposita nunquam potest præscribi, etiam tempore longissimo, quia Depositarius non potest velle possidere rem ut suam: ipsius hæres habet implicite animum rem tenendi, quem habuit defunctus: solo autem animo nemo potest sibi mutare causam possessionis, nisi interveniat actus aliquis, quo intervertatur possessio domini.

tium, ſed cum præceptis civilibus & prætoriis. Veluti reus capitalis judicii depoſuit apud te centum: ejus bona publicata ſunt. Si tantum naturale & gentium jus intuemur; ei qui dedit, reſtituenda ſunt; ſi civile jus & legum ordinem; magis in publicum deferenda ſunt. Similiter latro ſpolia, quæ mihi abſtulit, poſuit apud Sejum inſcium de malitia deponentis: ſi per ſe dantem accipientemque intuemur, hæc eſt bona fides, ut commiſſam rem recipiat is, qui dedit: ſi totius rei æquitatem, quæ ex omnibus perſonis, quæ negotio iſto continguntur, impletur, mihi reddenda ſunt. Unde infertur, *hanc eſſe juſtitiam, quæ ſuum cuique ita tribuit, ut non diſtrahatur ab ullius perſonæ juſtiore repetitione* 42.).

§. 282. Naturalia Depoſiti ſunt I. Ut Contractus ſit gratuitus. Si tamen adjicitur pactum de mercede, propterea non ceſſat eſſe depoſitum, modo fuerit animus deponendi: miſcetur tamen aliquid de Locatione, *Et Naturalia*

42. Hoc modo eleganter diſcurrit & concludit JC.tus L. 31. ff. Depoſiti.

ne, & ideo præstari debebit culpa, quam alias præstat Locator operæ, Honorarium autem nullo modo repugnat Deposito. II. Quæ accedunt rei depositæ, non censentur deposita, nisi de intentione contrahentium constet 43.), quæ communiter censetur esse, ut si cista clausa deponatur, etiam res in illa repertæ censeantur depositæ 44.). Cum enim ex una parte depositarius nullum exinde habeat commodum; ex altera parte multis privilegiis gaudeat deponens; & judicium quoque depositi, si quis de dolo condemnetur, reddat infamem: hinc obligatio est restringenda, nec ultra manifestatam intentionem extendenda 45.). III. Ut Depositarius non utatur re deposita sine consensu

43.) Si homo vestitus deponatur, vestis non est deposita: nec si equus cum capistro; nam solus equus depositus est. L. 1. §. 5. ibid.

44.) L. 1. §. 41. ibid.

45.) Ex his facile patet ratio discriminis, cur in emptione censeantur venire etiam accessoria, secus in Deposito.

ſenſu deponentis, alias committit furtum uſus 46.).

§. 283. IV. Ut periculum ſpectet ad deponentem, ſi pereat res depoſita caſu fortuito, vel culpa levi Depoſitarii, præſertim ſi iſte in rebus ſuis cuſtodiendis ſit negligens, quia Deponens ſuæ facilitati debet imputare, qui negligenti amico rem cuſtodiendam tradit 47.); quilibet enim tenetur rem cuſtodire *ad ſuum modum* 48.). Cum igitur ex depoſito nulla utilitas redundet in Depoſitarium, tenebitur iſte ſolum ex dolo & culpa lata juxta vulgatas regulas, niſi ad majorem diligentiam ſe ſponte obſtrinxerit 49.). Nulla autem committitur culpa, ſi Depoſitarius præferat res ſuas rebus depoſitis, quando utrasque ſervare non poteſt. V. *Hujus Contractus.*

46.) §. 6. Inſt. de obligat. quæ ex delict. naſc. l. 29. ff. Depoſiti.

47.) §. 3. Inſt. quib. mod. re contrah. oblig.

48.) L. 32. ff. depoſit.

49.) In Bavaria tenetur Depoſitarius ſemper ex culpa levi: & ex leviſſima, ſi ſe obtulit. Cod. Civ. Bav. p. 4. c. 2. §. 7. n. 7.

Ut re depoſita, ſtatim Depoſitarius poſſit conveniri ad illius rei reſtitutionem 50.) cum omni cauſa, fructibus &c. §1.). Si conventum fuerit de certo tempore, factum id eſſe cenſetur in favorem Deponentis, qui favori ſuo renuntiare poteſt. Reſtituenda autem res eſt illi, qui depoſuit. Si plures ſint Deponentes, poteſt unicuique reſtitui Depoſitum pro rata: ſi ad plures pro indiviſo pertineat res individua, poteſt uni reſtitui ſub præſtita ſatisdatione, quando omnium præſentia difficulter haberi poteſt §2.). VI. Ut reſtitua-

50.) Si Depoſito aliquid de Mutuo ex pacto mixtum fuerit, mora aliqua concedenda eſt, uti de Mutuo dici ſolet.

51.) L. 1. §. 24. ff. Depoſiti. Actione Depoſiti petitur res cum acceſſoriis, licet hæc proprie non ſint depoſita.

52.) L. 14. ibid. Titius & Cajus fratres peregre diſceſſuri deponunt pretioſas gemmas apud mercatorem, ea lege, ut neutri redderentur, niſi præſente & volente altero. Redit Titius, oſtenſisque literis de morte Caij fratris, repetit depoſitum & recipit. Paulo poſt redit & Cajus: ac intellecto dolo fratris

ſtituatur res eadem in ſpecie. Nam ſi detur expreſſa vel tacita licentia 53.) utendi re fungibili depoſita, fit quidem Depoſitum *Irregulare*, utpote participans aliquid de Mutuo: nihilominus cum fuerit in principio animus deponendi, manet revera Depoſitum, eique competunt omnia Depoſiti privilegia, adeo ut ſecundum pactum adjectum, uſuræ quoque actione depoſiti peti poſſint, quamvis ejusmodi contractus pecuniæ depoſitæ modum excedat, &

tris, Mercatorem arguit de lege Depoſito adjecta non ſervata, ſibique Damnum reſarciri petit. Mercator de utriuſque fratris fide bona dubitans, eludit petitionem Caij, dicendo, ſe juxta initam conditionem non redditurum gemmas, niſi utroque fratre præſente; quæreret igitur Cajus fratrem ſuum, ſimul cum ipſo recepturus depoſitum. Sic fraus potuit eludi: revera Mercator fictis literis non facile debuiſſet fidem habere, nec depoſitum uni reddere absque autoritate Magiſtratus.

53.) Tacita licentia cenſetur dari, quando deponitur pecunia numerata, neque clauſa, neque obſignata: niſi ſint Nummi ſingularis notæ, quos Deponens aſſervatos velit (*Schaz-Geld*).

notissimos Depositi terminos egrediatur 54.). VII. Ut Depositarius servetur indemnis, illique resarciatur damnum dolo deponentis, vel quacunque culpa etiam levissima datum, ac refundantur impensæ in con-

---

54.) L. 24. 25. 26. §. 1. ff. Depositi. In hoc casu, quo conceditur expressa vel tacita licentia utendi pecuniis depositis, periculum non transfertur in Depositarium, donec uti cœperit, juxta L. 10. ff. de reb. credit. sed juxta Cod. Civ. Bav. p. 4. c. 2. §. 8. mox a tempore depositionis. Non tamen facile debet præsumi mutuum, ne Depositarius teneatur ad casum fortuitum. Si miles ad bellum profecturus pecuniam numeratam apud fratrem suum hac lege deposuerit, ut si in prælio decesserit, illa pro salute animæ suæ in pauperes distribuatur: si autem incolumis rediret, sibi restitueretur; non intelligitur voluisse dominium transferre: neque enim verisimile est, fratrem, qui pecuniæ custodiam suscepit, & fratri beneficium præstitit, de casu fortuito se voluisse obligare, quam obligationem subijsset, si dominium pecuniæ acquisivisset. Ita Card. Mantica de tacit. & ambig. Convent. lib. 10. tit. 3. n. 31.

conservationem rei depositæ necessario factæ 55.).

§. 284. Inter Privilegia Depositi numeratur, quod ob exuberantiam bonæ fidei non detur compensatio in re deposita 56.), etiamsi res omnes deponentis, & hinc ipsa etiam res deposita sit hypothecata 57.). Retentio tamen rei depositæ admitti potest pro expensis necessariis factis ratione depositi 58.). Item Deponens consumpto Depositio habet personale privilegium, quo saltem aliis Chirographariis præponitur 59.): si autem extet Depositum, habet jus separationis. Præterea licet Depositarius ordinarie casum fortuitum præstare non teneatur, nihilominus singularis est dispositio Legis pro casu, quo res deposita fuit vendita, dein iterum recuperata a depositario; *Privilegia Depositi:*

55.) L. 23. ff. Depositi.
56.) L. 11. C. Depositi. L. fin. C. de Compensat.
57.) Aliud est, si ipsa res deposita specialiter sit oppignorata.
58.) Vid. Vinnius Select. quæst. lib. 1. c. 51.
59.) L. 8. ff. Depositi.

demum absque ejusdem culpa periit; teneri enim eum depositi statuitur 60.).

Actiones. §. 285. Ex obligationibus Deponentis & Depositarii nascitur actio *Depositi*, & quidem Deponenti *Directa* adversus Depositarium, ut rem depositam repetenti restituat integram in specie, simulque pretium deteriorationis, vel rei æstimationem præstet, si deteriorata vel deperdita fuerit ipsius dolo, vel culpa lata. Depositario autem *Contraria* contra deponentem, ut servetur indemnis. Actio Directa id habet præ Contraria speciale, ut faciat depositarium infamem, qui rem depositam dolose negans, aut restituere recusans, de dolo convincitur 61.); ille etiam qui perfide inficiatur Depositum miserabile, condemnetur in duplum 62.).

60.) L. 1. §. 25. ibid. *si rem depositam vendidisti, eamque postea redemisti in causam depositi: etiam si sine dolo malo postea perierit: teneri te depositi: quia semel dolo fecisti, cum venderes.*

61.) §. 2. Inst. de pœn. temere litig. l. 10. C. depositi.

62.). Inſuper *in Depoſiti actione* directa *in litem juratur* 63.) ſecus in contraria 64.).

§. 286. Circa Depoſitum ab Eccleſia acceptum notatur, quod Eccleſia non teneatur, ſi Clericus vel Religioſus Depoſitum accepit ſine conſenſu Capituli, niſi facta ſit ditior 65.), ſicuti idem dicitur de Pupillo. *Obligatio Eccleſiæ circa Depoſitum.*

Dein

62.) L. 1. §. 1. ff. Depoſiti. Hodie pœna eſt arbitraria.

63.) L. 1. §. 26. ibid. caſus eſt, quando depoſita fuit ciſta clauſa, ignorante depoſitario, quid intus ſervetur, nunc autem res omnes non amplius in ea reperiantur: ſi quidem ciſta adhuc clauſa reſtituatur, probari debet culpa Depoſitarii: ſi vero ciſta deprehendatur reſerata; aut deprehendatur veſtigium reſerationis factæ; tunc deponens admittitur ad juramentum, quo dicit, quid in ciſta fuerit, quia præſumptio ſtaret contra Depoſitarium: extra talem præſumptionem non admittitur juramentum, ſed alia afferri debet probatio de rebus ibi contentis.

64.) L. 5. ibid.

65.) C. 1. de Depoſit.

Præter Commentatores in Concordantes Titulos Juris Canonici, Digeſtorum & Codicis, fuſius materiam Depoſiti exponunt

Dein experientia priorum annorum docuit, Monasteria & Ecclesias non velle, nec solere se obligare ad omnia depositarii onera in custodiendis rebus, quæ tempore belli inferuntur tanquam in Asylum; quando occasione talium rerum incurrerent majus rerum suarum periculum. Unde ejusmodi bona in Templo vel Monasterio reposita, rationem depositi proprie non habent.

TITULUS VII.

DE MANDATO.

Conf. Lib. 1. *Decretal. tit.* 38. *Sext. tit.* 19. *Clement. tit.* 10.

§. 287.

Mandati natura:

MAndatum 66.) est Contractus consensualis, quo alteri negotium gratis gerendum, committitur, & ab altero suscipitur. Originem

ponunt *Card.* MANTICA de tacit. & ambig. Convent. libro X. MAULIUS Thesaur. pract. Rubr. de Deposito. SAMUEL STRYKIUS de Cautelis Contract. Sect. 2. c. 3. LAUTERBACH Dissert. Academ. Vol. IV. fol. 1312. seqq.

66.) Dicitur a *manus datione*, nam manum dextram Fidei sacram faciebant Veteres.

nem ex officio atque amicitia trahit 67.): contraria autem est officio merces: interveniente enim pecunia res ad locationem, & conductionem potius respicit 68.). Suscipitur non tantum inter præsentes, sed etiam per nuntium, vel per epistolam; sive *rogo*, sive *volo*, sive *mando*, sive alio quocunque verbo scribatur 69.). Tacitum quoque & præsumptum Man-

---

res. Unde apud PLAUTUM Captiv. act. 2. sc. 3. v. 82. Hæc per dextram tuam te dextra retinens manu, obsecro &c.

67.) *Quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his operæ nostræ vicaria fides amicorum supponitur &c.* CICERO orat. pro S. Roscio Amerino §. 109.

68.) Hæc, & quæ sequuntur, pleraque referuntur verbis Legum Lib. 17. Pandectarum tit. 1. Lib. 4. Cod. tit. 35. Lib. 3. Instit. Tit. 27. Unde supersedemus singulas Leges allegare. Videantur Commentatores in hos Titulos, præsertim GERARDUS NOODT Probabil. Jur. Civ. lib. 4. c. 12. & ad Pandect. lib. 17. tit. 1. NICOLAUS HERTIUS Vol. 1. tom. 3. Dissert. de obligat. Mandantis & Mandatarii. WISSENBACH Exercitat. ad Pandect. part. 2. Disput. 32.

69.) Commendatio, Consilium, aut Jussus pro Mandato non est.

Mandatum datur, si quis præsen
ab altero negotia sua geri patiatur
70.): imo & Ratihabitio pro Man-
dato est 71.), modo nondum per-
fecto negotio accedat; alias manet
negotiorum gestio. Mandatum vel
Generale, vel *Speciale* est: aliud dici-
tur *in rem alienam*, quando quis no-
mine alterius, & in alienam utilita-
tem agit: aliud *in rem suam*, quan-
do quis nomine alterius, sed in suam
utilitatem agit, uti Cessionarius. Si
autem tibi mando tantum tua gra-
tia, non erit Mandatum: sed Con-
silium, nisi mea quoque interfit.

*Obliga-
tiones:* §. 288. Amicitiæ fides exigit I. ut
Mandatarius susceptum Mandatum
perficiat, aut quamprimum ei re-
nuntiet, ita tamen, ut integrum
jus Mandanti reservetur, vel per se,
vel per alium eandem rem com-
mode explicandi. II. Ut diligenter
custodiat fines Mandati: quoad ex-
cessum non tenebitur Mandans. III.
Ut nihil cum præjudicio Mandantis
con-

70.) Si absentis & ignorantis negotium
susscipitur, *negotiorum gestio* dicitur.
71.) L. 60. ff. de R. J.

conjunctum, possit sine speciali Mandato facere 72.). IV. Ut præstet etiam culpam levissimam. V. Ut infamiam subeat ob dolum & culpam latam; æque enim turpe, doloque proximum est, amici spem supina negligentia destituere, quam perfidia 73.). Vicissim Mandans tenetur ad restituendas impensas utiles & necessarias, ac Mandatarium indemnem

---

72.) Heineccius ad Pandect. p. 1. §. 430. ex hoc infert, distinctionem inter Procuratorem *cum libera*, & *sine libera*, esse otiosam & inanem. Sed melius retinenda videtur, nam Mandatum *cum libera* tantum in genere determinat, quid a Mandatario fieri debeat, ceteris arbitrio ejus relictis: *sine libera* præcise definit, quid fieri debeat, ita ut nihil arbitrio Mandatarii relinquatur.

73.) *Si quis rem mandatam non modo malitiosius gessisset sui quæstus aut commodi causa, verum etiam negligentius, eum Majores summum admisisse dedecus existimabant ... quid recipis Mandatum, si aut neglecturus, aut ad tuum commodum conversurus es? cur mihi te offers, ac meis commodis officio simulato officis, & obstas? recede de medio: per alium transigam &c.* Cicero loc. cit. §. 109. & §. 110.

nem præstandum 74.), etiamsi consilio non responderit eventus. Non tamen resarcit damna, quæ magis casui, quam Mandato, imputari oportet, veluti si Mandatarius spoliatus sit a latronibus, aut naufragio res amiserit.

Materia: §. 289. Mandari non possunt negotia turpia; nec ulla inde nascitur obligatio inter Mandantem & Mandatarium, sed uterque potius obligatur ad pœnam. An autem Mandans teneatur ad pœnam proportionatam delicto, in quo Mandatarius excessit fines Mandati, dubium movetur. Decisionem dat BONIFACIUS VIII. 75.) his verbis: *Is qui mandat aliquem verberari, licet expresse inhibeat, ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si Mandatarius fines Mandati*

74.) Notatu dignissima est doctrina tradita per L. 27. §. 4. ff. Mandati. his verbis: *Impendia, mandati exequendi gratia facta, si bona fide facta sunt, restitui omnino debent: nec ad rem pertinet, quod is, qui mandasset, potuisset, si ipse negotium gereret, minus impendere.*

75.) C. fin. de Homic. in 6.

dati excedens, mutilet vel occidat: cum mandando in culpa fuerit, & hoc evenire posse debuerit cogitare. Hæc decisio non omnibus satisfacit. Cum enim Sacri Canones circa irregularitatem ex homicidio incurrendam rigidiores sint 76.); non videtur hæc doctrina ad omnes alios casus vel pœnas extendenda. Quando igitur in potestate Mandatarii est, non excedere fines Mandati; Mandans non tenebitur de excessu: quando autem non erat in potestate Mandatarii, periculum majoris mali a re mandata separare; hoc casu tenebitur Mandans. Sic vulnera non possunt dari ad mensuram; tenduntque ad aliam delicti speciem, cum ex vulneribus homo facile moriatur. Hæ circumstantiæ non pro omnibus pugnant delictis 77.).

§. 290. Duplex nascitur Mandati actio, *Directa* Mandanti adversus Mandatarium ad negotium susceptum expediendum, rem acquisitam cum *Actiones:*

76.) C. 12. 16. & 24. de Homicid.
77.) Vid. Mozzius de Mandato fol. 571.

fructibus tradendam, reddendas rationes, præstandamque omnem culpam, etiam leviſſimam. Contraria competit Mandatario, qui Mandatum perfecit, contra Mandantem ad indemnitatem. Utraque datur hæredibus contra hæredes.

Extinctio. §. 291. Finitur Mandatum diſſenſu contrahentium: revocatione Mandantis, ſi res adhuc ſit integra: renuntiatione Mandatarii, modo tempeſtive, vel ex juſta cauſa fiat: morte Mandantis vel Mandatarii, niſi hic ignorans Mandantem deceſſiſſe, Mandatum exſecutus ſit, vel aliquid mandatum ſit, quod non niſi poſt mortem poſſit perfici. Plura de Materia Mandati recurrent dicenda, ubi agetur de Procuratoribus. Videri poteſt Card. MANTICA de tacit. & ambig. Convent. lib. 7. STRYCKIUS de Cautel. contract. Sect. 2. c. 11.

TITU-

TITULUS VIII.
DE FIDEJUSSIONE.
Confer. Lib. 3. Decretal. tit. 22.

§. 292.

MAgnam affinitatem cum Mandato habet *Fidejussio* 78.), per quam intelligitur *Contractus accedens firmandæ obligationi alienæ*, potestque fusius describi, quod sit Contractus beneficus, quo quis ei, cui tertius obligatus est ad aliquid præstandum, se hoc præstiturum promittit, nisi is præstiterit. Debitor enim principalis manet obligatus: si autem quis totam obligationem in se transferat, potius est *Expromissio*. Fidejussio fit per stipulationem, id est, juxta Leges Romanas per verba solennia, & *Fidejussionis describtio:*

78.) Unde JUSTINIANUS tam in Pandectis quam in suo Codice eundem Titulum inscribit *de Fidejussoribus & Mandatoribus*. Si rogo te, ut Titio mutues centum, *Mandatum* est: si te mutuantem Titio centum, fide mea interposita securum esse jubeo de solutione, promittendo, quod Titio non solvente, ego velim satisfacere, *Fidejussio* est.

inter præsentes 79.). Hodie stipulationum solennitate sublata, nudo pacto, vel sponsione simplici, quibuscunque verbis celebratur, etiam inter absentes per Procuratorem, nuntium vel epistolam 80.).

Divisio. §. 293. Dividitur I. in *Judicialem*, quæ appellatur *satisdatio*: si quis autem in Judicio cavet de Judicio sisti; vocatur *Vas* 81.), si de judicatum solvi, dicitur *Præs.* & in *Extrajudicialem*, quæ celebratur extra Judicium maxime in Contractibus. II. in *Principalem*,

---

79.) Formula erat: quantam pecuniam Titio credidero, *Fide tua esse jubes? jubeo.* L. 54. ff. Locat. L. 75. §. 6. L. 132. §. 1. ff. de Verb. oblig. L. 8. §. 8. L. 16. §. ult. L. 42. 47. 51. ff. de Fidejussor. & Mandator.

80.) In Bavaria inter plebejos *ad Fidejussionem* requiritur Instrumentum coram Magistratu ordinario confectum; vel saltem inseritur Protocollo tractatus, si debitum sit infra quinquaginta florenos. Cod. Civ. Bavar. p. 4. c. 10. §. 4.

81.) *Vadem*, veteres Germani vocabant *Wadium*, quo nomine significabant omnem fidejussorem: occurrit autem vox ista frequentissime in Legibus Alemannorum, Francorum, Bajuvariorum &c.

palem, qua quis pro debitore principali; & in *Succedaneam*, qua quis pro ipso Fidejussore se obligat. III. In *Idoneam*, quæ repelli merito non potest; quando scilicet Fidejussor non tantum fide, sed etiam patrimonio & facultatibus pollet; & *Inidoneam*, quæ juste recusari potest. Talis est, si datur Fidejussor gaudens præscriptione fori, nec illi renuntians 82.).

In quibus casibus dentur Fidejussores?

§. 394. Fidejussor in omnem obligationem assumi potest, sive re, sive verbis, sive literis, sive consensu contracta sit: sive obligatio civilis, sive naturalis sit 83.). Imo & obligationi, quæ ex delicto vel quasi delicto descendit, quatenus agitur civiliter, accedit Fidejussor: non tamen pro reo, ut vice ejus pœnam sustineat corporalem. Habet etiam locum Fidejussio pro

82.) L. 7. pr. ff. qui satis. cog. vid. Hering. de fidejuss. c. 8. per tot.

83.) Qua ratione pro pupillo intercedit Fidejussor: pro furioso autem vel prodigo contrahente fidejussor non obligatur, quia cum his nullum negotium gestum intelligitur.

debitis conditionatis, vel quorum summa adhuc incerta est 84.): Fidejussor tamen efficaciter convenire non potest, antequam debitum sit absolutum & liquidetur. Ordinarie nolunt Leges, ut exigantur Fidejussores causa servandæ dotis 85.). Natura Fidejussionis est, ut fiat in eandem vel leviorem, non autem in duriorem causam: si quis tamen in majorem quantitatem se obliget, valebit saltem quoad concurrentem quantitatem, ne utile per inutile vitietur: arctius autem potest Fidejussor obligari.

Quinam fidejubere possint?

§. 295. Fidejubere regulariter possunt omnes, qui obligari. Idonea non est mulier, quam tutam facit S. C. Vellejanum, quia sexus imbecillitas eas multis captionibus & fraudibus obnoxias, & eo ipso ineptas facit ad officia virilia & civilia, inter

84.) Sic peti solent Fidejussores pro iis, qui assumuntur ad officia reddendis rationibus subjecta.

85.) Tot. Tit. C. Ne Fidejussores dotium dentur. Hæ Leges in Bavaria non sunt receptæ.

ter quæ numeratur Fidejussio. Si observata semper fuissent ea, quæ antiquitus constituta fuerant de Tutela fœminea perpetua, opus non fuisset SCto Vellejano 86.). Postquam autem mulieres blanditiis & aliis artibus ab hac tutela se liberarunt, consultum illarum imbecillitati fuit beneficio hujus SC.ti, quod est favorabile & *obligationem efficacem esse non sinit* 87.), ita ut mulier, ejusque hæres totam obligationem tam civilem quam naturalem ex Fidejussione descendentem elidere possit, repetatque tanquam indebitum, quod ex Fidejussione solvit: si autem solvit citra interceſſionem, non juvatur SC.to. Habet hoc locum in omnibus Contractibus, in quibus fœmina pro alio se interponit: si autem simul cum alio id præstet, iste solus tenebitur in solidum, nec habet be-

86.) De tutela fœminea mores Græcorum, Romanorum & Germanorum refert SCHILTERUS prax. Jur. Rom. in foro Germ. Exercitat. 37. §. 222. seqq. De ipso SC.to Vellejano videndus idem Autor Exercit. 28. §. 1. seqq.

87.) L. 9. C. ad S. C. Vellejan.

neficium divisionis. Præsertim Leges consulunt mulieribus pro marito se obligantibus: hæ enim Fidejussiones adeo nullæ sunt, ut opus non sit exceptione, etiamsi repetantur, nisi probari possit, pecuniam in mulieris utilitatem versam esse,

Quando non habeat locum SC.tum Vellejanum?

§. 296. Exceptio S. C.ti locum non habet, in Reginis, Ducissis, & aliis, quibus commissum est publicum regimen: quæ enim ad istud aptæ censentur, erunt etiam aptæ ad fidejussiones. Item cessat hæc Exceptio, si Fidejussio pro extraneo post biennium sit iterata a fœmina majorenni: si fœmina mercedem pro fidejussione acceperit: si in rem suam vel cum juramento 88.) interceſſerit: si mercaturam exercens, in negotiis mercaturæ pro socio fidejubeat: si animo decipiendi Creditorem, res suas obligari passa est, uti alienas. Valebit etiam *Interceſſio* mulie-

88.) C. 9. & 28. de Jurejur. In Bavaria juramentum contractui adjectum pro foro externo non impedit exceptiones, quæ absente juramento competiissent. Cod. Judic. c. 13. §. 7.

mulieris apud Creditorem minorennem, vel in favorem Dotis, libertatis, & ob parem rationem etiam alterius causæ piæ: item si mulier debita forma renuntiet certiorata 89.). Si dicit se non esse certioratam, potest ab ea exigi juramentum, an non sciverit suum privilegium: si enim scivit, & tamen fidejussit, censetur dolo feciſſe. Cum hodie pleræque fæminæ optimam suorum privilegiorum notitiam habeant, raro locus est exceptioni S.C.ti Vellejani 90.).

§. 297. Fæminis quoad hoc privilegium comparant aliqui Clericos, quibus æque exceptionem contra obligationem fidejussoriam tribuunt *jussores*; *Clerici possunt esse Fide-*

89.) Exempla renuntiationis S. C. Vellejani habentur in L. ult. C. quando mul. tutel. offic. fungi potest. Item in Novell. 94.

90.) Christianus Thomasius Dissertationem de usu exiguo SC.ti Vellejani in foris Germaniæ, concludit his verbis: *vel nullus deberet esse usus SC.ti, ne deciperentur Creditores; vel nullus deberet esse usus renuntiationum SC.ti Vellejani, ne deciperentur fœminæ.*

91). Sed nullo jure evincitur, Clericorum Fidejussiones esse irritas 92.): imo nec universim prohibitas 93.). Nam Canon ille 94.), qui Clericum *fidejussionibus inservientem* abjici jubet, varie legitur, & communiter explicatur, improbari Clericorum fidejussiones etiam quoad bona patrimonialia, si frequenter id faciunt, & absque causa pietatis, necessitatis, aut non in rem suam, cum per

---

91.) Tale Privilegium quidam Protestantes trahunt etiam ad suos Clericos: sed refellit eos BÖHMERUS Jur. Eccl. Protest. lib. 3. tit. 22. §. 5.

92.) In C. 2 de Fidejuss. nequaquam arguitur Clericus, qui pro aliis fidejussionem præstitit: sed jubentur potius Debitores principales eidem satisfacere.

93.) HERING de Fidejussor. C. 7. n. 239. seqq. universim quidem putat, *Clericis* interdictam esse fidejussionem, varias tamen limitationes suæ doctrinæ adjungit.

94.) C. 1. de Fidejuss. cui consonat Can. 19. vel aliis 20. Apostol. in quem Canonem Commentaria BALSAMONIS, ZONARÆ & ARISTENI, ut etiam Annotatio BEVEREGII, non undequaque satisfaciunt. Conformis eidem est Novella Leonis Imp. 86.

per frequentes Fidejussiones nimium immiscerentur negotiis sæcularibus, & involverentur variis litibus 95.). Unde etiam JUSTINIANUS sancivit, Judicem pœnam incurrere debere, qui Clericum Fidejussorem approbare ausus fuerit 96.). Id teneri potest, Clericos non semper esse Fidejussores *idoneos*, cum sint difficilis conventionis, & gaudeant foro privilegiato, cui renuntiare non possunt 97.). Si nihilominus fidem suam pro aliorum debitis interponant, obligationi suæ satisfacere debent ex illis proventibus & bonis, quorum liberam administrationem habent: certum enim est, Ecclesiam non obligari ex Fidejussione Clerici privata autoritate se obstringentis, nisi forte in utilitatem ipsius Ecclesiæ manifeste constiterit redundasse 98.). Quando autem Fidejussio Clerici con-

95.) Vid. EMAN. GONZALEZ ad cit. Cap. 1.
96.) Novell. 123. c. 6.
97.) CAROLUS DE GRASSIS de Effectib. Cleric. effect. 44.
98.) C. 4. de Fidejuss.

contra Canones esse censetur, pœna arbitraria puniendus est 99.).

Non debent pro se constituere Fidejussores Laicos.

§. 298. Vicissim autem Clerici non deberent Fidejussores Laicos pro se constituere, sed Defensores seu Oeconomos Ecclesiæ 100.), quorum Officium hodie subeunt ipsi Rectores Ecclesiæ. Si tamen Laicus sit Fidejussor Clerici, non erit ille conveniendus in foro Clerici, sed coram Judice suo Laico: cum enim Fidejussores locum Rei obtineant, militat regula generalis, quod actor forum rei sequatur 1.); nam Privilegium Clericatus est quid personale, & non extenditur ad alios: nisi forte Clericus tanquam necessarius defen-

---

99.) Menochius de Arbitr. Judic. cas. 432. n. 1.

100.) L. 25. §. 1. & L. 33. §. 2. C. de Episc. & Cler.

1.) Ludov. Roman. Singular. 633. Boverius singular. 11. Gratianus Discept. forens. c. 226. n. 42. Rutgerus Rulandus de Commissar. p. 4. lib. 6. c. 4. n. 4. Hering de Fidejuss. c. 23. n. 15. Sabellus summa diverf. tractat. tom. 2. §. fidejussor. 13. n. 15.

defensor comparere, & declinare forum posset.

Episcopi quando possint esse Fidejussores?

§. 299. Quamvis hodiernis moribus Episcopi Germaniæ ac Præpositi multi liberiorem rerum sæcularium administrationem habeant, ac inter Principes, Statusque Imperii numerentur: nihilominus si ex fidejussione majoris momenti, periculum gravis damni Ecclesiæ immineret, necessarius esset consensus Capituli 2.): Fidejussione autem obligare possunt bona sua patrimonialia.

Religiosi non possunt esse Fidejussores.

§. 300. Ex dictis Clericorum Fidejussiones sæpe improbantur; inducunt tamen obligationem. Religiosorum autem Fidejussio, si absque licentia legitimi Superioris fiat, est prorsus nulla & irrita. Nam præter prohibitionem Juris, Religiosi fidejubere non possunt, tum quia ob votum paupertatis non habent, quod possint obligare; tum quia ex voto obedientiæ eorum voluntas a Superiore dependet. INNOCENTIUS III. 3.) requirit ad Religiosi Fidejussionem, licen-

---

2.) HERING C. 7. n. 265.
3.) C. 4. de Fidejuss.

licentiam Abbatis & majoris partis Capituli: *alioquin non teneatur Conventus pro his aliquatenus respondere, nisi forte in utilitatem domus ipsius manifeste constiterit redundasse. Et qui contra illud statutum venire præsumpserit, graviori disciplinæ subdatur.* In Religione, in qua Capitulum non congregatur, sufficit facultas ejus Superioris, qui juxta Statuta eam concedere potest. Religiosus de Superioris licentia in Academia studiorum causa moratus, potest quidem contractus inire, valide tamen fidejubere nequit: quia in iis duntaxat per contractus Monasterium obligare potest, quibus ad necessarias pro studiis expensas indiget, inter quæ Fidejussio non computatur. Unde tunc nec peculium causa studii sibi concessum fidejussione obligare potest, quia, Fidejussio extra studii causam, & absolute irrita est 4). Laici fidejussores se in solidum jurato obligantes cum Religioso sine licentia Prælati, in

4.) Sanchez in Decalog. lib. 6. c. 14. n. 38. seqq. Hyacinth. Donatus prax. regul. tom. 1. p. 2. tr. 12. q. 20.

in solidum omnino tenentur, etsi obligatio quoad Religiosum non valeat, ut varii docent: rati, ejusmodi Laicos, ne juramentum frustretur, censeri tanquam debitores principales 5.).

Neque Superiores eorum in causa majoris momenti.

§. 301. Etiam Abbates & Superiores Monasteriorum non possunt fidejubere absque consensu Capituli, vel eorum, quorum consensus ad alienationes est necessarius. Sicut enim absque eo consensu non possunt facultatem fidejubendi concedere suis Religiosis; ita etiam ipsi ad fidejussionem eodem consensu indigent. Ubi autem Superior tali consensu opus non habet ad licentiam dandam, ibi etiam non indiget ipse ad fidejussionem præstandam, utilitate Monasterii poscente. Intelliguntur hæc de Fidejussione in re gravi, secus in modica, de qua Superior etiam per alios actus disponit.

Effectus Fidejussionis.

§. 302. Effectus Fidejussionis est, quod Fidejussor, ejusque hæredes teneantur nomine debitoris principalis,

5.) Eman. Rodriquez Quæst. Regul. tom. 3. q. 26. art. 2.

palis, si iste non satisfaciat, & quidem in solidum ad summam illam, quæ tempore fidejussionis erat debita, non autem ad augmentum, vel usuras, nisi fidejusserit in omnem causam 6.). Inde Creditori nascitur *Actio* adversus fidejussorem & ejus hæredes *ex Stipulatu*, vel *Condictio ex moribus*, si nudum pactum intervenerit.

Fidejussorum Beneficia.

§. 303. Contra hæc & alia gravamina Fidejussores habent I. *Beneficium ordinis* seu excussionis, quo possint repellere agentem Creditorem, donec excusserit principalem, nisi huic beneficio *specialiter* renuntiaverint, aut fidejussionem malitiose negantes, in jure convincantur: præterea non competit hoc beneficium, si Debitor notorie non sit solvendo; si sit difficilis conventionis, ad concursum debitorum redactus, *absens* extra regionem, vel omnino jam mortuus; vel tantum naturaliter obligetur; nam excussio non habet locum, ubi non datur actio contra debito-

6.) Vid. Colerus de Process. Execut. p. I. c. 10. n. 309. &c.

bitorem principalem. II. *Beneficium divisionis*, competens pluribus fidejussoribus, ut singuli pro virili tantum ad solutionem adstringantur, quatenus fieri id potest sine gravi Creditoris detrimento. Non tamen competit fidejubenti simul cum muliere, quando hæc pro se habet S.C.tum Vellejanum. III. *Beneficium cedendarum actionum*, quas habet Creditor contra pignorum possessores, confidejussores, vel ipsum debitorem &c. Hoc beneficium esse de subtilitatibus & apicibus juris dicunt 7.), nec opus esse tali cessione, cum fidejussor semper habeat regressum

7.) Omnia dicta tria beneficia numerat inter subtilitates & apices Juris BERLICHIUS Concl. pract. part. 2. concl. 22. n. 7. & multi ibidem allegati. Nominatim de Beneficio Excussionis id tenet MENOCHIUS de Arbitr. Jud. lib. 1. quæst. 51. n. 10. seqq. de quo videri etiam potest TUSCHUS pract. Concl. tom. 3. lit. f. concl. 310. Quid autem intelligatur per apices juris, de quibus juxta ULPIANUM in l. 29. §. 4. non congruit disputare, explicat HILLIGERUS ad Donell. lib. 13. c. 13. lit. g.

ad debitorem principalem, possitque se indemnem præstare actione mandati, negotiorum gestorum &c. Nam Fidejussio Mandatum in se continet: qui enim petit, ut pro se fidejubeam, hoc ipso mandare videtur, ut pro se solvam. IV. *Beneficium liberationis.* Tres causas petendi liberationem a fidejussione enumerat GREGORIUS IX. 8.) his verbis: *Eum, pro quo te fidejussorem obligasti, si diu in debiti solutione cessavit* 9.), *aut dissipare bona sua cœpit* 10.), *seu super hoc condemnatus fuisti* 11.), *jure poteris convenire, ut te a fidejussione debeat liberare.*

Actio ex Lege contendat.

§. 304. Præterea potest Fidejussor si agere ex famosa Lege *si contendat* 12.), quando Fidejussor timens, ne, si cre-

8.) C. fin. de Fidejussor. ubi consulendus est Commentarius EMAN. GONZALEZ.

9.) De hoc casu vid. L. 38. §. 1. ff. Mandati. MENOCH. de arbitr. Judic. lib. 2. cas. 41.

10.) L. 10. *C.* Mandati.

11.) L. 45. §. 4. ff. Mandati. CHRISTINÆUS Vol. 1. decis. 138. vid. BRUNNEMAN in L. 10. C. Mandati. MANTICA de tacit. & ambig. Convent. lib. 16. tit. 22. n. 10. seqq.

12.) L. 28. ff. de Fidejussor. & Mandator.

creditor nimis diu procrastinet actionem, unus aut alter ex confidejussoribus labatur facultatibus, petit, ut Judex suus declaret, reliquos Confidejussores solvendo existere, & sibi beneficium divisionis competere. Si Fidejussor renuntiat dictis & aliis omnibus exceptionibus, tantum intelliguntur exceptiones suæ propriæ, non autem exceptiones, quas habet Debitor Principalis: qualis est exceptio quod metus causa, transactionis, pacti de non petendo, compensationis, præscriptionis &c. 13.). Hæ enim competunt Fidejussori, nisi Debitori ex jure personalissimo sint propriæ, qualis est exceptio competentiæ, cessionis Bonorum, restitutionis in integrum ob minorennitatem &c.

§. 305. Singularis Fidejussionis *Obsta-*
species, etiam Juri Canonico non *gium.*
incognita 14.), olim in usu erat

13.) Vid. Heringius de Fidejussorib. c. 27. part. 4.
14.) C. 9. de Jurejur.

apud Germanos 15.), scilicet *Obstagium*, seu obligatio ad obstagium, quando aliquis se obligat, quod debito vel proprio, vel alieno non soluto velit se sistere præsentem in certo loco, exinde non discessurus, donec Creditori esset satisfactum 16.): hodie tamen talia pacta omnino sunt abolita 17.).

Præ-

15.) Specul. Saxon. lib. 2. art. 11. ubi creditore ad diem determinatum non comparente vel pecunias non acceptante, dicitur *Reum ab obstagio liberari*, non tamen a pecuniarum solutione. *Er ist des Einreittens ledig &c.* Toleratur etiam iste mos in Reform. Polit. Augustæ anno 1548. Tit. 17. §. 9. ita tamen, ut quis non teneatur comparere extra fines Imperii.

16.) Fæminæ fidejubentes *poterant se* obligare ad obstagium, non quidem ut ipsæ hæreant in publico diversorio, sed ut virum honestum pro se mittant. Hering. de Fidejuss. c. 17. n. 76.

17.) Ordinat. Polit. Francofurti anno 1577. tit. 17. §. 10. Vid. D. Bened. Schmidt princ. Jur. Germ. lib. 2. tit. 61. Müllerus ad Struv. Exercit. 47. §. 41. lit. ſ & plurimi ibi citati. Besold. Thesaur. pract. V. *Leistung.*

Præter Ordinarios Commentatores Legum & Canonum, consuli possunt MATHIAS COLERUS de Process. Execut. pag. 1. cap. 8. ANT. HERINGIUS de Fidejussoribus, JOSEPH. GIBALINUS de univ. rer. hum. negot. tom. 2. lib. 5. c. 3. MOLINA de J. & J. tr. 2. disp. 539. - 547. Card. MANTICA de tacit. & ambig. Convent. tom. 2. lib. 16. LAUTERBACH Dissert. Academ. Vol. II. Disp. 82. & 83. BERLICHIUS part. 2. Concl. 19. & seqq.

TITULUS IX.
DE RERUM PERMUTATIONE.

Confer. lib. 3. Decretal. tit. 19. Sext. tit. 10. Clement. tit. 5.

§. 306.

POst Contractus beneficos considerandi veniunt Contractus *Permutatorii*, qui utrinque obligationem imponunt, & æqualitatem mutuam inter contrahentes requirunt. Primo loco venit *Permutatio*, seu Conventio qua quis rem ea lege dat. *Permutationis Natura.*

dat, ut pro ea alter aliam, de qua conventum est, reddat 18.). Sicut aliis Gentibus, ita etiam antiquis nostris Germanis familiaris fuit hic Contractus, antequam pecuniarum usus invaluit 19.): olim enim non ita erat nummus, neque aliud merx, aliud pretium vocabatur: sed unusquisque secundum necessitatem temporum ac rerum utilibus inutilia permutabat, quando plerumque evenit, ut quod alteri supereſt, alteri desit 20.).

§. 307.

18.) Nostri fori non est, ut multum disceptemus, an & quomodo Permutatio differat a Contractu innominato *do ut des.* (supra §. 226.) Videantur Autores allegati a MÜLLERO ad STRUV. Exercit. 25. §. 16. lit. β.

19.) TACITUS de Morib. German. c. 5. *Simplicius & antiquius permutatione mercium utuntur.* Permutatio medio ævo vocabatur *Cambium*, *Concambium*, cujus formulas exhibet MARCULPHUS lib. 2. form. 23. & 24. vel etiam *Concamium*, ut legimus inter formulas veteres ex editione BIGNONII fol. 396. Vox *cambiare* pro permutare occurrit in Lege Salica tit. 39. & in Legib. Bajuvar. tit. 15. c. 8. Hæc non debent confundi cum Cambio hodierno.

20.) L. 1. pr. ff. de Contrah. empt.

§. 307. Naſcitur inde Actio *Præſcriptis verbis ex permutato* 21.), competens ei, qui dedit, adverſus accipientem, ejusve hæredem ad tradendam rem promiſſam, vel id, quod intereſt. Quando ex neutra parte traditio facta eſt, Leges non dant Actionem 22.): nihilominus cum hodiernis moribus detur actio ex pacto nudo, admittenda etiam eſt Actio ex pacto præparatorio ad Contractum, conſequenter etiam ex pacto de Permutando, ita ut locus non ſit pœnitentiæ, etiam reſpectu illius, qui rem ſuam jam dedit 23.). *Actio:*

§. 308. Permutari poſſunt res omnes, quæ vendi & emi; modo non ſint alienæ 24.). Si vero res aliena in permutationem veniat, is qui rem ſuam dedit, non poteſt agere præſcriptis verbis adverſus alterum, ut *Materia.*

21.) §. 28. Inſt. de Action.
22.) L. 1. §. 2. ff. de Rer. permut.
23.) Contra CARPZOV. p. 2. Conſt. 38. def. 23. hanc doctrinam defendit LEYSERUS Medit. ad Pandect. ſpec. 39. med. 7.
24.) L. 1. §. 3. ff. ibid.

tradat rem alienam, vel id quod interest; sed repetit rem suam condictione *Causa data, causa non secuta.* Idem est, si unus rem dedit, & res alterius, de qua conventum est, pereat. Si vero uterque rem tradidit, unus propriam, alter alienam, & hæc postea evincatur, datur actio in factum præscriptis verbis 25.).

Permutatio Rerum spiritualium:

§. 309. Ad hanc tractationem pertinet præcipue Permutatio Rerum Ecclesiasticarum & Beneficiorum. Res *Spirituales* permutari non possunt cum temporali, bene autem cum alia spirituali. Si *res mixtæ* sint ex spirituali & temporali annexo, fieri potest permutatio, modo non fiat comparatio inter spirituale & temporale. Unde quando permutantur Ecclesiæ & earum possessiones, bini censentur esse contractus, qui non debent sibi invicem misceri 26.).

Temporalium Ecclesiæ:

§. 310. Res temporales Ecclesiæ permutari possunt, præviis iisdem solennitatibus, quas ad alienandas ejusmodi res Ecclesiæ requiri alibi diximus.

25.) Cit. L. 1. §. 1.
26.) C. 6. de Rer. permut.

ximus. Eccleſia quidem non cenſetur damnum pati, ſi res ſuas cum aliis æqualis vel majoris pretii rebus permutet 27.): ſed ad hoc ipſum diſcutiendum requiruntur ſolennitates pleræque, ut de æquali pretio, vel utilitate majore conſtet 28.). Facilius tamen conceditur Permutatio, quam Venditio, quia pretium pecuniarium majori diſſipationis periculo ſubjacet 29.): præſertim facilem ſe præbet Eccleſia, ſi Princeps permutare velit rem ſuam majoris vel æqualis pretii cum rebus Eccle-

27.) Apud cit. MARCULPHUM formula 23. his verbis incipit: *inter quos charitas inlibata permanſerit, beneficia opportuna præſtantur: quia nihil ſibi de rebus propriis cenſet minui, quod econtra recipit in augmentum.*

28.) Id dari poteſt argumentis LEYSERI, quod Res Eccleſiaſticæ & Domaniales antiquitus permutatæ, revocari facile non poſſint. Specim. 222. Med. 2.

29.) *Ipſius pecuniæ fœnerandi uſus vix diuturnus, vix continuus & ſtabilis eſt: quo ſubſecuto, intercidente ſæpe pecunia, ad nihilum patrimonia deducuntur.* l. 22. C. de Adminiſtrat. tutor.

siæ 30.). Quodsi absque debitis solennitatibus inconsulte Commutationes rerum Ecclesiasticarum facta sit, a successore emendari jubetur 31.). Singulariter *mancipia Ecclesiastica, nisi ad libertatem, non convenit commutari*: indignum enim illis temporibus, quibus Ecclesiæ multa numerabant mancipia, videbatur, ut ex mitissima servitute Ecclesiæ quis compingatur in durissimam servitutem Laicorum 32.).

Beneficiorum

§. 311. Permutatio Beneficiorum Ecclesiasticorum non habet rationem proprie dictæ permutationis, cum neuter ex Beneficiatis habeat potestatem transferendi Beneficium suum in alterum: sed potius personæ, resignantes sua Beneficia in manus Episcopi, transferuntur ejusdem Episcopi autoritate ab uno ad alterum Beneficium 33.): non tamen

30.) C. 1. de Rer. permut. Cujus sententia continetur in Novell. 7. c. 2. & refertur in Auth. sed & permutare. C. de SS. Eccles.
31.) C. 2. eod.
32.) C. 3. & 4. eod. & GONZALEZ ibid.
33.) C. 5. eod. GONZALEZ ad C. 7. eod.

men potest Episcopus Beneficia ex causa permutationis resignata, aliis conferre, quam permutare volentibus 34.), Conventio autem Beneficiatorum consistit tantum in hoc, quod velint consentire in translationem ab Episcopo faciendam: omne aliud pactum circa Beneficia, privata autoritate factum, prohibent Sacri Canones 35.): autoritas autem Superioris purgat vitium Simoniæ, cum iste ex justa causa possit adjicere aliquas conditiones, aut etiam pensiones, non tamen ex hoc solo capite, quod unus permutet Beneficium pinguius cum alio minus pingui. Cum enim jus percipiendi reditus beneficii annexum sit titulo spirituali, non potest jus percipiendi reditus pinguiores compensari pecuniis tanquam pretio temporali 36.).

Per-

34.) Clem. un. de Rer. permut.

35.) Vid. FERMOSINUS tom. II. tract. I. Criminal. fol. 158. seqq. Quod pœnæ latæ contra Confidentias Beneficiales, habeant locum in Permutatione, tradit FLAM. PARIS. de Confid. Benefic. quæst. 25.

36.) Per hoc non præjudicatur summæ Pō-

Permutari non potest Beneficium litigiosum: licet enim proprie non fiat permutatio Beneficii, in quo quis nondum habet jus reale: nihilominus omne jus certum & liquidum ad Beneficium, potest permutari autoritate illius, qui potest jus illud transferre in alium.

Ecclesiasticorum. §. 312. Permutationem ordinarie admittit Episcopus, vel quasi Episcopali autoritate pollens; non autem Vicarius Generalis, nisi ex speciali commissione; neque Capitulum Sede vacante, si Beneficia spectent ad solius Episcopi *collationem*; bene tamen, si spectent ad collationem Episcopi & Capituli simul, vel etiam ad collationem tertii:

Potestati Ecclesiasticæ, *qua jus percipiendi Reditus* potest separari a titulo spirituali. Unde Romæ a Signatura gratiæ admittuntur Permutationes inæquales, si scilicet unum Beneficium habet reditus plures, quam alterum: & hæc inæqualitas compensatur per pensionem, vel pluralitatem Beneficiorum, uti refert QUINTILIANUS MANDOSIUS praxi Signaturæ gratiæ tit. de Permutat. fol. 13.

tii: nam quamvis collatio pertineat ad inferiorem, permutatio tamen debet autorizari poteſtate Ordinaria, quia opus eſt poteſtate non tantum inſtituendi, ſed etiam deſtituendi Beneficiatum, quam inferiores Collatores plerumque non obtinent. Requiritur etiam ad permutationem conſenſus Patronorum: licet enim iſti impedire non poſſint, quo minus Beneficiatus relinquat ſuum Beneficium; non tamen tenentur acceptare alterum, quem non præſentaverint. Ex eadem ratione coram Ordinario non poteſt fieri permutatio Beneficii, cujus collatio ſingulari jure eſt reſervata Pontifici: bene tamen admittit Epiſcopus permutationem Beneficiorum, licet adſit, qui autoritate Apoſtolica Beneficium proxime vacans exſpectet 37.). Epiſcopus etiam invitos compellere poteſt ad permutanda Beneficia, ſi bonum commune id ſuadeat 38.).

§. 313.

37.) C. un. de Rer. Permut. in 6. Passerinus ibid.

38.) Flamin. Parisius de Reſignat. Benefic. lib. 3. q. 18. n. 13. ſeqq.

Scriptores. §. 313. De materia Permutationis Beneficiorum, ultra ordinarios Commentatores in Titulos Juris Canonici de Rerum Permutatione; Consuli possunt PETRUS DE UBALDIS, FEDERICUS DE SENIS & alii contenti in Tractatuum tomo 15. part. 2. item Carol. TUSCHUS a concl. 303. lit. P. MANDOSIUS de Signatura Gratiæ, tit. de Permut. SUAREZ de Religione tom. 1. tr. 3. lib. 4. c. 31. seqq. LESSIUS de J. & J. lib. 2. c. 34. dub. 36. & c. 35. dub. 17. AZOR Instit Moral. p. 2. lib. 7. c. 29. seq. GARCIA de Benefic. tom. 2. p. 11. c. 4. LEURENIUS For. Benef. p. 3. q. 815. seqq.

TITULUS X.

DE EMPTIONE ET VENDITIONE.

Conf. Lib. 3. Decretal. tit. 17. Extravag. Commun. tit. 5.

§. 314.

Ad Emptionem requiritur AD hunc præcipue Titulum revocantur, quæ supra *de Rebus Ecclesiæ non alienandis*, item *de Pactis & Contractibus* dicta sunt. De celeberrimo & frequentissimo hoc Contractu,

ctu, Theologi, Canoniſtæ & Juris Civilis Commentatores fuſe tractant: noſtro inſtituto ſufficit, ſumma Capita attingere. Eſt autem Emptio Venditio *Contractus conſenſualis de re pro certo pretio tradenda.* Naturam ejus eleganter explicat Jurisconſultus 39.): *Origo emendi vendendique a permutationibus cœpit . . . quia non ſemper, nec facile concurrebat, ut cum tu haberes, quod ego deſiderarem, invicem haberem, quod tu accipere velles: electa materia eſt, cujus publica ac perpetua æſtimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis ſubveniret: eaque materia, forma publica percuſſa, uſum dominiumque non tam ex ſubſtantia præbet, quam ex quantitate: nec ultra merx utrumque, ſed alterum pretium vocatur.* Ad ſubſtantiam hujus Contractus requiritur I. Conſenſus. II. Res ſeu merx III. Pretium certum.

§. 315. *Conſenſus* mutuus, & talis ſit oportet, qualem ſupra §. 236. ſeqq. deſcripſimus. Hoc utrinque poſito, perfecta eſt Emptio Venditio. Si inter contrahentes convenerit, *Conſenſus trahentium:*

39.) L. 1. pr. ff. de contrah. empt.

rit, ut Emptio in scripto celebretur, tunc demum habetur perfectus Contractus, quando Scriptura est absoluta: hoc tamen casu manet Contractus consensualis, cujus effectus suspenditur ab hac Scriptura. Si Emptio fiat ad quantitatem, ad mensuram vel gustum, non est perfectus & absolutus consensus, donec res adpensæ, adnumeratæ, admensæ, vel gustatæ fuerint 40.): aliud dici debet in emptione ad corpus vel per aversionem, ubi numerus vel pondus solum demonstrative exprimitur. Cum Consensus debeat esse liber, cogi ad emendum vendendumque nemo potest, nisi urgente æquitate vel utilitate publica 41.): neque

40.) Consensus tamen intelligitur perfectus ad hoc, ut non sit *locus pœnitentiæ*. Item si res actu esset tradita, dominium, consequenter etiam periculum, transfertur in emptorem etiam ante admensurationem. Singulariter circa ejusmodi Emptiones cavendum est, ut *mensuræ & pondera justa fiant*. C. 2. de Empt. & Vend.

41.) Civitates quædam habent *jus Stapulæ*, vi cujus merces illuc delatæ debent ad

neque prohibentur emere vel vendere, qui possunt obligari, nisi specialiter leges resistant 42.).

§. 316. Alterum requisitum substantiale est *Res*, de qua tradenda convenitur. Tales sunt res omnes, quæ sunt in commercio, etiam *Spes*, veluti jactus retis 43.); etiam *res futuræ* 44.); etiam incorporales, ut hæreditas jam delata 45.); actiones, *Res, seu Merx:*

ad tempus aliquod venum exponi, antequam alio devehantur, quale jus etiam exercet Civitas Ingolstadiensis circa merces per Danubium prætervectas.

42.) Supra Tit. 2. de Pactis. §. 235. & 245.

43.) Obligat hic contractus ad solutionem, etiamsi forte nihil capiatur, quia jus ad rem exspectatam, censetur pretio æstimabile.

44.) Si res exspectantur ordine naturali futuræ, ut fructus agri &c. censentur emi sub imbibita conditione, si nascantur. Codex Civilis Bavariæ p. 4. c. 4. §. 4. non facit discrimen *inter spem & rem futuram*, sed obligat semper contractus, etiamsi nihil nascatur.

45.) Casu quo portio unius cohæredis deficiat, jus accrescendi probabilius non transit ad emptorem.

nomina, debita & chirographa, indeque resultantia jura 46.); etiam res alienæ, modo emptor nesciat esse alienas, non quidem ut excludatur jus veri domini, sed ut inter emptorem & venditorem contrahatur obligatio, vi cujus venditor re in judicio evicta tenetur emptori ad id, quod interest, si tamen emptor prius debite laudaverit venditorem 47.). Alicubi venduntur etiam Officia publica pro pecuniis 48.). Vicissim vendi non possunt Res, quæ in rerum natura jam ante venditionem

46.) Ejusmodi cessiones non debent fieri in potentiorem, vel personam privilegiatam ratione fori. L. fin. C. ne liceat potentior. &c. C. fin. de alien. judic. mut. causa. Venditio nominum pro minori pretio sæpe subjacet dispositioni Legis Anastasianæ. L. 22. C. Mandati. confirmatæ a Justiniano L. 23. eod.

47.) Tot. tit. ff. de Evictionib.

48.) De hac re bene discurrit M. Du Guet Institut. d' un Prince p. 2. c. 6. Ego in Dissert. de Ambitu cap. 1. n. 41. observo, haud dubie in illis terris emolumentorum, quæ ex gestis muniis fluunt, adeo innoxiam esse ubertatem, ut hæc venalitas bono publico non obsit.

nem esse desierunt, & aliæ, de quibus supra Tit. 2. §. 246.

§. 317. Consensus ementium & vendentium est de Re pro certo *Pretio*, quod nisi legibus determinetur, non consistit in indivisibili, sed prudenti hominum æstimatione vel usu definitur, & propterea est vel *infimum*, vel *mediocre* & moderatum, vel *summum* & rigorosum. Hoc pretium consistit in numerata pecunia. Si partim res, partim pecunia detur, a majore parte ejus, quod datum, contractus vel Emptio, vel Permutatio dicitur: si ex æqualibus partibus res & pecunia numerata data est, dispiciendum erit, quid ab initio actum sit: major tamen pro Emptione est præsumptio 49.). Pretium debet esse *verum*; unde si uno nummo emas ædes, ficta censetur Emptio: *justum* & proportionatum 50.); unde ob læsionem enormem, *Et Pretium.*

49.) De Disceptatione inter Sabinianos & Proculejanos circa hanc quæstionem, mentionem facit JUSTINIANUS Imperator §. 2. Inst. de Empt. & Vendit.

50.) Pretia rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur. L. 63. ff. ad Leg. Falcid.

seu ultra dimidium rescinditur emptio 51.). Variari autem pretium solet ob raritatem, vel copiam mercium aut emptorum, ob pericula vel laborem vendentium, ob specialem affectionem venditoris, non autem emptoris: *Certum*, vel per se, vel per relationem ad aliam quantitatem, seu ad arbitrium tertiæ personæ.

Emptoris & Venditoris obligatio:

§. 318. Emptor tenetur ad pretium solvendum, & manifestandam bonitatem mercis, quam ignorat venditor: Venditor ad traditionem rei, manifestato ejus occulto vitio, quo fieret res inutilis ad finem intentum. Res hæc ante solutionem pretii non transit in dominium ementis, nisi venditor ejus fidem sit secutus, vel cautionem admiserit. Si quis rem suam duobus successive vendat, tradi debet emptori primo: si autem emptori secundo jam tradita sit, posterior venditio sustinetur, hac conditione,

51.) L. 2. C. de Rescind. vend. Si pretium sit legale, restitutio facienda est læso etiam intra dimidium.

ditione, ut prior non quidem ad consequendam rem: sed ad consequendum interesse actionem personalem habeat. Emptor & Venditor tenentur sibi invicem ad culpam levem; par enim debet esse utriusque commodum & incommodum. Perfecto autem per consensum contractu, commodum & periculum rei in specie, perfecte & absolute venditæ, damnumque casu fortuito datum, mox ad Emptorem transit, nisi Venditor in se casum susceperit, vel fuerit in mora tradendi, vel res perierit ex vitio præcedenti.

§. 319. Emptioni Venditioni adjici frequenter solent quædam pacta. Inprimis pactum *Legis Commissoriæ*, ut pretio intra certum tempus non soluto res sit, vel fiat inempta 52.). *Addictio in diem*, ut venditori liceat rem venditam alteri vendere, qui meliorem postea conditionem obtulerit, nisi primus emptor eandem conditionem offerat 53.). Pactum *retrovendendi*, & *redimendi*, vi cujus *Pacta adjecta.*

52.) Tot. Tit. ff. de Lege Commissor.
53.) Tot. tit. ff. de in diem addict.

Emptor vel ejus hæres possit aut debeat rem emptam revendere Venditori. De Arrha dictum alibi Tit. 2. §. 233.

Actiones:

§. 320. Duæ ex hoc contractu nascuntur actiones, *Empti* & *Venditi*, utrinque transeuntes ad hæredes. Quamvis hæ competant ex ipso consensu, quo Contractus perficitur; nihilominus facile perspicimus, *efficaciter* eas non posse institui, nisi actor ex sua parte impleverit contractum, secus mox repellendus exceptione. Actio *Empti* datur adversus venditorem ejusve hæredem ad tradendam vacuam rei venditæ possessionem, cum fructibus, accessionibus, & omni causa 54.), resarciendumque damnum, saltem levi venditoris culpa datum. *Venditi* actio datur Venditori, qui rem tradidit, adversus emptorem ejusve hæredes ad *solvendum pretium* cum usuris a tempore moræ, ac damnum levi etiam culpa datum ex æquo bonoque resarciendum.

Præ-

54.) Huc *fixa vincta*, non autem *rutacæsa* pertinent. L. 17. pr. & §. 6. L. 18. ff. L. 38. §. 2. ff. de Act. empti & venl.

Præterea ex Ædilitio Edicto datur actio Redhibitoria & Æstimatoria seu quanti minoris. Emptor per rem vitiosam sibi venditam, cujus vitium venditor scivit & non manifestavit, læsus potest venditorem convenire actione *Redhibitoria*, ut rescisso contractu rem iterum habeat, & pretium refundat; vel *Æstimatoria* ad restituendum excessum pretii, quanto minoris emisset emptor, si vitium scivisset 55.). Actio specialis datur in Legibus, a Jure Canonico approbatis 56.), vi cujus Venditor ultra dimidium justi pretii læsus agere possit ad rescissionem contractus, nisi emptor suppleat pretium 57.). Idem ex æquitate & rationis paritate statui solet etiam de Emptore vel alio con-

55.) Tot. Tit. ff. de Ædilit. Edicto.

56.) L. 2. C. de Rescind. Vendit. C. 3. & 6. de Empt. Vendit. His frustra *cerebrinam* æquitatem objicit THOMASIUS in tract. de Æquitate cerebrina L. 2. C. de rescind. vend.

57.) Nec libellum esse alternative formandum, nec sententiam alternative ferendam, ostendere conatur BÖHMERUS Jur. Eccl. Prot. lib. 3. tit. 17. §. 3. seqq. ubi

trahente læso. Quando censeatur Venditor ultra dimidium læsus, facile patet, scilicet si pro re justo & infimo pretio æstimata centum nummis, accipit tantum quadraginta: quando autem Emptor censeatur læsus ultra dimidium, disceptatur. Multi tenent, id fieri, si pro re justo & summo pretio æstimata centum nummis, dedit nummos centum & sexaginta: alii requirunt ad talem læsionem, ut Emptor dederit ultra ducentos nummos: prior opinio videtur præferenda, ubi non obstant Statuta locorum 58.).

Causæ dissolvendi Emptionem.

§. 321. Ex dictis patet, contractum Emptionis ex variis causis dissolvi posse, scilicet ex pacto Legis Commissoriæ, Addictionis in diem, de

---

ubi docet, absolute petendam & adjudicandam esse restitutionem rei venditæ: posse tamen emptorem ex Legis dispositione se liberare ab hoc debito, si, quod deest justo pretio, solvat. Videntur hæc in effectu ad aliud non tendere, nisi ut Pontificiis Decisionibus contradicatur, quæ videntur alternativum libellum, vel sententiam admittere.

58.) Obstant autem statuta Bavariæ.

de retrovendendo, Actione Redhibitoria, ob læsionem ultra dimidium, & etiam mutuo dissensu non tantum expresso, sed etiam tacito, si res adhuc sit integra, id est, si nec merx tradatur, nec pretium solvatur, utroque connivente. Præterea dissolvitur Emptio jure *Retractus*, seu *Protimiseos*, vi cujus potest quis rem immobilem alteri venditam ad se retrahere, seu pro se emere, eodem tamen oblato pretio, quod alter Emptor dedit vel promisit, & refusis expensis, quas interea fecit primus Emptor. Aliud est *Legale*, quod competit vi legis, statuti vel consuetudinis. Sic Dominus directus circa rem Emphyteuticam, quam vendit Colonus; Creditor in venditione celebrata sub hasta; & inter Creditores plures in eadem venditione is, cui major debetur summa, præfertur aliis emptoribus: cohæres vel alius, qui rem communem cum altero habet, præfertur aliis, uti etiam plerumque cives & incolæ in rebus venalibus præferuntur extraneis emptoribus. Aliud est *Conventionale*, quod competit ratione pacti specialis. Aliud *Gentilitium*, quod

competit Consanguineis ac propinquis alicujus familiæ, præsertim quoad Bona avita seu gentilitia. Jus Retractus abrogatum aliquando fuit 59.): restauratum rursus ab Imperatore FRIDERICO I. 60.), & probatum a Jure Canonico 61.), ac communi consuetudine Germaniæ. Tempus Retractus & alia circa eundem observanda dependent ex diversa Provinciarum consuetudine. Id solum notari meretur, quod jus retrahendi semper & in perpetuum durans, vix possit introduci per consuetudinem *rationabilem*, *cum inde* sequantur in praxi absurda plurima, & apertæ injustitiæ.

De Emptione Ecclesiis prohibita.

§. 322. Subjungenda veniunt aliqua Ecclesias vel Clericos præcipue tangentia. I. Movetur passim quæstio, an Princeps vel Magistratus sæcula-

59.) Per L. 14. C. de Contrah. empt. quæ est Lex 6. in C. Theodos. eod. tit. ubi videndus GOTHOFREDUS.

60.) Constitutiones de hac re habentur in Libro, qui vocatur Quintus Feudorum Tit. 13. & 14.

61.) C. 8. de in integr. restit. ubi videndus EMAN. GONZALEZ.

cularis prohibere possit suis subditis, ne vendant aliquid, præsertim Bona immobilia Clericis aut Religiosis, & sic transferant ad manus mortuas. Certum est, has Leges esse injustas & impias, si prohibeatur venditio rerum ad communem usum vitæ necessariarum 62.): vel si prohibitio hæc fiat mere in derogationem Immunitatis Ecclesiasticæ, & odium Status Ecclesiastici. Si tamen generalis aliqua sit prohibitio, qua indirecte etiam comprehenduntur Ecclesiastici, improbari illa non potest. Sic prohibetur sæpe venditio in extraneos, consequenter etiam in Ecclesiasticos extra Provinciam: sic alicubi prohibetur absque prævia facultate Principis, alienatio prædiorum & Castrorum Nobilium in quamcunque Communitatem, & consequenter etiam in Communitatem Ecclesiasticam.

De bonis emptis ex pecunia Ecclesiæ.

§. 323. II. De rebus ab Administratore Bonorum Ecclesiasticorum proprio nomine comparatis, pretio tamen ex pecunia Ecclesiastica soluto, docent multi, dominium eo casu acquiri Ecclesiæ, eo fere modo, quo

62.) C. ult. de Immunit. Eccl. in 6.

quo Leges id ſtatuunt de Bonis et pecunia Militis, vel pupilli emptis, etiamſi Emptor ſuo nomine emerit 63.): non apparet ratio eundem favorem denegandi Eccleſiæ.

De Cura Eccleſiæ circa juſtum pretium.

§. 324. III. Jam olim Imperatores VALENTINIANUS & VALENS Anno 368. commiſerunt Epiſcoporum vigilantiæ, ut provideant, ne negotiatores modum mercandi excedant 64.). Sacri Canones eandem curam injungunt ſingulis locorum Presbyteris, ut Parochiani non carius vendant tranſeuntibus, quam mercato vendere poſſunt: alioquin ad Presbyterum tranſeuntes hoc referant, ut illius juſſu cum humanitate ſibi vendant 65.). Non opus eſt, ut

---

63.) De Milite id dicitur in L. 8. C. de Rei vindicat. De pupillo & Minore L. 2. ff. quando ex facto tutor. &c. De Eccleſiis idem eruitur ex Cauſa XII. c. 12. q. 2. c. 1. q. 3. c. 1. q. 4. c. 1. q. 5. C. 4. de Pecul. Cler.

64.) L. 1. C. de Epiſc. audient.

65.) C. 1. de Empt. & Vendit. Textum hunc ad Concilium ARVERNENSE Anno 535. habitum, refert HARDUINUS Coll. Concil. tom. 2. col. 1184. vid. COVARRUV. Variar. Reſol. lib. 3. c. 14. n. 5.

ut hunc Canonem de vi coactiva & Jurisdictione fori externi interpretemur: satisfit per denuntiationem Evangelicam, & Officium Pastorale Presbyterorum.

§. 325. IV. Notum est ex Legibus & etiam Jure Canonico 66.), Emptorem agere non posse de Evictione, si litem Autori suo non denuntiavit, etsi iste litem motam esse aliunde sciverit. Denuntiatio enim hæc non nudæ scientiæ gratia, sed in hunc finem fieri debet, ut præparatus Autor veniat, & possessorem defendat. Exceptionem aliqui 67.) constituunt in Ecclesia, cui regressum adversus Autorem concedunt, licet denuntiationem litis omiserit, modo Autor sciverit, litem Ecclesiæ motam fuisse. Argumentum desumunt a Minore, qui absque interpellatione debitorem constituit in mora 68.), cui æquiparatur

De Privilegio Ecclesiæ circa Evictionem.

66.) C. ult. de Empt. Vendit.
67.) Covarruv. var. quæst. lib. 3. c. 17. n. 4. Gonzalez ad C. fin. de Empt. & Vend. n. 14.
68.) L. 3. C. in quib. caus. in integr. restit. &c.

ratur Ecclesia. Verum Lex quæ illud adstruit, nec quidem de Minoribus probat intentum. Licet enim Lex interpellet ipso jure debitores Minorum & Ecclesiæ ad solvendum, alioquin eos in mora constituat 69.): hoc tamen loco non agitur de tali interpellatione, sed desideratur *Denuntiatio*, quæ duo admodum diversa sunt 70.). Unde nulla lex, nec Canon Ecclesiam vel Minorem eximit a denuntiatione Autori facienda, si Ecclesia vel Minor velit agere de Evictione. Id tamen admittitur, posse Ecclesiam & Minorem *indirecte*

69.) Hoc solum dicit TIRAQUELLUS de Privileg. Caus. piæ. priv. 141. quem tamen GONZALEZ allegat pro sua opinione, quod Ecclesia non debeat denuntiare litem Autori, si velit agere de Evictione.

70.) Cum denuntiatio exigitur solum ad scientiam simplicem, non est ea necessaria, nec oportet, ut scienti fiat: nam *eum qui certus est, certiorari ulterius non oportet* C. 31. de R. J. in 6. at ubi denuntiatio requiritur, non ad simplicem scientiam, sed ut sciens aliquid faciat, tunc semper necessarium est, ut etiam scienti denuntiatio fiat.

te eundem effectum consequi, si petat restitui in integrum contra omissam litis denuntiationem.

§. 326. V. Insuper Clericis & Religiosis prohibentur eæ Emptiones, quæ Negotiationem sapiunt, scilicet quando res leviori pretio emitur, ea intentione, ut eadem res non mutata carius postea vendatur. Exemplum ponit Sacer Canon: *quicunque tempore messis, vel vindemiæ non necessitate, sed propter cupiditatem comparat annonam vel vinum, verbi gratia, de duobus denariis comparat modium unum, & servat usquedum vendatur denariis quatuor, aut sex, aut amplius, hoc turpe lucrum dicimus* 71.): & alibi sub interminatione anathematis prohibe- *Clericis interdicta est Negotiatio.*

71.) Textus hic, quamvis a GRATIANO c. 9. XIV. q. 4. notetur esse JULII Papæ, habetur in Capitul. V. Anno 806. c. 18. & repetitur Capitul. Lib. I. c. 125. & lib. V. c. 265. Adduntur autem in Capitularibus verba hæc: *si vero hoc propter necessitatem comparat, ut sibi habeat & aliis tribuat, negotium dicimus.*

hibetur, *ne Monachi vel Clerici eâ lucri negotientur* 72.).

TITULUS XI.

DE LOCATIONE ET CONDUCTIONE: AC DE EMPHYTEUSI.

Confer. Lib. 3. *Decretal. Tit.* 18.

§. 327.

Ad Locationem requiritur

LOCATIO & *Conductio proxima ejt Emptioni & Venditioni, iisdemque Juris regulis consistit* 73.): est autem Contractus consensualis de rei usu vel operis pro certa mercede præstandis. *Colonus* dicitur, qui agros; *Inqui-*

72.) C. 6. Ne Cler. vel Monach. &c. De Contractu Emptionis & Venditionis præter ordinarios Legum & Decretalium Commentatores, item præter eos qui scribunt de Justitia & Jure; fusius agunt PETRUS WADINGUS, MELCHIOR FRIDERICH, MOZZIUS, MUDÆUS, MAULIUS, STRYCKIUS de Emptione Spei. ZOANNETUS de Emptione & Venditione sub pacto retrovenditionis.

73.) Princ. Inst. de Locat. Conduct.

Inquilinus, qui ædes; *Publicanus*, qui vectigalia conducit: *Admodiator* nominari solet, cui reditus alicujus Provinciæ, districtus &c. conceduntur percipiendi pro certa mercede vel pensione. Datur etiam Locatio operis conficiendi, ubi ille, qui opus pro pensione conficiendum suscipit, Conductor vel *Redemptor* operis, & Locator operarum dicitur. Proin Locatio-Conductio alia est *Rei*, alia *Operæ*, alia *Operis*: item alia *Expressa*, alia *Tacita*, quæ fit, quando Conductor impleto tempore pergit re locata uti; censetur enim eam, si prædium sit rusticum, in eundem annum 74.); sin Urbanum, in eandem conditionem & idem tempus tacite reconduxisse.

74.) L. 13. *§.* 11. ff. Locat. Cond. Bene id statuitur pro Italia, ubi singulis annis pleni prædiorum fructus percipiuntur. At in Germania, ubi singulis annis aliqua agrorum pars solet quiescere, renovatio tacita censetur facta ad biennium, vel triennium, intra quod scilicet tempus colonus integros fructus potest percipere.

Consensus contrahentium:

§. 328. Substantialia hujus Contractus sunt I. Consensus. II. Rei usus, vel Operæ. III. Merces. Locare & Conducere possunt, qui in aliis Contractibus consentire & de re sua disponere. Quædam exceptiones Legum Civilium hodie sunt abolitæ 75.). Opifices, qui cum initio artem faciunt, plerumque dicuntur conducere non posse domum juxta ædes Professorum vel Scholarum 76.).

§. 329.

75.) Excipiuntur Curiales. L. 30. C. de Loc. Cond. Milites L. 31. eod. Clerici Nov. 123. c. 6. Tutores & Curatores, qui prædia fiscalia & patrimonialia Principis conducere prohibentur, nondum redditis rationibus. L. 49. pr. & §. 1. ff. locat. conduct.

76.) Quamvis Leges communiter adduci solitæ, scilicet L. un. C. de Stud. liberal. L. 14. C. de Oper. publ. id non aperte dicant; æquitate tamen suadente passim traditur, & observatur. Rebuffus de Privileg. Universit. privil. 3. narrat, se expulisse textorem habitantem juxta aliquod Collegium, qui abstinere nolebat a consuetudine canendi tam alta voce, ut collegiati impedirentur: imo ibid. n. 7. dicit, etiam dia-

§. 329. Locari poſſunt *Res* omnes, quæ in rerum natura, hominumque commercio ſunt, modo uſum præſtent, nec uſu abſumantur ; etiam res incorporales, jura, Regalia &c. etiam res alienæ. Res conductæ ſublocari poſſunt ad eundem uſum & æque idoneo 77.). Servitutes tamen reales locari nequeunt ſine ipſis prædiis 78.) : neque etiam jus cu- *Res ſeu opera locanda:*

diabolum poſſe prohiberi, ne ſtrepitum faciat in domo ſcholarium ; modo inveniatur, qui hanc illi inhibitionem facere auderet.

77.) Conſuetudo permittit, ut quis ſocium admittat in conductum cubiculum, quin augeatur merces. Huc pertinet, quod dicitur in L. 19. §. 7. ff. loc. Cond. ſcilicet ſi quis mulierem vehendam navi conduxiſſet, deinde in navi infans natus fuiſſet, pro infante nihil deberi : cum neque vectura ejus magna ſit, neque his omnibus utatur, quæ ad navigantium uſum parantur. idem dicitur, ſi quis in navi ſit mortuus l. ult. ff. de leg. Rhod. de jactu.

78.) L. 44. ff. Locat. Cond. Carocius de Loc. Cond. part. 1. tit. ſervitutibus. fol. 21. tenet, ipſum jus ſervitutis prædialis, qualis eſt iter, actus &c. locari quidem non poſſe : ſed facultatem utendi

dendi monetam, quod ex privilegio habetur 79.). Res Conductoris propria eidem regulariter non valide locatur, nisi quis habeat jus quoddam in illa re, cujus usum possit pro mercede domino concedere. Sic Emphyteuta potest domino directo locare usum prædii Emphyteutici: nam dominus non dicitur conducere rem suam, sed jus emphyteuticum 80.). Sic etiam rem pignori datam ejus dominus a creditore conducere potest 81.). Locantur etiam *Operæ* omnes honestæ, & illiberales, quæ mercedem admittunt. *Operæ* autem, quæ ex liberalibus artibus proficiscuntur, non locantur, nec mercedem admittunt, sed honorarium

---

& subrogationem, *seu commoditatem* posse locari. Contrarium tenet BRUNNEMAN ad dict. L. 44.

79.) Recess. Imp. ann. 1551. §. 46. ordinat. Monet. ann. 1559. §. 174.

80.) BOERIUS decis. 234. n. 3. Card. MANTICA de tacit. & ambig. convent. lib. 5. tit. 3. n. 5.

81.) LAUTERBACH Dissert. Vol. 4. Disp. 156. thes. 23.

rium 82.). Operas ſubditorum locare domini directi non poſſunt aliis, ſi ipſi illis non indigeant.

§. 330. Merces debet eſſe *Vera*, *Certa* & *Juſta*, prout de Emptione Venditione dictum; debetque conſiſtere in pecunia numerata, alias negotium in aliam contractus ſpeciem abibit, e. g. in Contractum innominatum facio ut des, vel facio ut facias 83.). Si tamen res locata fructus ex ſe producit, pars fructuum, ad certam quantitatem definita, poteſt eſſe loco mercedis: ſi autem indefinite fructus & damna inter ſe partiantur Locator & Colonus, talis Colonus partiarius magis ſocius eſt, quam conductor.

Merces vera, certa & juſta.

82.) Inter Advocatum & Clientem eſt *Mandatum*; inter Doctorem & Auditorem Contractus *facio ut des.*

83.) Exemplum dat Imperator §. 2. Inſt. de Locat. & Conduct. *Si cum unum bovem quis haberet, & vicinus ejus unum, placuerit inter eos, ut per denos dies invicem boves commodarent, ut opus facerent, & apud alterum alterius bos perierit. ... præſcriptis verbis agendum eſt.*

Ad quid teneatur Conductor rei;

§. 331. Conductor rei debet re uti eo modo, quo decet; & non ad alium usum, quam quo conventum est, eam adhibere: resarcire damnum culpa sua saltem levi datum; non tamen datum ex culpa domestici, alias seduli & probati 84.): rem conductam in specie restituere, simulque mercedem finito usu, vel sub finem singulorum annorum, si locatio in plures annos facta est: pro rata tamen mercedem remitti jure petit, si ob culpam Locatoris, vel ob insignem calamitatem re uti non potuit; vel ob metum *hostium*, incendii, damni infecti, pestis, aliamve justam causam, rem conductam deseruerit 85.). Si autem Conductor

84.) Si oriatur incendium *in ædibus* conductis, præsumitur ortum *culpa inhabitantium* L. 3. §. 1. ff. de offic. Præf. Vigil. sed tamen dominus ædium debet probare, an culpa intervenerit saltem levis, & cui imputanda.

85.) An justa causa deserendi domum conductam sit metus spectrorum, vid. Covarruv. resol. lib. 4. c. 6. Gothofred. ad leg. 27. §. 1. ff. Locat. Cond. Quamvis enim *vani timoris justa excusatio*

ductor omnem casum & periculum in se susceperit 86.), aut ob præcedentium vel subsequentium annorum fertilitatem compensetur damnum ex sterilitate unius anni ortum, nihil remittitur 87.). Si Conductor

---

satio non est L. 184. ff. de R. J. nihilominus vanum hunc non esse semper timorem, præter supra dictos, & ibi allegatos testatur Christoph. Porcus in Inst. §. fin. de Locat. Cond. Gomez var. Resol. tom. 2. c. 3. n. 3.

86.) Qui casum fortuitum in se suscipit, an teneatur etiam præstare prorsus insolitum, varie & confuse disputant Doctores, præsertim ad L. fistulas. 78. §. fin. ff. de Contrah. empt. Videtur quis se obligare ad casus insolitos rariores, non autem omnino rarissimos. Vid. Molina de J. & J. tr. 2. disp. 495. Brunneman ad cit. L. fistulas. quæ lex agit de Venditore, & cum proportione de Locatore, recipiente in se periculum, qui certe non vult se obligare ad quoscunque casus fortuitos communes, quales solent fere singulis annis in fructibus contingere.

87.) C. 3. de Locat. & Cond. Quod etiam remittenda sit merces ob damnum in fructibus plene perceptis contingens, juri & æquitati naturali convenire dicitur apud Leyserum Vol. 11. in suppl.

ad

omnem casum in se susceperit, mercedem tamen solvere non tenetur, si casu subito ipsa res conducta pereat, e. g. conductum molendinum aquarum impetu destruatur; censetur enim solummodo intellexisse casum, quo usus rei impediatur, vel damnum contingat in fructibus, non autem quo destruatur substantia rei 88.).

Et operarum: §. 332. Conductor operarum praestat mercedem operis praestitis; secus ad mercedem non tenetur: si tamen per ipsum Conductorem steterit, ne praestarentur, & simul pro eadem mercede non potuerint facile praestari alteri, plane merces exhibenda

---

ad specim. 217. med. 9. seqq. ipse autem LEYSERUS ibid. med. 16. tenet, contrariam opinionem observantia stabilitam, in Judiciis, & collegiis Juridicis retineri.

88.) Vid. STEPHANUS GRATIANUS Discept. Forens. tom. 1. c. 195. ubi advertit, ob casum inopinatum posse peti augmentum pensionis e. g. si molendina vicina aquarum impetu fuerint destructa &c. Idem tenet GOMEZ var. Resolut. tom. 2. c. 3. n. 18.

benda est, ne Conductor sit occasio damni Locatori innoxio imminentis.

§. 333. Locator Rei debet permittere liberum ejus usum, tempore & modo per conventionem determinato, eamque in re locata reparationem adhibere, ut ejus usus non impediatur. Transit hæc obligatio ad Locatoris hæredem, non tamen ad successorem singularem, qui soluto jure Locatoris, Conductorem recte expellit: regressus tamen datur Conductori contra Locatorem ad interesse 89.). Ipse Locator expellere eum potest ex justa causa, si mercedem per biennium non solvat, si re conducta abutatur. Si autem ipse Locator re sua indigeat, vel eam reficere velit, potest quidem Conductorem expellere, tenetur tamen ad id quod interest. *Locator rei;*

89.) Alicubi Emptor Conductorem expellere non potest. Late de hac re agit Hertius de Parœm. Jur. Germ. lib. 1. parœm. 46. Saltem expelli non posse conductorem ad longum tempus, cum obtinuerit dominium utile, tradit Boërius decis. 234. n. 3.

Et operarum. §. 334. Locator operarum tenetur laborem & operam fideliter exhibere juxta conventionem, aut pro rata mercedem remittere, vel jam acceptam restituere, si ex imperitia vel culpa propria non præstet, quod promisit 90.). Locatio operarum extinguitur cum persona Locatoris.

Actio Locati & Conducti. §. 335. Surgit ex hoc Contractu actio *Locati & Conducti.* Actio *Locati* datur Locatori, ejusque hæredi contra Conductorem, ejusve hæredem, ad solvendam tempore constituto mercedem, & quidem *cum* usuris post moram: ad rem *finito* contractu restituendam 91.), præstandumque damnum saltem levi culpa da-

---

90.) Si famulus intra tempus conventum absque justa causa *discedat* ex famulitio, & dominus *nullum* exinde damnum, aut lucrum cessans patiatur: deberet quidem dominus solvere mercedem pro rata; autoritate tamen Judicis meretur ejusmodi famulus privari omni mercede.

91.) Hanc restitutionem non moratur quæstio dominii, bene tamen jus retentionis, si non refundantur impensæ necessariæ & utiles.

datum 92.). Actio *Conducti* datur Conductori ejusve hæredi adversus Locatorem, ejusve hæredem ad rei conductæ usum, operasve præstandas: ad refundendas impensas necessarias & utiles in rem conductam factas: ad damnum saltem levi culpa datum, resarciendum 93.).

§. 336. Circa Res Ecclesiarum & Ecclesiasticorum notanda veniunt sequentia. I. Clerici prohibentur conducere ex causa quæstus 94.). II. Prohibentur Prælati & Rectores Ecclesiarum res immobiles locare ultra triennium absque solennitatibus juris 95.): In Germania tamen est consue- *Singularia circa locationem rerum Ecclesiasticarum:*

92.) Pro mercede & reparatione deteriorationis, Locator habet tacitum pignus in rebus illatis in prædia urbana, aut in fructibus prædii rustici. L. 2. 4. 6. 7. ff. In quibus causis pignus &c.

93.) Specialis casus, ubi ignorantia non excusat a culpa, habetur in L. 19. §. 1. ff. Locati Cond. *Si quis dolia vitiosa ignarus locaverit, deinde vinum effluxerit, tenebitur in id, quod interest, nec ignorantia ejus erit excusata.*

94.) C. 1. ne Clerici vel Monach. &c.

95.) Extrav. Ambitiosæ. inter Commun. de Reb. Eccles. alien.

ſuetudo locandi ad novennium, quia in multis locis non niſi ſingulis triennis percipiuntur pleni fructus prædiorum 96.). III. Si prædium Eccleſiæ ſine ſolennitatibus locetur ad longius tempus, ſuſtinetur Contractus ſaltem ad novennium. IV. Locatio nomine Eccleſiæ rite facta, tenet etiam poſt mortem Rectoris locantis 97.): ſecus ſi Rector Eccleſiæ locet nomine ſuo prædia ad ſuam menſam deſtinata; nam in his non poteſt præjudicare ſucceſſori ſuo 98.).

V.

96.) Huc pertinet Böhmeri Diſſertatio de Juribus diverſis ex diverſitate Climatum natis. quæ habetur tom. I. Exercitat. ad Pandectas. exercit. 7.

97.) Vid. Petrus Barbosa ad L. ſi filiofamilias. 26. §. fin. ff. ſoluto matrim. dos quemad. pet. n. 22. ſeqq.

98.) Canonicos non poſſe *fructus Canonicatus*, vel habitationem *locare* alteri pro tota vita, tenet Card. Petra tom. 5. ad Conſt. V. Pauli II. ſect. 3. n. 18. Certe nec Parochis, nec aliis Beneficiatis id ſolet permitti, ut experientia docet. Nam ejusmodi Conductores, præſertim ſi vicinos agros proprios habeant, omnem utilitatem ſuis agris ſolent impendere, & exſuccos agros, vel ſemidirutas ædes relinquere ſucceſſoribus Beneficiati,

V. Tenent aliqui, Ecclesiam relevandam esse in casu, quo res ejus ad longum tempus locata, notabiliter aucta fuerit, non ex industria Conductoris, sed naturaliter ex aliquo casu insolito, puta per alluvionem; nam in hoc casu, cum pensio debeat correspondere ad rationem fructuum, propterea dicendum esset, quod auctis ex aliquo casu fructibus, Ecclesia censeretur læsa, nisi pensio quoque augeretur 99.). VI. Sacerdos non potest locare operas suas pro Divinis celebrandis; esset enim Simonia, quaudo in pactum deduceretur 100.). VII. Jus Patronatus non

99.) Ita ex Baldo discurrit Card. Petra tom. 1. ad Constit. I. Leonis M. sect. 4. n. 131.

100.) Vincent. Carocius de Locat. Cond. part. 1. Tit. Sacerdotali ministerio. fol. 16. Mozzius eod. tract. tit. de Rebus &c. n. 11. dicunt, posse Sacerdotem operam locare & paciſci pro temporalibus, ut moretur in aliqua Ecclesia pro Capellano, ita ut non habeat intentionem ad Divina, sed ad mansionem, vel ad laborem, quem sustinet, vel damnum, quod patitur ex mora.

Hæc

non poteſt locari per ſe, ſed tamen ſimul cum univerſitate bonorum, quibus annexum eſt, niſi dominus fundi ſibi reſervet 1.). VIII. De Decimis a Locatore vel Conductore ſolvendis dictum eſt Sect. III. Tit. IV. §. 49.

Emphyteuſis deſcribitur:

§. 337. Locationi affinis eſt Emphyteuſis dicta ab ἐν & φυομαι, quaſi inſerere, implantare, eo quod a principio ſolum incultum ac deſertum conſueverit tradi hoc contractu, ut ad culturam reduceretur. Eſt autem contractus, quo res *immobilis* cum translatione dominii *utilis*, alteri colenda & fruenda conceditur ſub

---

Hæc formalitas & abſtractio in praxi erit valde difficilis, quia Capellani plerumque conſtituuntur non ſolum ad cuſtodiendam Eccleſiam, ſed ad Divina peragenda. Huc pertinet Rubrica Decretalium; *Ne Prælati vices ſuas, vel Eccleſias ſub annuo cenſu concedant.*

1.) Jus Patronatus poſſe tranſire cum univerſitate bonorum, conſtat ex C. 18. de ſent. & re jud. c. 7. de Jure Patron. inde deducitur, idem poſſe fieri per locationem bonorum, niſi aliter conventum ſit.

sub onere pensionis realis, domino directo certis temporibus persolvendæ pro fructibus & in recognitionem dominii directi. Pridem in usu fuerat hic Contractus: sed tamen quoad nomen & formam modernam tribuitur ZENONI Imperatori 2.).

§. 338. *Ecclesiastica* dicitur, quando conceditur res pertinens ad Ecclesiam: *Laicalis*, quando res pertinens ad Laicum: *Perpetua* seu *Hæreditaria*, quæ transit ad quoscunque hæredes 3.): *Temporalis*, quæ ad certum tempus conceditur: *Vitalitia* ad vitam unius, vel plurium nominatorum: *Familiaris* seu *Gentilitia*, quæ transit ad solos descendentes 4.). *Dividitur*:

§. 339.

2.) §. 3. Inst. de Locat. & conduct. L. 1. C. de Jure Emphyt.

3.) De Emphyteusi Ecclesiastica, ad novi cultoris hæredes etiam extraneos transmittenda, agit CHOPPINUS de Privileg. Rustic. lib. 2. c. 2.

4.) In diversis Provinciis dantur variæ species & formæ hujus Contractus, præsertim in Bavaria, de quibus videndus Codex Maximilianeus Civilis part. 4. c. 7.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A quo primum constituatur?

§. 339. In Emphyteusin conceduntur Res immobiles & iis æquivalentes. Constituere eam potest omnis, qui plenum rei immobilis dominium habet, aut liberam administrationem, ac alienandi facultatem. Prælati Ecclesiastici non possunt res Ecclesiarum in Emphyteusin dare sine solennitatibus ad alienationem requisitis, nisi *in Emphyteusin ab antiquo concessi solitas* 5.), manentibus scilicet iisdem circumstantiis, & eadem utilitate Ecclesiæ.

Quis succedat?

§. 340. Primus contractus debet declarare, quinam sequentibus temporibus in Emphyteusi succedant. Legitimati per Rescriptum Principis non succedunt, nisi nominatim ad hunc effectum suprema autoritate habilitentur, accedente consensu domini directi. Si Emphyteuta ingrediatur Religionem, succedet Monasterium, saltem quamdiu Religiosus vivit, Si Emphyteusis revertitur ad Domi-

5.) Extrav. ambitiosæ. de Reb. Eccles. non alien. inter comm. Card. Petra tom. 5. ad eandem Constit. V. Pauli II. sect. 2. n. 50. seqq.

Dominum, æquitas ſuadet, ut concedatur proximis Agnatis præ Extraneis.

§. 341. Emphyteuta obligatur I. ad Laudemium in recognitionem inveſtituræ, quod de Jure communi eſt pars quinquageſima pretii, quo æſtimatur res Emphyteutica, vel pars vigeſima juxta hodiernam conſuetudinem, ex qua etiam deſumendum, quoties repetatur laudemium in mutatione Emphyteutæ. II. Singulis annis ſolvere certo tempore Canonem, in multis locis duplicem, unum minorem in recognitionem dominii directi; alterum majorem in compenſationem dominii utilis in Emphyteutam translati, qui proin ſaltem ex parte remittitur, ſi caſu fortuito nulli vel pauci fructus percipiantur. III. Fundum colere, meliorare, ac uti ex arbitrio boni viri. IV. Rem non vendere irrequiſito Domino directo, qui aliis emptoribus præfertur; nec alienare in perſonam Domino jure ingratam. *Obligationes Emphyteutæ:*

Et Domini directi:

§. 342. Dominus directus obligatur I. possessionem rei una cum dominio utili transferre in accipientem. II. Non augere Laudemium in mutatione Emphyteutæ, nisi æstimatio rei interea sit aucta. III. Non augere Canonem, etiam aucta utilitate, quamdiu res possidetur ex primi Contractus.

Actio utrique competens.

§. 343. Tam Domino directo, quam Emphyteutæ competit adversus se mutuo Actio Emphyteuticaria ad præstanda, quæ utrinque debentur; & ad præstandum dolum, culpam latam & levem.

Extinctio Emphyteuseos.

§. 344. Finitur Emphyteusis interitu Rei, lapsu temporis, vel extincta generatione, ad quam est restricta: denique ex culpa Emphyteutæ I. si Domino Laico per triennium, aut Ecclesiastico per biennium continuum culpabiliter non solvat integrum Canonem 6.), licet

6.) Quibus casibus juris ignorantia non prosit rusticano, tradit RENATUS CHOPPINUS tract. cit. lib. 1. part. 2. c. 5. §§.

cet monitus non fuerit, nisi Dominus expresse vel tacite remittat caducitatem, II. Si Rem notabiliter deterioret. III. Si irrequisito Domino vendat 7.).

TITULUS XII.
DE ALIIS CONTRACTIBUS PERMUTATORIIS.

§. 345.

Permutatoriis Contractibus

PLURES adhuc sunt species Contractuum Permutatoriorum, quas obiter attingimus, cum Ecclesiæ, vel Ecclesiastici iis rarius utantur.

7.) De hoc frequentissimo contractu præter innumeros alios videri meretur AURELIUS CORBULUS & ALVARUS VALASCUS de Jure Emphyteut. RUTGERI RULAND Forma Processus Judiciarii in causis Emphyteut. JOAN. KOLERI Methodus Juris Emphiteutici. LUD. MOLINA de J. & J. tr. 2. disp. 444 — 484. ELBERTI LEONINI Prælectiones & aliorum Commentaria in tit. Codicis de Jure Emphyteut. Canonistæ passim ad Tit. de Locat. Conduct.

Annumeratur I. Societas,

§. 346. I. *Societas*, quæ est Contractus consensualis bonæ fidei de re vel opera honesta, ad commodiorem usum & uberiorem quæstum in commune conferenda. *Communionem* rerum sæpe habent Ecclesiastici cum aliis, quibus forte eadem res testamento legata est; sed sine *Societate*, quæ per mutuum consensum contrahitur 8.). Quamvis hic contractus sit Reip. utilissimus, & Charitati maxime conformis, non tamen decet, ut Ecclesiastici uberiorem quæstum, qui per Societatem intenditur, appetant, *etiam in rebus* honestis: omnino autem nulliter agerent, si circa res turpes Societatem inirent 9.): si tamen quæsita ex maleficio in medium collata sint, commune erit lucrum 10.).

§. 347.

8.) *Cum Societate res communis est inter eos, qui pariter eandem rem emerunt: sine Societate communis est inter eos, quibus eadem res testamento legata est.* L. 2. ff. commun. divid.

9.) Si maleficii Societas coita sit, constat nullam esse Societatem. L. 57. ff. pro Socio.

10.) L. 53. ibid.

§. 347. Societas dat jus in re, quæ & quatenus communis est: cum igitur ad quemvis rei suæ commoda & incommoda pertineant, æqualitas inter socios servanda, exigit primario communionem lucri; naturaliter autem post se trahit communionem damni, cujus tamen periculum absolute potest abesse, modo id compensetur alia ratione, forte per spem majoris lucri: nam inæqualitas lucri vel damni non tollit substantiam Societatis, sicut pretium majus vel minus non tollit substantiam Emptionis: nonnunquam intercedit aliqua liberalitas; nonnunquam quod uni deest, compensatur per aliud pactum favorabile adjectum. Pactum autem, ut unus omne lucrum solus, alter totum damnum, si forte eveniat, solus sentiat, iniquissimam faceret Societatem, quæ *Leonina* vocatur 11.). Divisio lucri vel damni inter socios, negotium est Arithmeticorum, ubi agunt de Regula Societatis seu Consortii. *Exigens communionem lucri:*

11.) L. 29. §. 2. ibid. ubi de Divisione lucri vel damni agitur.

II. Cambium: §. 348. II. *Cambium* 12.) est Contractus consensualis de pretio Campsori dando, & literis ab eodem Campsore tradendis ad tantundem alibi recipiendum. Hic Contractus Romanis non omnino incognitus 13.), posterioribus sæculis pro majore commerciorum commoditate in artem peculiarem abiit, variarum Provinciarum aut Urbium legibus formatus 14.). Ex data definitione desumitur, quatuor personas in vero Cambio 15.) intervenire. a) Qui *Valu-*

12.) Mediæ ætatis Scriptores per Concambium intelligebant quamvis permutationem, uti videre est apud MARCULPHUM, aliosque Formularum Collectores, juxta notata supra §. 306. Not. 19.

13.) Cambium videtur innuere CICERO Ad Atticum lib. V. ep. 15. lib. XII. ep. 23. lib. XV. ep. 15. Ad familiar. lib. II. epist. 17. lib. III. ep. 5.

14.) Has Leges in unum volumen collegit JOAN. GOTTLIEB SIEGEL. sub titulo: *Corpus Juris Cambialis.*

15.) Cambium siccum seu proprium, omni jure prohibetur, utpote ad palliandam usuram inventum, ubi literæ Cambiales in proprium commodum solius Creditoris formantur, vereque sunt Chirographa, Cambiorum schemate induta.

Valutam, hoc est, pecuniam alio loco solvendam dat, vocatur *Remittens* seu *Campsarius*. β) Qui traditis Literis Cambialibus, curam, ut pecunia sibi data, alio loco restituatur, in se suscipit, dicitur *Trassans* aut *Campsor*. γ) Qui pecuniam alio loco restituit, appellatur *Trassatus* seu *Acceptans*. δ) Ille cui alio loco solvitur, dicitur *Præsentans* seu *Exactor*. Facile intelliguntur variæ inter hos obligationes, quæ ad plures extenduntur, si Præsentans jus suum cedit alteri per *Indossationem*, vel si quis in honorem Trassantis Literas Cambiales ad se non directas acceptat cum Protestatione 16.). Protestationem etiam sine mora interponere debet Remittens aut Præsentans contra Trassantem, si Trassatus acceptare literas Cambiales, vel justo tempore solvere

16.) De acceptatione adjectis literis S. P. id est, *Sous protest*, *Sopra protesto*: item S. P. C. id est, *Sous protest a Compte du Tireur*, videatur Dupuis L'art de Lettres de Change c. 9. Rot. Genuens. Decis. 6. inter Tractatus de Mercatura.

vere cambium nolit 17.). Obligationi, quæ ex Cambio oritur, sine mora est satisfaciendum: habentque Literæ Cambiales paratam executionem, saltem in locis, ubi Leges Cambiales sunt receptæ.

III. Contractus Chirographarius,

§. 349. III. Mediante Chirographo, seu Literis, in quibus quis fatetur, se rem fungibilem e. g. pecuniam ab altero accepisse, eamque in genere restituere promittit, perficitur Contractus *Chirographarius*, vi cujus obligatur quis ad restituendam pecuniam, quam *accepit*: si autem pecunia numerata *non sit*, habet condictionem Chirographi antequam conveniatur; vel exceptionem

17.) Tali casu remittuntur literæ ad Campsorem *mit protest.* Vid. GAIUS de Credito c. 2. tit. 7. n. 2375. & seqq. RHETIUS de Versura. part. 1. c. 1. §. 12. STRYCKIUS de cautel. contract. sect. III. c. 5. §. 17. ubi ponit formulam hujus protestationis. SAVARY Le parfait Negociant. part. 1. lib. 3. c. 6. & part. 3. c. 14. quæ pars continet L'art des Lettres de Change, totam materiam Protestationum tractat secundum usum diversarum Provinciarum & Urbium.

nem non numeratæ pecuniæ intra biennium, intra quod tempus Creditori incumbit probatio, numeratam a se esse pecuniam: elapso biennio confitens Chirographum obligatur ex Literis; unde in Jure Civili obligatio Literis contrahi dicitur 18.).

§. 350. Multi tenent, exceptionem hanc post biennium non admitti, etiamsi liquido probetur, pecuniam non esse numeratam 19.): æquitati tamen conformius est, ut admittatur probatio, saltem extraordinaria & valde convincens de pecunia non numerata: nam lapsus biennii ex Chirographo quidem inducit præsumptionem juris, non autem juris & de jure. Certe si quis se profitetur debitorem ex alia causa, quam mutui, statim quidem obligatur & tenetur; potest tamen probare contrarium per veram & legitimam probationem 20.). Non est

Contra quem datur exceptio etiam post biennium.

18.) Inst. de Literar. obligat.
19.) Hanc sententiam late probat Joan. Harpprecht ad Inst. de Liter. obligat. n. 13. & seqq.
20.) L. 13. C. de non numer. pecun.

ratio, cur non idem liceat in mutuo post biennium 21.).

IV. Contractus Æstimatorius,

§. 351. IV. Contractus *Æstimatorius* dicitur, quo res æstimata certo pretio traditur vendenda alteri, ut eam vel reddat, vel pretium determinatum solvat. Differt a Mandato, quo res certo pretio vendenda alteri committitur 22.): item a Locatione Conductione, qua operam alterius conducimus ad rem vendendam 23.). Unde vi Contractus Æstimatorii, si quis rem pluris vendere possit, excessum supra *pretium* determinatum lucratur; secus Mandatarius, aut Locans operam: si vero rem minoris vendat, eum defectum supplere debet. In Accipientem transfertur

21.) Ant. Gomez variar. Resolut. tom. 2. c. 6. n. 7. & ibi Eman. Soarez a Ribeira in addit. lit. i. Vid. supra §. 278.

22.) De differentia Mandati & Contractus æstimatorii videri potest Leyserus Medit. ad Pandect. specim. 221.

23.) Etiam in Mandato vel Conductione sæpe determinatur pretium, sed solummodo taxationis gratia Lauterbach Differt. vol. 4. disp. 157. §. 2.

fertur jus rem traditam vendendi: an transferatur dominium rei, pendet a voluntate Contrahentium. Si Accipiens rem ſibi retinet ſoluto pretio, eam ſibi vendidiſſe, & dominium acquiſiviſſe cenſetur. Si accipiens rem dolo, vel culpa ſua reddidit deteriorem, pretium conventum ſolvere tenetur. Damnum caſu fortuito datum, accipientis eſt, ſi transferatur dominium; tradentis, ſi non transferatur, niſi accipiens in ſe ſuſceperit omne periculum: hoc ſuſcepiſſe intelligitur, ſi ipſe rogavit, ut ſibi res tradatur 24.), vel ſi *expreſſe* promittat, ſe aut rem redditurum, aut pretium ſoluturum, quia talis de periculo cogitaſſe cenſetur 25.). Oritur exinde Actio bonæ fidei præſcriptis verbis, quæ de æſtimato proponitur 26.).

§. 352.

24.) L. 17. §. 1. ff. de Præſcript. verb.

25.) Sub hac diſtinctione intelligitur Deciſio 113. Rotæ GENUENSIS.

26.) §. 28. Inſtit. de Action. L. 1. ff. de æſtimatoria.

Inter Nominatos & Innominatos numeratus.

§. 352. Dictus Contractus *Æstimatorius* Jure Romano numeratur inter Innominatos 27.), deflectens tamen nonnihil ab eorum natura, & ad nominatos proxime accedens, simulque nomen aliquod habens, sicut & Permutatio. Innominatus enim strictè dicitur Contractus proprio & speciſico nomine carens, quo aliquid præstatur, ut alter viciſſim aliquid præstet. Differentia inter Contractus nominatos & innominatos, mere est Juris Civilis Romani; nulla autem juris naturalis. Unde etiam *noſtris* temporibus, quæ Jus formularium respuunt, & nudis etiam pactis actionem tribuunt, eadem ex Innominatis, quæ ex Nominatis obligatio oritur, nec locus pœnitentiæ datur, quamdiu & in quantum quis est obligatus. Qui igitur rem accepit, & accipiendo se obligavit, impune pœnitere non potest; nec etiam ego, qui ex parte mea præstiti; modo etiam alter præstare sit paratus. Si enim hic vel nolit, vel non possit implere pactum, possum repetere datum: nam hoc videtur actum, si & alter a parte sua pactum

27.) De quibus *supra Tit. II. §. 226.*

pactum impleat: si id vel casu non possit, vel culpa sua nolit, mihi pœnitendi licentia non est adimenda, qui in hunc eventum me nunquam obligavi 28.).

TITULUS XIII.

DE CONTRACTIBUS ALEAM CONTINENTIBUS.

§. 353.

CONtractus aleam continentes dicuntur, *quibus convenitur super incerto eventu*, a quo suspenditur, quod dari vel fieri, vel etiam non dari, vel non fieri debet, modo istud dare vel facere nulla lege sit prohibitum. Ad justitiam horum contractuum observanda est æqualitas, ut spes lucri & metus damni ab utraque contrahentium parte sit idem, omnisque fraus absit. Quamvis autem tales Contractus, quando non sunt contra jus tertii, quoad eum, cum quo contrahitur, subsistant; nihilo- *Inter Contractus Aleam continentes.*

28.) Stryckius de Cautel. Contract. Sect. III. c. V. §. 4. seq.

nihilominus sæpe jure naturali illicite fiunt, quando scilicet quis in dando vel faciendo libertate naturali abutitur, quod ex officiis erga se & alios dijudicatur. Nam fere semper contingit, ut damnum incurrat unus contrahentium, quorum quilibet prodit animum sese locupletandi cum alterius damno: naturaliter autem obligamur ad damnum tum a nobis, tum ab aliis avertendum. Unde vix potest salva conscientia iniri contractus aleam continens, si aliter contrahi potest, aut nisi singulares rationes utrique favorabiles suadeant potius Aleam contrahere. Hæc magis patebunt in sequentibus exemplis, scilicet Sorte, Lusu, Sponsione, Assecuratione 29.).

Sunt I. Sortis

§. 354. Primum locum meretur *Sors*, per quam intelligitur res, a cujus fortuita determinatione suspenditur acquisitio rei alterius corporalis,

---

29.) Præter plures hujus generis contractus, potest huc revocari Emptio spei, de qua mentio facta est supra Tit. X. de Emptione §. 316.

lis, vel incorporalis. Fortuitam determinationem dicimus, quæ non fit consilio humano. Subjacent quidem omnes eventus etiam sortes, Providentiæ Divinæ: Sors tamen consilio humano non est præferenda, cum Deus animæ nostræ nobilissimas facultates dederit ad actiones prudenter determinandas. Dein, quando determinationem sorti committimus, ex plerumque dispositiones humanæ concurrunt, quæ post se naturaliter trahunt certum effectum: cum tamen eas non satis discernamus, fortuito aliquid fieri credimus. Si jacimus tesseram, certus modus eam tenendi, agitandi, jaciendi, naturaliter postulat, ut appareat hic potius, quam alius numerus: cum tamen nos tam minutas modificationes non discernamus, casu numerum prodire censemus. Unde frequenter contingit, ut effectus aliquis intuitu unius sit fortuitus, qui ab alio ex industria & prudenti destinatione factus est. Colores a Pictore quodam indignabundo in os equi temere projecti aptissime repræsentabant spumam, quam alius artificioso penicillo efformat.

§. 355.

Variæ Species:

§. 355. In Contractibus 30.) locum potest habere *Sors Electrix*, quando convenitur inter plures, quamnam ex rebus pluribus quis habere debeat, vel utrum aliquid, an nihil habere debeat. In variis negotiis evenire id potest e. g. ut determinetur, an pro re empta accipi debeat pretium, quod offert emptor, an vero dandum sit, quod exigit venditor. Item potest donator donare sub hac conditione, ut per sortem eligatur, quid donatum esse debeat, vel etiam per eandem dirimatur, utrum donatum esse debeat, nec ne. *Contractus Sortis divisoriæ* est, quo facta rei communis divisione, partium distributio sorti committitur, ut scilicet per eam determinetur, quamnam partem unusquisque habere debeat. Contractus *Sortis attributricis* est, quo ita convenitur, ut res aliqua indivisibilis, ad quam duo vel *plures* æquale jus habent, sit ejus, quem sors ostenderit.

§. 356.

30.) De Sorte Divinatoria, vel Judiciali occurret alibi sermo.

§. 356. Contractus Lusorius est, quo ita convenitur, ut certum quoddam lucrum sit ejus, ex cujus parte extiterit certa quædam conditio. *II. Ludus*

Est autem ludus vel *fortuitus*, cujus eventus a sola fortuna pendet, uti ludus tesserarum: vel *artificialis*, in quo eventus dependet ab usu facultatum animæ, vel corporis, seu a sola arte, uti lusus latrunculorum seu scacchorum: vel *mixtus*, in quo eventus partim a fortuna, partim ab usu facultatum nostrarum dependet. Sic plerumque in lusu chartarum a fortuna pendet, quæ chartæ ludenti obveniant; ab arte autem pendet, quam apte quis illis utatur. Quomodocunque sumatur lusus, semper aleam quandam continet, cum etiam in artificiali incertum sit, an bene vel male usurus sim facultatibus animæ vel corporis. Unde illicitus est lusus, si libertate naturali abutimur ad aliquid, quod Officiis nostris est contrarium. Sic illicite agimus, si solo lucrandi animo ludamus, aut si pecuniam sorti exponamus, qua ad res necessarias vel utiles comparandas, aut ad prospi-

ciendum futuræ neceſſitati indigemus, aut quæ pro ſtatus ratione expendi deberent in eleemoſynas pauperum.

Fortuitus,

§. 357. Luſus alearum, ſub quo comprehenditur omnis luſus fortuitus, prohibitus eſt ab Imperatore JUSTINIANO, etiam militibus 31.), cum multi ludendo ſubſtantias ſuas perdant, & familiam ad incitas redigant, aut in ludo perdentes, Deum blaſphement: nominatim etiam Clericis 32.), adeo quidem, ut aliis ludentibus *participes eſſe*, aut inſpectores fieri *prohibeantur*, indigni alias beneficiis Eccleſiaſticis 33.). Tolerantur quidem in foro externo aliqui tales ludi, & obligamur alteri, cum quo contrahimus, modo ſervetur æqualitas, ſcilicet periculum amittendi & ſpes lucrandi

---

31.) L. fin. C. de Aleatoribus.

32.) Auth. interdicimus. C. de Epiſc. & Cleric.

33.) Irritatur collatio Beneficii facta illi, qui probatus fuerat publicus aleator, ac uſurarius manifeſtus, utpote qui undecim denarios pro duodecim mutuaverat in ludo. C. 11. de Exceſſ. Prælat.

di eadem utrinque 34.). Si solius jucunditatis percipiendæ, & animi recreandi gratia luditur, id quod periculo subjicitur, non debet excedere impensas, quas jucunditatis vitæ causa facere licet. Eodem modo loquendum de ludo sanitatis causa suscepto, ubi facultas locomotiva exercetur: tantum enim licet periculo exponere, quantum ad valetudinem tuendam pro conditione hominis prudenter expendere decet. Ludos autem artificiales & mixtos unicuique ludere licet sine contractu lusorio, ubi nec periculum aliquid perdendi, nec spes lucrandi in-

34.) Quid autem sentiendum sit pro foro interno, relinquo Theologis Moralibus. S. ANTONINUS in Summula Confessional. part. 2. de peccat. avar. c. 3. de turpi lucro. item in Sum. part. 2. tit. 1. c. 23. §. 13. docet, taxillorum vel chartarum artifices peccare mortaliter, nec posse absolvi, nisi talia dimittant, cum homines his rebus ut plurimum utantur ad peccatum mortale. Unde aliqui colligunt, usum alearum & chartarum, si adhibeantur ad ludum lucratorium, per se esse peccaminosum, & solum per accidens fieri nonnnnquam licitum.

tervenit, modo quis ea occasione officio suo non desit, perdendo nimium tempus, lædendo valetudinem, negligendo functiones vel decentiam status sui &c.

Ex quo acquiritur dominium pecuniæ:

§. 358. Quamvis Lex Civilis alterum usum prohibeat, non tamen eum efficit irritum, nec prohibet dominium pecuniæ a ludente acquiri: sed solum in pœnam concedit victo soluti repetitionem competentibus actionibus 35.). Unde ante sententiam Judicis non obligatur victor restituere, quod accepit, nisi malis artibus fuerit usus, quoniam ea res ad pœnam spectat, quam nemo tenetur subire ante sententiam. Si quis ad creditum ludit, data fide solvendi pecuniam amissam, videtur non obligari: si enim solutum potest repetere, multo magis non tenetur solvere. In praxi tamen, præsertim inter honestos & Nobiles videtur turpe, si amissa pecunia non sol-

35.) Hæc solet statui limitatio & exceptio a Regula, quod actus a Lege prohibitus, sit eo ipso irritus. Vid. Prægogn. Jur. Canon. §. 130.

ſolvatur. De Ludo præter multos, ſcribunt PARIS DE PUTEO, JOAN. BAPT. CACCIALUPUS, STEPHANUS COSTA, THOMAS ACTIUS de Ludo Scacchorum, qui continentur in Tractatibus Tom. 7. Item qui ſcribunt de Jure & Juſtitia, aut de Contractibus jam ſæpius nominati. Italice tractatum de Ludo edidit P. CÆSAR CALINO, qui conſtituit Lectionum tom. 5. part. 2. in Librum I. Regum.

III. Sponſio

§. 359. Cum Luſu affinitatem habet *Sponſio*, ſeu Contractus, quo ſuper eventu incerto ita convenitur, ut ei, qui exiſtentiam affirmat, ab altero qui negat, certum quid detur ſecuto illo eventu, qui vel eſt futurus, vel etiam præteritus, modo non ſit notorius alterutri eorum, qui inter ſe contendunt: dolum enim committeret, qui de eventu omnino certus ſimularet ignorantiam ejus, de quo agitur, ut magis alterum ad ſpondendum inducat. Aliud nonnulli ſtatuunt in ludo. Sæpe enim alter ex ludentibus ob chartas ſibi bona ſorte obtingentes adeo potiores partes ludi habet, ut certo & neceſſario victor evaſurus ſit: hoc caſu quæritur, an iſte ſponſionem augere,

appositamque pecuniam, certus de ejus lucro, duplam efficere possit, altero ob ignorantiam minime recusante sponsionem illam? Licitum id graves Autores affirmant, ob naturalem ludi legem, quæ consensu utriusque hanc conditionem videtur habere, ut qui meliorem conditionem habuerit, is possit, etiam certus de lucro, alterum ad augendam sponsionem invitare, modo alia fraus minime subsit. Quamvis enim pro illa vice melior sit lucrantis conditio, satis tamen est, quod pro toto tempore, quo ludus continuatur, in lege illa æquales sint: nam quod uni nunc accidit, hoc idem poterit alteri accidere.

Tam in lusu,

§. 360. Vicissim secundum easdem Ludi leges, mutua conventione probatas, qui ob pejorem eventum scit, se appositam pecuniam certo perdere, potest dissimulata siniſtra chartarum fortuna, sponsionem augere, ut cogat alterum inscium & ignarum cedere, & eandem recusare: qua ratione consequitur pecuniam appositam, quam si sponsionem non auxisset, alter tuto habiturus esset; ipse tamen sponsionem augens tali casu periculum subit amittendæ pecuniæ,

quam

quam modo addit, si alter minime cedens, provocationi consentiat 36.). Quamvis hæc ob mutuam conventionem tolerentur, apparet tamen, quam periculosus sit Contractus lusorius, in quo ex aliena ignorantia, & propria simulandi arte, lucrum cum alterius damno quæritur: & licitum censetur vafre alterius loculos emungere ex ea sola ratione, quod idem alteri in me permittam.

§. 361. Extra hos casus Lusorios, sponsio non eam quidem, quam aleæ lusus, turpitudinem continere videtur, unde etiam Lege Civili approbatur 37.): nihilominus plerumque improbari meretur, cum sit indicium vel hominis prodigi, qui res suas absque prudente causa periculo exponit, vel immoderate cupidi, qui sine industria aut merito, marsupium alterius expilare conatur. Singulariter improbatur sponsio super re aut conditione turpi & inhonesta: item de *Quam extra lusum:*

36.) Vid. Covarruv. in c. peccatum §. 4. n. 6. Joan. Medina de Restit. quæst. 22. in fin.

37.) L. 17. §. 5. ff. de Præscript. verb.

morte Principis, de urbis obsessæ deditione &c. 38.).

IV. Assecuratio, 362. *Assecuratio* est aversio periculi pro certo pretio: quando scilicet unus in se suscipit periculum, alter vero pro hoc facto certum promittit pretium. Assecuratio *terrestris* est super rebus quæ terra, *maritima* super rebus quæ mari transvehuntur. Variæ diversorum locorum leges sunt de Assecuratione. Jure Naturali ad Justitiam hujus contractus requiritur æqualitas inter verum, non simulatum periculum damni *incerti, quod* unus in se suscipit circa pecunias, aliasve merces transvehendas; & inter pretium certum, quod alter persolvit, ex æstimatione communi, vel mutua conventione determinandum. Communiter intelligitur periculum, quod casu fortuito provenire solet; non autem illud, quod casu *prorsus* insolito contingit, aut *tempore* contractus timeri non poterat, nisi aliud in literis conventionis exprimatur. Hoc Assecurationis pactum etiam alteri

38.) Zypæus Not. Jur. Belg. lib. 3. in fin.

teri Contractui adijci potest, in quo scilicet quis pro certa mercede in se suscipit casum fortuitum, vel periculum rei ad se vi illius contractus non pertinens.

§. 363. Assecuratio hæc confundi non debet cum *fœnore nautico* Romanorum, quod directe respiciebat pecunias mutuas, & usuram propter usum earum solvendam, in majore tamen quantitate ob conjunctum periculum. De hoc fœnore nautico loquitur Gregorius IX. 39.), dicens: *Naviganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus.* Cum enim eo tempore Contractus Assecurationis nondum certis regulis fuisset adstrictus, nec ab aliis conventionibus sat clare discretus: ideo illi qui pecuniæ mutuo datæ & trajiciendæ periculum pro pretio in se suscipiebant, *censebantur* contraxisse Mutuum juxta Leges Civiles usuram permittentes, & quidem vehementer auctam ob transvectionis periculum. *Non connon debet cum fœnore nautico Romanorum, quod directe respiciebat pecunias mutuas, & usuram propter usum earum solvendam, in majore tamen quantitate ob conjunctum periculum.*

39.) In C. Naviganti, ult. de Usuris.

Suſpicabantur aliqui Interpretes, in dicta Decretali omiſſam eſſe particulam *Non*: admittenda non videtur hæc interpretandi methodus, qua absque ſufficiente fundamento propoſitio affirmativa transmutatur in negativam contra omnium exemplarium fidem, præſertim cum S. Raymundus de Pennafort, Decretalium Collector, eandem quæſtionem affirmative reſolvat 40.), adjecta hac clauſula: *expreſſa eſt hodie Decretalis ext. eod. Naviganti* 41.). Igitur juxta Gregorium IX. *cenſendus* erat uſurarius, qui ob ſuſceptum *mutuo* datæ pecuniæ periculum, recipiebat aliquid ultra ſortem, quia paciſci videbatur juxta Leges Civiles de veris uſuris, quas in ſe continebat fœnus nauticum. Cum tamen hoc tempore Contractus Aſſecurationis certis regulis ordinatus, a fœnore *nauti-*

co

40.) In Summa lib. 2. tit. de uſuris. §. 7.

41.) Non obſtante hac obſervatione de doctrina S. Raymundi recentiſſime Cl. D.us Amort. in Element. Jur. Canon. tom. 1. ad tit. de Uſur. §. 5. fol. 541. Decretali Gregorianæ præfigit particulam *Nec.*

co Legum Civilium longiſſime diſtare ab omnibus agnoſcatur, poteſt quis innoxie pretium recipere pro aſſecuratione, etiam Mutuo adjecta, cum per hanc nec Mutuum, nec alius contractus quoad ſubſtantiam immutetur 42.).

§. 364. De famoſo hoc Contractu Aſſecurationis videri merentur BENVENUTUS STRACCHA & PETRUS SANTERENENSIS tract. de Aſſecuratione, STYPMANNUS, & LOCCENIUS de Jure maritimo. SCACCIA de Commerciis. SAVARY le parfait Negociant. GIBALINUS de Uſuris. ALVARUS VALASCUS, ANTONIUS DE GAMA, & Rota GENUENSIS in variis Deciſionibus. Rigor Moderatus circa uſuras Diſſert. III. §. 112. ſeqq. *Scriptores de Aſſecuratione.*

TITU-

42.) Vid. Rigor Moderatus circa uſuras Diſſert. II. §. 63. ſeqq. Diſſert. III. §. 131. ſeq.

TITULUS XIV.
DE QUASI CONTRACTIBUS.

Confer. Lib. 1. *Decretal. tit.* 35. *Sext. tit.* 18.

§. 365.

Quasi Contractus sunt

DIctum hucusque de Contractibus, qui ex vero naturali consensu oriuntur: nunc agendum de quasi Contractibus, qui constant Consensu a Lege, æquitatis causa ficto. Hinc quasi Contractus dici solet, Negotium quoddam, quo quis alteri sine conventione obligatur. Talis est Negotiorum gestio, Tutelæ administratio, Communio rei, Aditio hæreditatis, Solutio indebiti 43.). Ubicunque de Contractibus in Legibus Municipalibus aut Sta-

43.) De his agit totus Titulus Inst. de obligat. quæ quasi ex Contract. nasc. videantur Commentarii in hunc titulum. Alia quædam negotia, quæ huc referri possunt, enumerat Bocerus in Comment. ad Leg. Contractus. 23. ff. de R. J. cap. 1. in fin.

Statutis aliquid disponitur, idem in quasi Contractibus, si modo eadem ratio vigeat utrobique, valere ac procedere debet 44.).

§. 366. Prima quasi Contractus *I. Negotiorum gestio.* species est *Negotiorum gestio*, quando quis alterius absentis & ignorantis negotia sine mandato utiliter gerit. Facile ex hac definitione se prodit differentia inter *negotiorum gestionem*, & inter verum Contractum *Mandati* 45.). Ex hoc quasi Contractu duplex nascitur actio, una Directa, altera Contraria. *Directa* datur domino rei gestæ adversus ipsum gestorem, ad hoc ut gestionis sive actus sui rationem reddat, quodque ex negotio domini percipit lucri & commodi, hoc omne ei restituat, damnumque quod negligentia ipsius, culpa vel dolo datum est, resarciat. De leviſſima autem culpa teneri negotiorum gestorem, communior est sen-

44.) Quomodo & quando argumentum a Contractibus ad quasi Contractus procedat, docet NICOLAUS EVERHARDUS in Topicis Legalibus, in loco a *Contractibus ad quasi Contractus.*

45.) De hoc supra Tit. VII.

sententia, cum Imperator Justinianus 46.) *exactissimam* requirat diligentiam, cui culpa levissima opponi solet: cum enim negotiorum gestor sua sponte, non rogatus se negotio offerat, sane in plus tenetur, quam alias negotium pati videtur. addit tamen Imperator limitationem, *si modo alius diligentior commodius administraturus esset negotia.* Videtur itaque sufficere, si ea adhibeatur diligentia, qua majorem nemo alius adhibiturus esset. Insuper *si affectione coactus, ne bona mea distrahantur, negotiis te meis obtuleris, equissimum est, dolum duntaxat te præstare* 47.).

Ex qua obligatur Gestor,

§. 367. Casum fortuitum negotiorum gestor regulariter non præstat: præstare eum tamen tenetur, si tale negotium suscipiat, quod dominus non solitus erat gerere: si casui fortuito causam præstiterit & occasionem: si speciali pacto *casum fortuitum* in se receperit: aut si negotium non propter utilitatem domini, sed sui lucri causa gesserit.

§. 368.

46.) §. 1. Inst. de obligat. quæ quasi ex contr. nasc.

47.) L. 3. §. 9. ff. de Negot. gest.

§. 368. Contraria Negotiorum gestorum Actio tribuitur ipsi gestori contra dominum, ad præstandum, quidquid gestionis ratione ille utiliter impendit, vel amisit. Interdum dominus non obligatur, veluti si te prohibente negotia tua quis gesserit; aut quisquam alius gratis in negotia tua sumptus facere paratus fuerit; vel gestor animo donandi sumptus pro altero fecerit, puta pietatis affectione ac respectu, vel amicitia ductus, aut officii & obsequii ratione; vel si gestor voluptuarias tantum, & minime utiles expensas fecerit. Sufficit autem, si ab initio utiliter factæ sint, etsi postea negotium sortiatur contrarium eventum. *Et dominus rei gestæ.*

§. 369. Secunda species quasi Contractus est *Tutelæ administratio.* Nihil quidem inter Tutorem & Pupillum actum, nihil tractatum est, & ideo verus Contractus non intercedit: nihilominus ob utilitatem publicam ex utriusque parte fingitur quidam consensus intercedere: ac proinde obligatio ex tutelæ administratione descendens, ex quasi Contractu procedere dicitur, quo Tutor *II. Tutelæ administratio:*

tor ad personam, & consequenter etiam res Pupilli fideliter gerendas constitutus obligatur.

Ex qua oritur duplex actio.

§. 370. Promanat inde Actio Tutelæ Directa & Contraria. *Directa* Pupillo, finita demum tutela, competit contra Tutorem, ut administrationis suæ rationem reddat 48.). In hanc Actionem regulariter venit dolus, lata & levis, non item levissima culpa Tutoris. *Contraria* Tutelæ actio Tutori datur in adultum jam pupillum, de his, quæ propter tutelam absunt, dummodo ex officio sumptus fecerit, vel *obligatus sit.* Sicut enim lucrum facere ex tutela tutor non debet, sic neque damnum sentire 49.). Actio hæc Tutelæ est perpetua, daturque hæredi &

48.) Juxta Leges Imperii *Tutores* ad requisitionem Magistratus singulis annis calculum administrationis ponere coguntur, Reform. Polit. Augustæ 1548. Tit. 31. §. 3. Item Francofurti 1577. Tit. XXXII. §. 3.

49.) De modo & æstimatione impensarum pupillarium tractat JOAN. GANSIAS in tract. de Expens. & Meliorat. c. 20.

& in hæredem, ceterosque successores. Salarium tamen pro administrationis opera Tutor hac actione petere non potest, nisi sit ab eo, a quo datus est, constitutum.

§. 371. Tertia quasi Contractus species est *Communio Rerum*, qui sine Societate, & sine mutuo consensu 50.), sed ex Legato, Donatione, vel hæreditate pluribus relicta exoritur, obligatque unum alteri ad res communes, sive autoritate Judicis, sive accepto Arbitro, sive per sortem dividendas, & personales quasdam præstationes. *III. Communio rerum,*

§. 372. Alia est *Communio Familiæ*, uti inter cohæredes, ex qua nascitur Familiæ herciscundæ actio, ad res, quæ a defuncto profectæ sunt, dividendas, & ad præstationes quasdam personales, e. g. circa bona profectitia liberis præstanda; circa fructus ab uno hæredum perceptos; circa sumptus bona fide in rem hæreditariam factos, circa damna ab *Vel Familiæ;*

50.) Uti notatum supra Tit. 12. §. 346.

uno hæredum in commune tolerata, aut culpa levi illata.

Vel rerum singularium.

§. 373. Alia est *Communio Rerum singularium* inter eos, quibus quocunque modo res singulæ communiter obvenerunt, veluti titulo Legati, Donationis, vel etiam Casu. Hujus Communionis obligatio iterum duas causas continet, rerum scilicet communium divisionem & præstationes quasdam personales. Si res communis divisionem commode recipiat, partes ejus singulis adjudicandæ sunt: si commode dividi nequeat, *tunc* ea res tota uni adjudicari debet, & *is* invicem alteri certam pecuniam, vel aliud æquivalens præstare debet. Præstationes personales consistunt in sumptibus ab uno factis, fructibus perceptis, damno culpa dato, aut speciali inter socios conventione. Ex hac Communione descendens *Actio*, *Communi dividundo* appellatur: *Directa*, si proprietas rei sit communis; *Utilis* vero, si quod aliud jus commune fuerit, veluti ususfructus aut pignus. Porro Leges nolunt perpetuam communionem induci, neque invitum in Communione detineri,

neri, ne discordiæ & rixæ inter socios oriantur.

§. 374. Quarta quasi Contractus *IV. Aditio hæreditatis.*
species est *Aditio hæreditatis*, qua hæres adiens hæreditatem, obligatur Legatariis ad præstanda Legata, quæ a Testatore sunt relicta. Ab aliis Creditoribus hæreditariis hæres convenire debet non ex novo quasi Contractu; sed potius ex Contractu antiquo, quo tenebatur defunctus, cujus personam hæres sustinet & repræsentat.

§. 375. Quinta quasi Contractus *V. Solutio Indebiti.*
species est *Solutio indebiti.* Cum enim quis indebitum, quod per errorem se debere existimat, tanquam debitum, sui liberandi causa alteri solvit, fingitur cum altero convenisse de re soluta, si indebita apparuerit, sibi restituenda. Habet hæc solutio indebiti magnam similitudinem cum mutuo 51.). Requiritur autem, ut

51.) Hinc solutio indebiti etiam numeratur inter Contractus reales, quia sicut Mutuum, non potest esse efficax, nisi res, id est, solutio pecuniæ interveniat, uti habe-

ſolvatur, quod nullo jure, nec Civili, nec Naturali debetur: deinde ut indebitum ex errore facti ſolvatur. Nam ſi quis ſciens ſe non debere ſolvit, donare cenſetur: error autem juris, ſoluti repetitionem regulariter impedit, exceptis Minoribus, fœminis, militibus & ruſticis, quando in iis ignorantia juris poſitivi toleratur. Ex hoc quaſi Contractu proficiſcitur actio, quæ *Condictio indebiti*, vocatur, qua quis repetit id, quod indebite per errorem alicui ſolvit. Legata, quæ tanquam Eccleſiis aut aliis locis piis relicta exiguntur, & ab hærede, metuente ne lis inficiando creſcat, ſolvuntur, repeti non poſſunt, licet poſtea conſtet, ea relicta non eſſe; cenſetur enim hæres cauſa transactionis ac pietatis reſpectu potius ſolvere, quam ancipiti litis diſcrimini ſe committere velle 52.).

TITU-

habetur §. 1. Inſt. quib. mod. re contrah. oblig. ad quem locum Interpretes paſſim agunt de ſolutione indebiti.

52.) §. fin. Inſt. de obligat. quæ quaſi ex contract. &c. Conſtitutum eſt, ut hæres, qui rem Eccleſiis aut Cauſis piis

TITULUS XV.
DE PIGNORIBUS.

Conf. Lib. 3. Decretal. tit. 21.

§. 376.

ALia quædam ſpecies Contractuum eſt, qui nullum quidem Dominium, nihilominus dant Jus in re aliena. Nam præter Dominium, Hæreditatem, ac Poſſeſſionem, Juris Realis ſpecies ſunt, Pignus & ſervitus. De his duabus cum habeant etiam naturam Contractus, hoc loco dicendum eſt. *Jus in re aliena,*

piis legatam eſſe negat, in duplum condemnetur, ſi legatam eſſe convincatur: uti etiam actiones ex lege aquilia, inficiatione damni dati; aut actiones depoſiti, per inficiationem rei ex cauſa incendii, ruinæ, naufragii & tumultus, depoſitæ, in judicio duplicantur, ſi quis mendacii convincatur. L. 4. C. de Leg. aquil. §. ſed furti. 26. Inſt. de action. Quando igitur aliquid exigitur tanquam cauſæ piæ legatum, vel ob damnum injuria datum, vel tanquam depoſitum: idque ſolvitur ne actio in duplum inſtituatur, ſolutum non repetitur

Pro cautione debiti

§. 377. Ex Contractibus hucusque recensitis variæ oriuntur obligationes in posterum implendæ. De his præstandis Creditores exigunt securitatem: ad hanc respicit Rubrica Juris Canonici *de Pignoribus & aliis Cautionibus.* Cautio in genere est securitas, quæ alteri præstatur de Solutione debiti. Est vel simplex, vel Juratoria, vel Pignoratitia, vel Satisdatoria aut Fidejussoria. Per *Idoneam* intelligimus Fidejussoriam vel Pignoratitiam. Ob paupertatem sufficit nonnunquam Juratoria, aut etiam simplex, si Creditor *fidem* habeat. Si Leges requirunt *Satisdationem*, requiruntur Fidejussores. Posset

---

titur, etsi postea constet, *indebite* esse solutum. JOANNES HARPPRECHT ad §. 1. Inst. quib. mod. re *contrah. oblig.* n. 77. seqq. huc applicat *Legem* 53. ff. de R. J. *cujus per errorem dati repetitio est, ejus consulto dati donatio est*, cum in dictis casibus indebitum, non tam per errorem, quam a sciente, vitandæ scilicet litis, & pœnæ causa, quæ inficiatori imminet, solutum videatur. Hunc loquendi modum a BOCERO improbatum, defendit HARPPRECHT loc. cit. n. 83.

set moveri scrupulus, quo jure Creditor petere possit Pignus aut Fidejussores: cum enim hac ratione imponatur grave onus, videtur lædi æqualitas Contractus. Certe propter concessam dilationem solutionis non potest tale onus imponi, nisi concurrat alius titulus. Videtur itaque, quod Debitores sibi ipsis debeant imputare, cum sint sæpe infideles in solutione: quamvis enim unus vel alter sit fidelissimus, nihilominus propter periculum universale, singuli debent pati hoc onus.

Dat Pignus

§. 378. *Pignus* est Contractus realis, quo res aliqua Creditori in securitatem debiti ita traditur, ut soluto debito eadem in specie sit restituenda. Supponitur itaque debitum, saltem naturale, etiamsi sit debitum alienum. Ex hoc Contractu oritur Jus reale in re oppignorata.

Et Hypotheca,

§. 379. *Hypotheca* a Pignore presse accepto distinguitur in eo, quod Pignus perficiatur actuali traditione rei oppignoratæ; *Hypotheca* vero nuda conventione, qua res tantum obligatur Creditori sine actuali traditione, & possessionis translatione: ni-

hilominus etiam per Hypothecam Creditor consequitur jus in re vi juris Prætorii 53.).

Varie divisa. §. 380. Hypotheca, uti & Pignus, alia est *Expressa* & Conventionalis, alia *Tacita* & Legalis, quæ constituitur re ipsa, aut ex legis dispositione. Talem habent Fiscus, Pupillus, Communitas, Causa pia, Liberi prioris Matrimonii, Conjuges, Creditor ad refectionem ædium, Venditor donec pretium solvatur, Legatarius, Locator prædii urbani in rebus illatis, Locator prædii rustici in fructibus. Hypotheca alia est *Generalis*, quando oppignorantur omnia bona, aut quoddam genus bonorum e. g. totus grex ovium; alia *specialis*, quando

53.) Clausula Constituti possessorii, Hypothecæ hodie adjici solita, veram possessionem in Creditorem transfert, ita ut Debitor posthac possideat nomine Creditoris, cui proin competunt Remedia possessoria, etiam contra tertium possessorem, in quem Debitor absque scientia Creditoris rem alienavit, ita ut locum non habeat beneficium Excussionis, quod alias competit tertio possessori.

do oppignoratur aliqua res in ſpecie, ſingularis & determinata. Alia eſt *Publica*, per quam proprie intelligitur Pignus *Judiciale neceſſarium* autoritate Judicis conſtitutum, quando debet cautio præſtari, veluti quando quis immittitur in bona alterius contumacis, vel ratione nuntiationis novi operis conſtituitur hypotheca, vel in cauſa damni infecti. Hypotheca *privata* eſt, quæ fit voluntate propria, etſi coram Judice.

Quis pignus conſtituere,

§. 381. Pignus Tacitum & Legale conſtituit ſolus Legislator: Neceſſarium vel Judiciale dat Judex Ordinarius, pro quantitate debiti liquidi, ad inſtantiam Creditoris & prævia cognitione cauſæ, etiam per requiſitionem Judicis rei ſitæ, ſi res iſta ſit ſub alterius Jurisdictione. Pignus, ſeu Hypothecam privatam & conventionalem conſtituere poteſt, qui poteſt alienare. Emphyteuta poteſt oppignorare dominium utile. Vaſallus poteſt illud quidem hypothecare, non autem oppignorare: Adminiſtratores rerum alienarum, vel Procuratores non poſſunt, niſi habeant Mandatum ſpeciale: fæminæ poſſunt in debito proprio, non

tamen pro extraneo efficaciter ob SC.tum Vellejanum: Prælatus Ecclesiasticus potest oppignorare res mobiles non pretiosas: alias res potest quidem hypothecare generaliter pro utilitate Ecclesiæ, non autem specialiter 54.): bonæ fidei possessor potest oppignorare; sed resoluto jure dantis, resolvirur jus accipientis.

Quis accipere possit? §. 382. Accipere Pignus potest, qui habet jus exigendi *debitum*, & contrahendo obligari potest. Unde Pupillus, & Minor, cum ad custodiam se obligare non possint, efficaciter non acceptant Pignus sine autoritate Tutoris 55.). Pro debito conditionato non nisi conditionate, & eventualiter acceptatur Pignus.

Quæ Res §. 383. Oppignorari potest omnis & sola res, quæ emi, vendique potest, etiam jura, nomina *debitorum*

54.) C. 5. de Reb. Eccles. alien. prohibentur Prælati rem immobilem Ecclesiæ suæ *specialis* hypothecæ titulo obligare.

55.) Juxta Codicem Civilem Bavariæ part. 2. c. 6. §. 7. Minores & Pupilli rationis compotes non indigent autoritate Tutoris ad acceptandum pignus.

rum &c. Hinc oppignorari non potest res sacra 56.), litigiosa, usus rei concessus. Eadem res potest pluribus generaliter hypothecari, non tamen specialiter, nisi sufficiat pro utroque debito. Creditor rem sibi oppignoratam potest alteri oppignorare, non tamen pro majore quantitate: potest etiam secundus Creditor dare tertio, hic tamen non ulterius, ut vitetur processus in infinitum: si autem debitor primus solvit debitum, extinguitur jus pignoris etiam in secundo. Maritus non potest obligare fundum dotalem, nec bona dotalia mobilia, nisi sint æstimato data, quorum periculum statim in maritum transit. Ex oppignoratione rei alienæ non oritur quidem actio realis, sed tamen personalis, etiam ad hoc, ut alia hypotheca utilis substituatur. Hypotheca feudi non dat jus reale, nisi cum consensu domini: valet tamen quoad fructus. In hypotheca generali

56.) Potest tamen in re sacra e. g. Calice consecrato, obtineri jus detentionis, donec debitum solvatur.

nerali includuntur etiam merces venales & pecuniæ in genere, non autem in ſpecie: item bona futura; non autem ea quæ quis veroſimiliter non eſſet ſpecialiter oppignoraturus, ſcilicet quæ ad quotidianas neceſſitates in ſupellectile 57.), lecto, veſtibus, inſtrumentis artis, neceſſaria ſunt 58.): nec bona feudalia, fideicommiſſa, emphyteutica, absque conſenſu domini vel eorum quorum intereſt: hypothecati tamen cenſentur fructus horum bonorum. Non cenſentur hypothecata ſalaria militum 59.), quibus æquiparantur ſala-

57.) Supellex comprehenditur in tacita hypotheca inter illata in prædium, quia alias vix ſatis eſſet proſpectum locatori: in generali autem hypotheca ſupellex cenſetur eſſe quid modicum, niſi forte debitor aliud non habeat. Unde inter res illatas in domum conductam communiter habentur etiam libri hypothecati ſtudioſorum; non autem ſub hypotheca generali intelliguntur libri Doctoris ad illius facultatem pertinentes.

58.) Unde ſi hæc neceſſaria poſtea expreſſe & ſpecialiter oppignorentur, iſte poſterior creditor eſſet præferendus.

59.) Arg. l. 4. C. de execut. rei judic.

salaria Doctorum. Idem multi tenent de Reditibus beneficialibus, saltem necessariis ad congruam sustentationem 60.). Oppignorato Castro, cui adhæret Jus Patronatus, non censetur oppignoratum Jus Patronatus 61.): hoc enim tantum est jus honorificum, nec recipere censetur æstimationem, nec reale commodum affert.

§. 384. Constituitur Pignus per actualem traditionem, & Hypotheca per nudam conventionem 62.). Cavendum autem, ne adjiciantur Pacta *Et quomodo oppignorari possit?*

60.) Fructus anni mortualis valide fuisse oppignoratos, decidit P. SCHMALZGRUEBER tom. 2. Consil. 40. Idem sentio, saltem si alia suppetant ad finem illum consequendum, propter quem conceduntur illi fructus.

61.) Colligitur ex C. 18. de Sent. & Re judic. idem expresse tenet Concilium Provinciale SALZBURGENSE anno 1420. cap. 22. cujus rationem non probat EMMAN. GONZALEZ in Not. ad dict. c. 18. lit. e. add. GARCIA de Beneficiis part. 5. c. 6. n. 6. seq.

62.) In Bavaria ad Hypothecam specialem rei immobilis requiritur scriptura, & apud plebejos autoritas Magistratus, non autem ad pignus.

cta a Legibus reprobata, quale est pactum Legis Commissoriæ 63.), nisi adjiciatur in pœnam culpabilis moræ, vel hac conditione, ut quod ultra debitum supereſt, restituatur creditori. Item Pactum Antichreseos 64.), nisi in quantum ex aliquo legitimo titulo licet aliquid exigere ultra sortem debitam. Permittitur tamen percipere fructus pignoris, si res feudalis oppignoretur domino directo 65.), vel si fundus marito *pro* dote 66.). Fructus etiam *industriales* occasione pignoris percepti, non debent restitui, nec in sortem computari.

Jura Creditoris ex Pignore,

§. 385. Creditor consequitur ex Pignore I. Jus in re, ut illud possit a quovis vendicare, etiam a possessore, cui res vendita fuit; quamvis enim translatum sit dominium, tamen secum trahit onus suum. II. Jus

63.) C. 7. de Pignorib. L. 1. C. de Pactis pignorum.
64.) C. 2. de Usur. c. 4. & 6. de Pignorib. Per quos Canones derogatur Legi 14. & 17. C. de Usuris.
65.) C. 1. de Feudis.
66.) C. 16. de Usur.

Jus retinendi usque ad plenam solutionem, etiam aliorum debitorum; dolo enim agit, qui vult satisfacere debito, pro quo pignus est constitutum, & non alteri. Conceditur etiam detentio pro expensis necessariis, pro eo quod interest &c. III. Jus prælationis. IV. Jus distrahendi autoritate Judicis post moram: ad quod, nisi aliter sit conventum, post monitionem requiritur biennium: plerumque autem in praxi per tantum tempus non exspectatur 67.). Si Creditor retineat pignus pro solutione, non attenditur ad pretium, quo ab initio res fuit æstimata, sed quo æstimatur tempore venditionis. Insuper potest Creditor jus, quod habet in Pignore, alteri cedere. Si tempore licito distrahatur Pignus, tunc Creditor est quasi procurator debitoris, nec ipse tenetur de euictione: & vicissim ob minus pretium solu-

67.) In Bavaria terminus legalis post monitionem in immobilibus est annus, in mobilibus quatuordecim dies: animalia oppignorata intra triduum alienantur.

ſolutum non poteſt conveniri Emptor a Debitore, ſed Creditor ad intereſſe.

Et obligationes. §. 386. Creditor obligatur cuſtodire diligenter pignus: eo non uti: reddere illud poſt integram ſolutionem: reſtituere fructus 68), etiam percipiendos, quos culpabiliter neglexit: præſtare culpam levem 69). Poteſt tamen Creditor uti Pignore Judiciali, ſi ex iſto fine immiſſus eſt, ut ſibi exinde ſolutionem præſtet; vel ſi oppignoretur animal; nam pro alimento poteſt uſum habere. Sæpe etiam poteſt præſumi conſenſus domini e. g. ſi quis domum, quam locare non vult, det pignori va-

---

68.) De fructibus Pignoris fuſe agit Honoratus Leotardus de uſuris Quæſt. II. & ſeqq. Joan. Dominicus Gaitus de Credito Cap. 4. Quæſ. 8.

69.) In L. 13. §. 1. ff. de pignorat. act. videtur in hanc actionem venire ea culpa, quæ in Commodato, ſcilicet leviſſima: ſed debet ita explicari, ut Ulpianus non contradicat iis, quæ dixit in l. 5. §. 2. ff. de Commodato. vid. Gothofredus ad dict. Leg. 13. Noodt tom. 2. ad lib. 13. tit. 7. de Pignorat. action. fol. 262. P. Placidus Böckn h. t. n. 12.

vacuam, videtur permittere habitationem: cum enim commodare possit illi, a quo beneficium non accepit, facile etiam censetur commodare creditori, a quo beneficium accipit.

§. 387. Debitor habet Jus ad ea, ad quæ obligatur Creditor. Tenetur vicissim tradere & relinquere pignus Creditori; eum indemnem servare; damnum resarcire levi culpa datum; impensas necessarias in conservando pignore restituere. Si rem specialiter hypothecatam vult alienare, debet monere Creditorem. *Jura & obligationes Debitoris.*

§. 388. Ut Creditoris & Debitoris juri satisfiat, Leges concedunt varias Actiones. Inprimis facta solutione Debitor potest rem oppignoratam repetere a Creditore rei vindicatione: quæ tamen non competet, si res periit, aut apud alium existit, nisi creditor dolo eam possidere desiisset, quod a Debitore esset probandum. Dein prout Pignus est Contractus, datur Actio *Pignoratitia, Directa* competens Debitori, & *Contraria* competens Creditori. *Directa* datur, in personam Creditoris, qui *Actiones Pignoratitiæ,*

pignus accepit, ad illud soluto debito reddendum in specie, salvum & integrum 70.), cum fructibus, accessionibus & commodis aliis, quæ occasione pignoris est consecutus: item ad resarcienda damna, dolo aut culpa lata vel levi data: debetque debitor solum probare oppignorationem. Probabilius autem non datur contra tertium possessorem pignoris: contra hunc enim debitor soluto debito, habet rei vindicationem, vel Publicianam. *Contraria* datur Creditori, ut Debitor possessionem Pignoris restituat, quæ ipsi precario concessa est: ut expensas resarciat &c.

Et Hypothecariæ.

§. 389. Prout Pignus vel Hypotheca consideratur ut producens Jus reale, oritur Actio *Hypothecaria*, quæ est *Serviana* competens Creditori circa res coloni, quæ pignoris jure pro mercedibus fundi ei tenentur: *Quasi Serviana*, qua Creditores pignora, hypothecasve persequuntur, ut

70.) Datur hæc actio, etiamsi res non extet, nisi periisset casu fortuito, aut ex levissima tantum culpa Creditoris, qui id debet probare.

ut ſcilicet res oppignorata declaretur a Judice tanquam pignus, & jure pignoris adjudicetur. Inter pignus autem & Hypothecam, quantum ad actionem Hypothecariam attinet, nihil intereſt 71.). Eſt hæc actio realis tranſiens utrinque in hæredes, & tribuens facultatem autoritate Judicis apprehendendæ, retinendæ & petendæ poſſeſſionis, competentepoſſeſſorio Salviano, & ne vis fiat Interdicto. Si tamen alius poſſidet Hypothecam, debet prius excuti principalis debitor 72.). Dantur hæ actiones, donec integra fiat ſolutio; imo etiamſi aliud diſtinctum debitum ſubeſſet.

§. 390. Solvitur Pignus I. Rei interitu, ſi tota pereat: ſi pars ſuperſit e. g. area, vel ſi domus mutetur in hortum, afficit Pignus hanc partem. Si tantum qualitas eſt muta- *Quomodo ſolvatur Pignus?*

71.) §. 7. Inſt. de action.

72.) Saltem ſi ſciente creditore res hypothecata fuerit alienata. hac ratione Novellam 4. c. 2 & Novellam 112. c. 1. conciliat D. Cancellarius SCHMID ad Stat. Bavar. tit. 15. art. 6. n. 16. vid. GAILL lib. 2. obſerv. 27. n. 7.

ta, pignus non ſolvitur e. g. ſi pratum mutatur in agrum. Si domus exuſta, fuerit reparata, manet pignus, quia ædificium ſequitur jus ſoli. II. Extincto toto debito, vel ſolutione, vel compenſatione, vel ſolenni depoſitione, vel etiam novatione, uti ſi quis debet aliquid ex empto, & dein accipit in mutuum, niſi expreſſe ſit conventum, ut pignora ſeu hypothecæ pignoris obligatione eſſent repetita in obligatione novante. III. Remiſſione Pignoris expreſſa vel tacita e. g. redditione Pignoris, vel Inſtrumenti, quo conſtituitur Hypotheca, ſaltem quando non conſtat, quod ad alium finem Pignus reſtituatur. Per alienationem Pignoris, ſciente Creditore factam, non ſolvitur Pignus, quia cum onere alienatur 73.), niſi alienetur ad cauſas pias 74.) Si autem non ſolum taceat Creditor, ſed poſitive con-

73.) L. 8. §. 15. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. ſolv.

74.) Arg. Auth. ſi ſervus. C. de Cler. & Epiſc. Negusantius de Pignorib. part. 6. principal. membr. 3. n. 23. ſeq. fol. 588.

consentiat in alienationem, nisi addat clausulam *salva causa pignoris sui* 75.), censetur remittere onus pignoris, quod non redintegratur, si postea sit redemptum, quamvis bona etiam futura generaliter sint obligata 76.).

§. 391. Etiam Præscriptione 30. annorum extingui actionem pignoratitiam directam, tenent aliqui, ita ut debitor non possit ad reluendum pignus hanc actionem intentare contra creditorem, qui pignus tanto tempore quiete possedit. Sed melius id negatur, modo Creditor semper sciverit se possidere rem ut pignoratam, quia alieno nomine possidens non præscribit, uti depositarius, commodatarius, vel qui in communione est, quia hæc possessio singulis momentis renovat contractum. Dein actio pignoratitia nondum est orta absolute ante solutionem debiti; proin non potest contra eam cur- *An per Præscriptionem?*

75.) L. 4. §. 1. ff. quib. mod. pignus vel hypoth. solvitur.

76.) L. ult. C. de Remiss. pignor.

currere præſcriptio 77.), quæ potius ſummopere præjudicaret Creditori: nam ſi extingueretur actio pignoratitia, hoc ipſo extingueretur etiam jus pignoris, quæ ſunt correlativa: hoc extincto deberet poſſeſſor reſtituere rem, quam ſcit alienam; nec haberet condictionem debiti, quæ ex iisdem principiis lapſu 30. annorum extingueretur. Ceſſat etiam ratio Præſcriptionis, ne ſcilicet dominia rerum ſint incerta: nam & Creditor & Debitor ponitur ſcire, ad quem rei oppignoratæ dominium pertineat. Hæc intelliguntur ſolummodo de actione pignoratitia, quatenus per eam reluitio pignoris quæritur. Circa alias autem obligationes tam Creditoris, quam Debitoris,

77.) Non eſt paritas cum actione ex empto. nam ſi quis tradit rem venditam ante ſolutionem pretii, agit iſte ex contractu emptionis, quamvis poſſet differre executionem obligationis: qui autem reddit pignus ante ſolutionem, hoc non facit ex obligatione contractus hujus: conſequenter obligatio ex emptione eſt abſoluta; ex pignore eſt tantum conditionata.

ris, facile admittitur præscriptio, juxta communes præscriptionum regulas, uti etiam in actione hypothecaria 78.).

Oppignorationes Imperii.

§ 392. Oppignorationes Imperatorum olim in Germania factæ, non habent veram rationem Pignoris, per Leges communes Civiles ordinati, cum longe alias conditiones involvant. Creditoribus contra antiquarum reluitionem securitas datur; simul tamen cavetur, ne Bona aut Jura Imperii in posterum sine consensu Statuum oppignorentur 79.).

Pignorationes, Repres-

§. 393. Huc etiam revocari possunt *Pignorationes*, quæ habent speciem executionis. Confunduntur

78.) In Bavaria, si res hypothecata vendatur, Creditor autem præsens in Provincia intra quinquennium, absens intra decennium a die possessionis ab Emptore initæ, jus suum contra rem hypothecatam non persequatur, talis Emptor liberatur ab onere hypothecæ.

79.) Instr. Pac. Westph. art. 5. §. 26. Capitul. hodierna Francisci I. art. X. videri possunt Conradus Summenhart de Contractib. q. 33. Petrus Binsfeld in c. 1. de usur. q. 2. Rigor moderatus circa usuras Dissert. 2. §. 102. seqq.

Saliæ, & Arreſtum.

nonnunquam cum *Repreſſaliis*, in quibus alius pro alio prægravatur 80.), quod æquitas naturalis non permittit, & Leges prohibent 81.), præſertim ſi ad privatam utilitatem petantur: nam ſi publica autoritate per bellum juſtum fiunt, a Deo permittuntur 82.). Pignorationes privatæ ſolent fieri, ſi animal depaſcendo, vel etiam homo in fundo alieno damnum intulerit. Pignorationes inter Principes & Status Imperii, quæ pacem publicam violare poſſunt, ſingularibus Conſtitutionibus ſunt prohibitæ, quando ſcilicet Status vel Nobilis Imperii, alterius Status vel Nobilis ſubditos, aut eorum bona mobilia, ob contentioſam Jurisdictionem, vel poſſeſſionem alicujus Juris, quod eo loci, ubi fit *pignoratio*, prætenditur, capit & *pignori*

80.) C. un. de Injur. in 6.

81.) Nov. 52. Ut non fiant pignorationes pro aliis perſonis. item *Cod. Ne uxor pro marito.* Et *Ne filius pro Patre &c.* ubi Imperator FRIDERICUS ſingulariter conſulit ſecuritati ſcholarium. Perſonis Eccleſiaſticis, eorumque bonis providet Pontifex in cit. C. un.

82.) C. 2. XXIII. q. 2.

ri accipit. Pignorationis Proceſſus in Camera Imperiali eſt duplex, Mandati & Citationis: ad Mandatum ſine Clauſula, reſtitutio debet fieri pleniſſima, ſine ſumptu pignorati 83.). Ab his differt *Arreſtum*, cum ob antecedentem obligationem, officio Magiſtratus alicui interdicitur, ne loco excedat. Barbarum Arreſti vocabulum latine redditur manuum injectio, vel jus ſiſtendi. Regulariter quidem Arreſta jure communi ſunt interdicta: nihilominus autoritate Judicis ſæpiſſime fiunt licita 84.).

83.) Librum ſingularem *de Pignorationibus* ſcripſit ANDREAS GAILL. Item THOMAS MAULIUS.

84.) Vid. Ejusdem GAILL. & MAULII Tract. de Arreſtis Imperii. PETRUS PECKIUS de Jure ſiſtendi.

TITULUS XVI.
DE SERVITUTIBUS.

§. 394.

Servitus ALTERA ſpecies Juris realis eſt *Servitus*, ſeu jus in re aliena conſtitutum, quo dominus in re ſua aliquid pati vel non facere tenetur in alterius perſonæ, reive utilitatem. Juxta Leges Romanas *Servitus* nulla conſiſtit in *faciendo*: ex uſu tamen Germaniæ, plures ſunt obligationes, quæ videntur habere naturam Servitutis, & in faciendo conſiſtunt. Talia ſunt jura *bannaria*, per quæ tota aliqua communitas compellitur adire certum molendinum, furnum, officinam braxatoriam &c. item quando operæ ruſticæ debentur alieno prædio: tales enim operas non debet perſona perſonæ, ſed prædium prædio, ratione cujus obligantur perſonæ 85.). Servit igitur res vel prædio

85.) Sic diſcurrit SAMUEL STRYCKIUS in uſu Moderno Pandect. lib. 8. tit. 1. de Servit. §. 4. & 5. aliique ibi allegati.

dio vicino, quæ dicitur Servitus *realis* aut *prædialis*; vel *personæ*, quæ vocatur Servitus *personalis*, uti usus-fructus, usus, habitatio, operæ servorum. Servitus realis est vel *Urbana*, quando prædia soli habitationi; vel *Rustica*, quando usui œconomico, aut agriculturæ destinata sunt, sive ruri, sive in urbe sita.

Quomodo constituatur?

§. 395. Servitus in re aliena constituitur Pactionibus vel Stipulationibus, ultimis voluntatibus, præscriptione. Hæc in Servitutibus urbanis, quæ causam perpetuam, vel quasi perpetuam habent, completur longo tempore: in quarum autem usu requiritur factum hominis, uti sunt Servitutes rusticæ, non nisi tempore immemoriali fit præscriptio 86.).

§. 396.

86.) De præscriptione Servitutum continuarum, & discontinuarum vid. Stryck. loc. cit. §. 6. & 7. Imperator quidem in L. fin. C. de præscript. long. temp. sine discrimine servitutes longo tempore præscribi dicit: usus tamen hodierni fori in plerisque locis distinguit inter continuas & discontinuas, prout videre est apud Autores a Stryckio allegatos, & alios de Præscriptione vel de servitutibus tractantes.

Servitutum Urbanarum

§. 396. Servitutes Prædiorum Urbanorum variæ sunt, veluti I. *Oneris ferendi*, quando columna vicini, vel ejusdem paries onus ædium nostrarum sustinere tenetur. Ad talis parietis vel columnæ refectionem regulariter tenebitur dominus prædii servientis. Non quidem consistit hæc Servitus in faciendo, nec principaliter intenditur factum, sed patientia: ut tamen in tuo muro pati possis onus, hunc conservare, vel reficere debes, nisi aliud pacto conventum sit 87.). II. *Tigni immittendi*, quando vicinus pati cogitur, ut vicini tignum, suo parieti immissum, in eo requiescat, super quo porticus ambulatoria, vel simile quid construi potest. Hæc Servitus ordinariam Servitutum indolem retinet, juxta quam refectio semper incumbit prædio dominanti 88.). III. *Projiciendi* Servitus est jus in prædio vicini, ut tignum nostrum super fundum suum provehi patiatur, quanquam

87.) L. 33. ff. de servit. præd. urb. L. 6. §. 2. ff. si serv. vindic.
88.) L. 6. §. 2. & L. 8. §. 2. ibid.

quam in nulla parte fundi requieſcat. Huc pertinent *Mœniana* ſpectandi cauſa facta, & *Suggrundia*. IV. *Protegendi* Servitus eſt jus, protectum ſuper alienum ſolum habendi.

§. 397. V. Servitus *ſtillicidii*, vel *Fluminis recipiendi* datur, quando vicinum prædium tenetur recipere ſtillicidium, vel flumen noſtrum in tectum vel aream ſuam 89.). VI. *Non recipiendi ſtillicidii* Servitus varie explicatur: forte datur, quando quis ſtillicidium vel flumen ſuum in ſuam aream pro irrigando horto, aut aliis uſibus recipere non poteſt, ſed in noſtram avertere, & aquam pluviam noſtris uſibus relinquere tenetur. Huc pertinet Servitus *Foraminis*, ſi mihi jus eſt, foramen in imo pariete apertum habendi, pavimenti proluendi cauſa, modo eo quidquam aquæ pluviæ perveniat: alias enim non haberet cauſam perpetuam, adeoque non eſſet Servitus juxta *Species*:

Leges

89.) Differunt *Flumen* & *Stillicidium*, quod per illud aqua pluvia in canales collecta cum impetu ruat: per hoc ſtillatim aut guttatim ex tecto cadat.

Leges Romanas 90.). Hodie tamen hæc causæ perpetuitas non scrupulose attenditur, sed talia jura ad instar Servitutis censentur, quale etiam est jus aquas in purgandis vasis culinariis adhibitas in vicini aream immittendi. Similis fere est ratio de sterquilinio vel cloaca prope ædes alterius ponenda, ob incommodum fœtoris vicino sustinendum: nam si parieti alterius inde damnum immineret, vera Servitute opus esset 91.). VII. Servitus *altius non tollendi*, quando vicinus in commodum vicinarum ædium, suas altius tollere prohibetur. VIII. Servitus *altius tollendi* intelligi potest, quando per Statutum in vicini commodum altius tollere non licet, per patientiam tamen ejus obtinetur jus altius tollendi, quod quidem ex libertate naturali liceret, sed tamen ex Statuto in utilitatem privatorum concepto prohiberi supponitur 92.). IX. Servitus *Luminum* varie

90.) L. 28. ff. de servit. præd. urb.
91.) L. 17. §. 2. ff. si servit. vindic.
92.) Vid. Leyserus Vol. 7. specim. 462. med. 15. ubi recenset varia statuta de altius non tollendo.

varie intelligitur, etiam pro jure in pariete vicini, vel communi feneſtras aperiendi: nam in proprio pariete naturaliter licet aperire feneſtram, etiamſi ex illa proſpectus pateat in vicini aream, modo id non ad æmulationem, ſed ad verum commodum propriarum ædium fiat: vicinus tamen habet etiam jus contra ædificando proſpectum impediendi: cum autem areæ ſpatium, tale ædificium feneſtris opponendum ſæpe non patiatur, & interim valde incommodum ſit, vicini feneſtras, ex quibus in aream noſtram vel deſcendere homines, vel ſordes effundi poſſunt, erga prædium noſtrum apertas tolerare, hinc Servitutem de feneſtris non aperiendis ſtipulari conſultum eſt: unde orietur Servitus *lumina vel feneſtras non habendi* in proprio pariete. X. *Ne luminibus officiatur*, eſt jus prohibendi vicinum, quo minus quidquam in ſuo ad minuenda vel obſcuranda lumina noſtra facere poſſit. XI. Servitus *Proſpectus* eſt jus in prædium vicini proſpiciendi. XII. *Ne proſpectui officiatur*, eſt jus prohibendi vicinum, quo minus

quid-

quidquam ad impediendum prospectum facere possit.

Quibus impeditur libertas ædificandi aliorum.

§. 398. Circa ejusmodi Servitutes universim notandum est, competere quidem singulis, nisi Servitute inhibeantur, facultatem ædificandi in suo pro lubitu, etiamsi vicino inde damnum immineat 93.). Id tamen temperandum est, modo faciant animo suam utilitatem promovendi, non vero ad æmulationem vicini, aut ejus injuriam 94.): ad æmulationem autem ædificare censetur, qui nullam exinde habet utilitatem; vicinus autem grave damnum sentiat. Si autem damnum præsens non sentiatur, futurum tamen probabiliter metuatur, cautionem de damno infecto exigere a vicino licet, si tamen id damnum vitio operis sit futurum; nam si damnum contingat culpa hominis, tenebitur is, qui culpam admisit 95.).

§. 399.

93.) L. 24. §. fin. & L. 26. ff. de damno infecto.
94.) Novell. 63. c. 1.
95.) L. 19. §. fin. & L. 24. §. 7. ff. de damn. inf.

§. 399. Servitutes *Prædiorum Rusticorum* itidem sunt variæ. I. *Iter*, dat jus eundi, ambulandi homini, non etiam jumentum agendi 96.). Si tamen ex sola amicitia vel familiaritate vicinus iter concedat, jus inde Servitutis non nascitur. II. *Actus* est jus agendi vel jumentum, vel vehiculum. Itaque qui Iter habet, Actum non habet: qui Actum habet, & Iter habet etiam sine jumento. Per jumenta hoc loco etiam intelliguntur *Armenta*. Hoc tamen jure civiliter utendum est, ne pecus subsistat in alieno, quia jus agendi separatum est a jure pascendi. Peti quidem non potest, ut ita præcipitetur cursus pecoris, ne os quidem terræ admovere possit; sed tamen nec locus nec tempus permittendum est, quo domino prædii nimium noceatur 97.). III. *Via*, per fundum vicini competens, ut commodius ad fundum nostrum *Prædiorum Rusticorum*

96.) L. 1. ff. de servit. præd. rust. si hoc jus eundi competat in utilitatem prædii urbani, numerabitur Iter inter servitutes urbanas.

97.) L. 9. ff. de servitut.

ſtrum perveniamus. Hæc Iter & Actum ſub ſe continet: differre tamen Viam ab Itinere & Actu cenſent multi per latitudinem 98.): alii diſcrimen aſſignant, quod habenti viam concedatur jus, haſtam erectam per illum locum ferendi, & tigna ſeu lapides trahendi 99.).

§. 400.

98.) L. 8. 13. §. 2. & L. 23. pr. ff. de ſervit. præd. ruſt.

99.) L. 7. ff. ibid. jus haſtam erectam ferendi intelligitur, quando via nobis patere debet non tantum ad latus, ſed etiam verſus cælum, ita ut ad haſtæ altitudinem onerare vehicula, & remotis ramis obſtantibus impedimenta tollere poſſimus, modo fructus non lædantur. Hujus doctrinæ uſum eſſe poſſe in Proceſſionibus publicis Catholicorum, cenſet MANZIUS de ſervit. ruſt. præd. tit. 3. n. 129. ſi enim ad *Proceſſiones* per viæ compendium inſtituendas conveniatur cum incolis *alterius* communitatis, ut ipſi viam præſtent per medios eorum hortos vel ſylvas: hoc in caſu tantum ſpatium indulgere debent, ut pedites & equites incedere, vehicula duci, & erecta vexilla portari poſſint, & ut omnia impedimenta, arborumque ramos ſurſum & ad latus tollere & amputare liceat

§. 400. IV. *Aquæ Ductus* est facultas ducendi aquam per vicini fundum ad meum 100.). V. *Aquæ hausſtus* est facultas hauriendi ex alieno fonte. VI. *Pecoris ad aquam appulſus*, quando fas est pecora per fundum alterius ad flumen publicum ducere. VII. Servitus *aquæ non intercipiendæ*. Quando vena aquæ in meum puteum decurrentis per vicini fundum transit, posset iste in suo puteum fodere, & aquam meo puteo intercipere, nisi Servitus sit constituta 1.): ad hanc autem constituendam requiritur factum ejus, qui sibi Servitutem asserit, & patientia alterius, de cujus fundo Servitute gravando agi- *Servitutes*

100.) Si canales aquam ad domesticos meos usus per alterius fundum vehant, servitus est, non tamen rustica sed urbana.

1.) Idem habet locum, quando aqua per vicini fundum decurrens movet meum molendinum: etiamsi hoc longissimo tempore factum sit, posset tamen vicinus aquas illas ad usus sui prædii, e. g. ad formandam piscinam vertere, quamvis molendinum meum aqua sufficiente destitutum, reddatur inutile.

tur : absque hoc nunquam poterit allegari præscriptio 2.).

Prædiales

§. 401. VIII. *Jus pascendi* in alieno fundo. In exercitio hujus Juris circa genus & numerum pecorum, tempus &c. præcipue ad consuetudinem loci respiciendum est : certe civiliter hoc jure utendum est, ne omnis pastura domino subtrahatur : si autem hæc utrique non sufficiat, dubium est, quis præferatur. Juvat sibi pacto consulere, ne *Servitute* hac gaudens aliquando a *pascuis* excludatur 3.). *Compascua* frequenter vicini jure familiaritatis mutuæ sibi concedunt, ita ut constituatur quasi precarium mutuum, semper revocabile, quando uni saltem ex vicinis inde resilire libuerit, qui potest compascuo renuntiare, & agros suos propriis pecoribus servare, modo simul ab alterius agris semet abstineat. Aliud est, si compascuum non

2.) Manzius de servit. tit. 3. n. 229.
3.) Rationes in utramque partem videri possunt apud Struckium in usu modern. lib. 8. Pandect. tit. 3. de servit. rust. præd. §. 15.

non jure familiaritatis, sed mutuæ Servitutis concedatur: quo casu unus invito altero compascuum revocare nequit.

§. 402. Plurimæ aliæ possunt esse Servitutes rusticæ, pro diversa prædiorum indole, tales sunt Jus calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, jus lignandi, sumendi pedamenta ad vineam ex vicini prædio, eximendi lapides, habendæ figulinæ, exprimendi uvas in alieno, excutiendi frumentum in area aliena, jus tugurii, quorsum ingruente hyeme, me cum pecoribus recipere possim, jus colligendi fructus meos in villa vicini, Jus temonis immittendi, & ob angustiam areæ meæ per foramen in vicini fundum vel horreum porrigendi, jus venandi, retia expandendi ad capiendas alaudas in fundo alieno &c. In his & similibus Servitutibus attendendum est, an prædio, an personæ concessæ sint. Si prædio, regulariter quis illo jure amplius uti nequit, quam quatenus ad ipsum fundum opus sit 4.). *Variæ.*

4.) L. 5. in fin. ff. de servit. rust. præd.

Servitutes Personales.

§. 403. His Servitutibus Prædialibus opponuntur *Personales*, quando prædium servit Personæ. talis est I. *Ususfructus*, seu jus rebus alienis utendi fruendi, salva earum substantia 5.), competens ex conventione, testatoris voluntate, vel Lege, qualis competit patri in peculio adventitio filii. II. *Usus*, seu jus alienis rebus tantum ad necessitatem utendi, salva earum substantia 6.). III. *Habitatio*, seu jus alienas ædes inhabitandi, salva earum substantia. IV. *Operæ servorum*, quæ sunt jus, omnem utilitatem ex operis servi alieni percipiendi. De singulis

---

5.) *Uti* & *Frui* differunt. Usus necessitate circumscribitur, fruitio non modo ad necessitatem, verum etiam ad omnem utilitatem, voluptatemque pertinet. Hoc sensu loquitur SENECA De Vita beata c. 10. *tu voluptate frueris, ego utor.*

6.) *Abuti* dicimur rebus, quæ ipso usu pereunt, quales sunt res fungibiles. Unde non potest in illis constitui usus aut ususfructus proprie talis, sed *quasi ususfructus*, præstita cautione, post mortem tantundem restitutum iri. §. 2. Inst. de Usufruct. tot. tit. ff. de Usufr. earrer. quæ usu consum.

gulis his ſervitutibus perſonalibus ſubtiles ſunt obſervationes Juris Romani, ad quas hodiernus uſus parum attendit.

§. 404. Finitur ſervitus I. *Conſolidatione*, quando prædium ſerviens a dominantis domino, vel dominans a ſervientis domino adquiritur. II. *Remiſſione*, etiam tacita, quando quid fieri conceditur, quod uſum ſervitutis impedit. III. *Non utendo* ſervitute ruſtica per decem annos inter præſentes, vel viginti inter abſentes 7.). IV. Interitu prædii alterutrius. Nam ſine prædio jus prædii non intelligitur: reſtituto tamen prædio etiam ſervitus reviviſcit. *Quomodo finiatur Servitus?*

7.) In ſervitutibus urbanorum prædiorum iſte non uſus non ſufficit, niſi ſervientis prædii dominus ſimul uſuceperit libertatem, exercendo factum ſervituti conſtitutæ contrarium, veluti foramina, quibus immiſſa fuerant tigna, obturando, obturataque per legitimum tempus habendo. L. 6. ff. de ſervit. præd. urban. Rationem diſcriminis dat Huberus Prælect. ad Pandect. lib. 8. tit. 6. §. 6.

Actio Confes- soria & Nega- toria,

§. 405. Occasione servitutis competit actio *Confessoria*, & *Negatoria*. *Confessoria* servitutem vindicanti incumbit probatio prætensi Juris, & turbationis a Reo factæ. Si quis constitutus sit in quasi possessione servitutis, habet quidem præsumptionem pro se: hæc tamen eliditur alia fortiori, scilicet præsumptione libertatis. Unde si servitutem prætendens, in possessorio victricem sententiam reportaverit, ulterius tamen urgeri potest ad probandam servitutem, ob contrariam & fortiorem præsumptionem libertatis. Igitur actio *Negatoria* onus probandi in Adversarium rejicit, modo constet de dominio prædii, quod liberum esse prætendit. Dein Negatoria agenti probatio incumbit, si Reum vi, clam aut precario servitute uti dixerit; tunc enim qualitatem a se assertam probabit Actor. Actiones Confessoriæ & Negatoriæ *utiles*, omnibus juribus e. g. Decimis, in alieno asserendis, aut avertendis applicantur. Tenetur enim commune illud fundamentum, quod fundans se in libertate naturali, contra impedientem Negatoria experiatur: fundans autem se in privilegio vel

jure

jure ſingulari, & inde dependente jure prohibendi, Confeſſoria experiri debeat, ut ſcilicet doceat prætenſum Jus ſuum 8.).

§. 406. Hæc ſtrictim & obiter de ſervitutibus notata ſufficiant 9.). *Servitutes*

Congruum autem noſtro Inſtituto eſt, ut adjiciamus obſervationes quasdam de ſervitutibus locorum ſacrorum. Prædia ruſtica Eccleſiarum non tantum jus ſuum contra prædia vicina exercere, ſed etiam pati ſervi-

8.) Ita diſcurrit STRYCKIUS in Uſu modern. Pand. lib. 8. tit. 5.

9.) Fuſe hanc materiam tractant Commentatores Juris Civilis ad multos Titulos huc pertinentes. Item ſingulari Tractatu CASPARUS MANZIUS De ſervitutibus Prædiorum Urbanorum & Ruſticorum. Item de ſervitutibus Perſonalibus. BARTHOL. CÆPOLLA de ſervit. urban. & ruſtic. prædior. CARD. DE LUCA Theatr. Juſtit. tom. 3. tract. 3. part. 1. FERDIN. WEIZENEGGER Diſſertationes I. de ſervitutibus Perſonarum ac Rerum in Genere: II. de Perſonalibus: III. Prædiorum Urbanorum: IV. Ruſticorum. Varia ad ſervitutes aquæ pertinentia, pro uſu Germaniæ tradit Noë MEURER tr. *vom Waſſer-Recht.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tutes possunt, quando illa transeunt ad Ecclesiam cum oneribus suis. Ipsis autem Locis sacris juxta Leges Romanas imponi non potest servitus, *quia id quod humani juris esse desiit, servitutem non recipit* 10.). Nihilominus non ubique ea est reverentia Templorum, ut ab omni onere eximantur. Pauca exempla annectimus. Sustineri nullo modo debet, ut transitus per Templa pateat omnibus, aquam aut alia onera portantibus: vix tamen prohiberi *multis* in locis poterit liber transitus per Cœmeteria Templis contigua, ab immemoriali tempore toleratus, præsertim si locorum conditio æque facilem transitum per plateas vicinas non permittat. Servitutem non censetur imponere abusus ille aliqua vendendi intra muros Templorum contra severam Christi objurgationem 11.). Servitus oneris ferendi *templo* imponi non debet: indecorum enim est, super Sacella & Altaria, ubi Divina celebrantur officia, Laicorum habitationes

10.) L. 4. ff. Commun. prædior.
11.) Vid. part. præced. §. 522.

tiones habere 12.). Servitus feneſtræ nonnunquam imponitur Eccleſiæ, ædibus laicis contiguæ, hoc fine, ut ex conclavi quodam per feneſtram in muro templi apertam Conciones audire, & Sacerdotem ſacris operantem videre liceat. Iſtud non niſi Principi, aut Eccleſiæ Patrono, aut alias ex gravi cauſa concedendum eſt 13.).

§. 407. Si tamen onus aliquod templo, vel domibus eo pertinentibus imponendum ſit, omnes illi conſentire debent, quorum conſenſus in alienatione rerum Eccleſiæ eſt neceſſarius, cum ſervitutis impoſitio ſit alienationis ſpecies 14.). Conſtitutiones Pontificiæ imponunt ſervitutem, conceduntque novi operis nuntiationem inter diverſa Monaſteria, vi cujus unum Monaſterium tolerare non tenetur ædificationem alterius intra certum Cannarum numerum 15.). Fortiori jure gaudent Monaſteria, *Eccleſiis impoſitæ*

12.) CARD. DE LUCA tom. 3. tract. de ſervitut. diſc. 17. n. 4.
13.) Ibid. diſcurſ. 16. n. 3. ſeqq.
14.) L. fin. C. de reb. alien. non alien.
15.) Vid. part. præced. §. 134.

steria, ne ex Laicorum ædificiis recens extruendis prospectus pateat in hortos vel cubicula Religiosorum, præsertim Monialium, quarum pudicitia id exigere videtur, ne ipsæ aspiciant, vel aspiciantur: quæ ipsa ratio exigit, ne etiam Viris Religiosis, & fœminis mutuus aspectus pateat ex fenestris. Habent igitur Monasteria servitutem altius non tollendi contra vicinas ædes: vel etiam jus impediendi prospectus earum per altiorem murum 16.).

Per Pacem Westphalicam.

§. 408. Per Instrumentum Pacis Westphalicæ non tantum alienatæ sunt plurimæ Ecclesiæ Catholicæ in Protestantes, sed etiam multis, quæ in manibus Catholicorum relictæ fuerunt, servitus imposita tolerandi ritus Protestantium, vel certis horis, vel in certa templi parte, anno 1624. ibi exercitos, quod *Simultaneum* nominamus. Ex ea autem lege Protestantes nonnunquam inepte prætendebant

16.) Card. de Luca loc. cit. disc. 1. n. 18. & disc. 20. 21. Sperellus decis. 58. Covarruv. var. resol. lib. 3. c. 14. n. 3.

debant jus prohibendi immutationes quasdam ad exercitium Religionis minime pertinentes 17.).

TITU-

17.) Sic Heilbrunnenſes petebant, ut Monaſterium Cæſareenſe loco Adminiſtratoris Religioſi conſtitueret ſæcularem, qualis fuerat anno 1624. Vid. Act. Pac. Execut. part. 2. fol. 573. SCHAUROTH Concl. Corp. Evang. tom. 1. fol. 735. Alicubi Proteſtantes nolebant permittere, ut Catholici in Cœmeterio utrique Religioni communi, ſepulchris ſuis Crucem imponerent, præter morem anno 1624. conſuetum. HENNIGES Medit. ad Inſtr. Pac. ſpecim. 4. art. 5. §. 31. fol. 486. Spirenſes exigebant tranſitum per cœmeterium Patrum Auguſtinianorum, qui patebat anno 1624. Ravenſpurgenſes volebant, ut Catholici, qui commune cum Proteſtantibus templum ibi habent, clathros ferreos recens fabricatos removerent, & ſubſtituerent vetuſtos verminoſos ligneos, quales fuerant anno 1624. Hæc & ſimilia ad obſervantiam anni vigeſimi quarti referre, atque exinde jus ſibi aliquod vindicare velle, puerile & ridiculum fore cenſet celebris inter Proteſtantes citatus Autor Meditationum ad Inſtr. pac. ſpecim. 4. art. 5. §. 33. fol. 509. & ſeq.

TITULUS XVII.
DE DOMINIO UTILI, AC INPRIMIS DE FEUDO.

Conf. Lib. 3. Decretal. tit. 20.

§. 409.

Dominii utilis variæ ſpecies:

Dominium utile dicitur, in quo jus utendi fruendi prorſus liberum, proprietas vero reſtricta eſt aliquo modo ad alium. Dominii *utilis* appellatio ignota eſt in *Corpore Juris* Romani: veſtigia tamen ejus reperiuntur, ubi Imperatores Emphyteutis aliquod dominium permittunt 18.): unde aliqui appellant quaſi-dominium. Memorabilis ſpecies Dominii utilis eſt *Emphyteuſis*, de qua ſupra dictum eſt 19.). Huic affinis eſt Contractus *Libellarius* 20.), quo prædium conceditur certo pretio, & certa penſione, in annos ſingulos conſtituta, hac plerumque lege, ut ſtato

18.) L. 2. 4. 12. & ult. *C.* de Fund. patrim.
19.) Titul. XI.
20.) Mentio hujus contractus fit II. *Feud.* tit. 9. §. 1.

ſtato condictoque tempore Contractus renovetur, rurſus numerato pretio certo vel arbitrario 21.). Differt ab Emphyteuſi, quod hæc non ſoleat renovari, non mutato poſſeſſore, deturque ſub lege meliorandi prædii, nonnunquam ad certum tempus: *Libellaria* autem renovatur etiam non mutato poſſeſſore, nec datur ſub lege meliorationis, & ſemper in perpetuum 22.). Alia ſpecies Dominii utilis eſt *Superficies*, quando quis in alieno ſolo habet non quidem ſolum ipſum, ſed ſuperficiem duntaxat, areamve ad domum conſtruendam, olivetum plantandum, piſcinam faciendam, aut quidvis aliud. Conſtituitur jus ſuperficiarium etiam in ædibus extructis, quando ædes donantur aut venduntur ea lege, ut dominium in ſolo retineat donator & venditor. Penſio annua, quam ſuperficiarius domino

21.) Vid. Notæ Gothofredi in L. 24. §. 1. C. de SS. Eccleſ.

22.) Vid. Joan. Kahl Lexic. Jurid. V. Libellarius Contractus. Molina de J. & J. tr. 2. Diſp. 10. n. 10.

mino fundi pro hujus usu solvit, *Solarium* vocatur 23.).

Præcipue Feudum;

§. 410. Præcipua, quæ hoc loco consideranda venit, Dominii utilis species est *Feudum*, quod definiri potest, *Dominium utile in re immobili a retinente dominium directum, alicui constitutum sub onere fidelitatis.* Norma libello huic præstituta non permittit, ut vastissimam istam materiam pro dignitate tractemus: breviter attingimus ea, quæ necessaria videntur ad intelligenda jura Ecclesiæ, aut dantis, aut accipientis Feuda, id est, Ecclesiæ Dominæ, aut Vasallæ. Feuda olim Beneficia dicta sunt 24.), quia ex benignitate Principis

---

23.) Vid. Comment. ad Tit. Pandectarum de Superficiebus. item JOAN. NICOL. HERTIUS Dissert. de Jure superfic. Opusc. Vol. I. tom. 3.

24.) Sæculo XII. cum Adrianus IV. Pontifex in Literis commonuisset Fridericum I. Imperatorem de insigni Coronæ *Beneficio* a Sede Apostolica collato, Imperator vehementer offensus, verba hæc ita interpretatus est, acsi Pontifex Imperium, tanquam Feudum a Sede Apostolica concessum diceret: rescripsit

cipis dabantur Miniſtris in ſtipendium, in ſalarium, in compenſationem ſervitiorum militarium, aut aulicorum, cum obligatione fidelitatis, quæ Miniſtris propria eſt 25.): unde more aliorum ſtipendiorum, antiquiſſimis temporibus Feuda erant ad nutum Domini revocabilia: dein per annum, demum ad vitam Vaſalli tantum durabant 26.). Ipſa autem appellatio, uti & origo Feudi, cui tempori aut nationi adſcribenda ſit, ſatis dubium eſt 27.), nec hoc loco diſcutiendum. Feudo opponitur *Allodium* (alii ſcribunt A-

---

pſit Adrianus, ſe per Beneficium non Feudum, ſed juxta proprietatem latinæ linguæ *bonum factum* intellexiſſe. Integras literas refert RADEVICUS de Geſtis Friderici I. lib. 1. c. 9. 10. & 22.

25.) Alias cauſas concedendi Feuda paſſim adducunt Scriptores. Vid. STRUV. Syntagm. Jur. feud. c. 1. §. 3.

26.) I. Feud. tit. 1. §. 1.

27.) Vid. ANT. DADINUS ALTESERRA de Orig. & Statu Feudor. Galliæ. Cap. 1. & innumeri alii, ex quibus multorum Diſſertationes ſuo Theſauro Juris Feudalis inſerit AUGUSTUS JENICHEN tom. 1. cap. 4.

laudium), quo nomine intelligitur fundus proprius ad poſſeſſorem pleno jure pertinens, a nemine niſi a ſolo Deo recognoſcendus, cujus nomine nullum Laudemium præſtandum eſt. In dubio præſumitur fundus Allodialis, non Feudalis 28.).

Quod regitur potiſſimum conſuetudine.

§. 411. Feuda reguntur jure conſuetudinario. Libellus Conſuetudinum Feudalium in Longobardia, qui nunc in duos diviſus 29.), Corpori

28.) Hoc axioma limitatur, diverſis modis, prout videre eſt apud MASCARDUM de Probation. concl. 79. ratio limitandi eſſet, quando conſtaret majorem partem rerum eſſe feudalem; nam tunc etiam aliæ præſumuntur feudales. Item quando quis eſſet inveſtitus de territorio, & bona ibidem ſita eſſent majori ex parte feudalia, quia omnia feudalia præſumuntur. ibid. n. 24. Plures Autores pro tali limitatione allegat BÖHMERUS Conſult. tom. I. part. 2. Reſp. 59. n. 7. ſeqq. Huic limitationi innitebatur Domus Bavarica, quando anno 1740. poſſeſſionem iniit Comitatus Wolffſteinenſis.

29.) Additur in Corpore Juris liber quintus Feudorum: provenit hoc ex arbitraria Conſtitutionum Feudalium diviſione

pori Juris Civilis adjungi ſolet, Sæculo XII. compilatus erat ex ſcriptis Oberti & Gerardi Conſulum Mediolanenſium, ex Conſtitutionibus Friderici I Roncalicis, & quorundam aliorum Imperatorum, ab ipſo Friderico I Bononienſibus commendatus in uſum prælectionum: ſequenti autem ſæculo ſub Friderico II. ſimul cum Jure Civili in ſcholas, fora & Curias feudales Germaniæ tranſiit. Conſuetudines feudales Alemanniæ & Saxoniæ, a privatis Autoribus collectas, recens iterum edidit & Commentariis illuſtravit JOANNES SCHILTERUS. Obſervandæ ubique ſunt Conſuetudines cujuslibet Curiæ Feudalis: in dubio nequaquam ad Jus Feudale Alemannicum, ſed ad Libros Feudorum in

ſione a Cujacio facta. Quæ iſte in libros quatuor diſtribuit, habentur omnia in noſtris libris duobus: in quintum autem librum Cujacius conjecit varias Imperatorum Conſtitutiones ad feuda pertinentes, vel etiam non pertinentes, qualis eſt Aurea Bulla Caroli IV.

Corpore Juris comprehenſos recurrendum eſt 30.).

Variæ diviſiones Feudi proprii

§. 412. Dividitur Feudum I. in Activum & Paſſivum. Per *Activum* intelligitur jus Domino directo competens inveſtiendi de Feudo: per *Paſſivum* intelligitur jus Vaſalli 31.).

II.

30.) JOANN. GOTTLIEB GONNE ſcripſit *de Commento ſpeculi Suevici*, oſtenditque, nullum veterem Codicem huic compilationi legum dare nomen ſpeculi Suevici ſeu Alemannici, ſed Goldaſtum primum id finxiſſe. Certe in MS.to de anno 1409. quod mihi ad manum eſt, nec Sueviæ nec Alemanniæ fit mentio. Variorum Principum Atteſtata, quod in Ditionibus ſuis recurratur ad Conſuetudines Feudales Longobardicas *Corpori* Juris inſertas, niſi ſpeciale ſtatutum pro quodam caſu obſtet, refert LUNIG Corp. Jur. Feud. Germ. part. 1. de Principatu Würzburgenſi fol. 1608. de Euſtettenſi fol. 1618. de Spirenſi fol. 1621. de Friſingenſi fol. 1619. de Bavaria part. 2. fol. 540. & alibi de aliis. Vid. Magnif. D. Collega JOAN. PAULUS SUTOR Elect. Juris & Fori. Concl. 93.

31.) Memorabilis hujus diſtinctionis uſus eſt in Bavaria, ubi multæ Nobiles Familiæ concedunt Feuda Vaſallis ſuis. Si ejusmodi Familia nullo ſuperſtite maſcu-

II. in *Proprium* seu *Rectum*, & in *Improprium* seu *Non-Rectum*. Rectum est, quod servat primariam intentionem & proprietates Feudi, ut scilicet concedatur benevole & gratis: ut perpetuo ad hæredes, & quidem Masculos, sub nova Investitura, ac inalienabiliter sine consensu Domini transeat: ut fidelitas promittatur jurato, & ut Vasallus obligetur ad obsequia personalia certa. *Improprium* est, quod in uno vel altero declinat a natura Feudi proprii 32.). Feu-

masculo extinguitur, Feudum istud Activum, seu jus investiendi non transit ad fœminas ejusdem Familiæ, sed ad Curiam Feudalem Principis, tanquam bonum vacans: & hoc quidem tribuitur Principi *Jure Regio*, qua phrasi utuntur antiqua Documenta. Vid. Ill. B. de Schmid ad Stat. Bav. Tit. XII. art. 2.

32.) Si naturam Feudi ex prima Feudorum ratione æstimemus, hodie omnia Feuda *Impropria* erunt, quia admodum ab illa deflectunt. Successio olim naturæ Feudorum repugnabat: pro libitu revocari poterant: renovatio investituræ ignorabatur: dominii utilis trans-

dum Proprium III. Aliud est *Nobile* & *Equestre*, quod requirit servitium militare, aut nobile; & hoc quidem vel *Regale*, vel *non Regale*: aliud *Ignobile*. IV. Aliud *Novum*: aliud *Antiquum*, *Avitum* seu *Vetus*. V. Aliud *Hæreditarium* simpliciter 33.); aliud Hæreditarium *ex pacto & providentia*, quod etiam vocatur *Gentilitium*, seu Feudum Familiæ. VI. Dividitur in *Ecclesiasticum*, quod in Bonis ad Ecclesiam pertinentibus constituitur a Prælato Ecclesiastico 34.); & in *sæculare*, quod constituitur in Bonis non Ecclesiasticis, sive dein concedens vel accipiens sit persona Eccle-

---

translatio peregrina erat. Nova tractu temporis forma inducta est: ab hac quæ declinant, vocantur Feuda *Impropria*.

33.) Feudum concessum alicui & *hæredibus* suis, non statim censetur hæreditarium simpliciter: intelligi enim solent hæredes Feudi proprii capaces. Clariores igitur expressiones requiruntur ad significandum Feudum simpliciter hæreditarium.

34.) Hæc vocari solent *Krummstäbische Lehen* a recurvo Baculo pastorali Episcopi vel Abbatis.

Ecclesiastica, aut sæcularis. VII. In *Ligium* & *Non-Ligium.* Per *Ligium* communiter intelligunt, quando Vasallus præstat Domino fidelitatem adversus quoscunque 35.): *Non-Ligium* dicitur, quando Vasallus promittit fidelitatem Domino non adversus quoscunque alios, sed ita, ut etiam aliis se obligare possit 36.). VIII. in *Datum* & *Oblatum.* Datum dicitur, quod Dominus ex suis Bonis propriis concedit: *Oblatum*, quando quis Bonorum suorum proprietatem offert Domino, ita ut sibi &

35.) In Clement. 2. de Sent. & re judic. Rex Siciliæ dicitur Homo Ligius & Vasallus Ecclesiæ Romanæ. In terris Imperii semper excipitur Imperator. II. Feud. tit. 7. & tit. 55. in fin. Inepte Dominus quidam Vasallos suos Ligios obligare voluit ad defendendam arcem suam a Lemuribus infestatam: isti enim excipiebant, se contra mortales tantum, non autem contra dæmones immortales assistere debere Domino.

36.) Vid. Gerckenrod, & Comitis ab Eckstædt Dissertationes de Feudis Ligiis.

posteris suis, deinceps iis jure Clientelari & Vasallitico uti frui liceat 37).

Et improprii. §. 413. Improprii Feudi plurimæ sunt divisiones & species, prout scilicet Feuda a propria natura possunt diversimode recedere. Tale est Feudum *Fœmineum*, in quo fœminæ, vel eodem cum masculis jure & ordine (quo casu vocatur Feudum fœmineum promiscuum & simultaneum) vel saltem deficientibus *masculis*, succedunt: *Francum*, seu *Liberum*, in quo Vasallus non ad servitia personalia, sed ad solam fidelitatem obligatur: *Emptitium*, pro pretio pecuniario concessum, sive illud vendat Domi-

37.) Verosimile non est, Feuda Germaniæ pleraque esse oblata, prout absque sufficiente fundamento *tenet* AUGUSTINUS DE BALTHASAR in *Disquisit.* de incongrua Juris feudal. Longobard. ad feuda German. adplicatione. §. 4. alia mens est WOLFG. TEXTORIS in Dissert. de Feudis Imperii propriis, non oblatis annumerandis c. 3. ubi præcipue impugnat MONZAMBANUM, vero nomine PUFFENDORFFIUM de Statu Imperii German.

Dominus directus, sive alius cum consensu Domini: *Pignoratitium*, quando conceditur pro certa pecuniæ summa ea ratione, ut liberum sit Domino, tale Feudum restituta pecunia redimere. Varia olim fuerunt Feuda, per quæ habebat Vasallus jus aliqua emolumenta percipiendi, ut Feudum de Camera, de Cavena &c.; vel habebat obligationem gerendi aliqua negotia, uti Feudum Advocatiæ. Hodie in Principatibus & Episcopatibus Germaniæ officia Pincernæ, Dapiferi, Camerarii & Mareschalli cum Bonis annexis, feudali jure ad hæredes masculos perpetuo transeunt. Frequentia etiam sunt Feuda *Bursatica* dicta a Bursa seu loculis Domini, quibus servitur soluto Relevio, quoties mutatur Vasallus.

§. 414. In Feudum concedi potest omnis & sola res immobilis temporalis. vel immobili adhærens, aut æquipollens, alienari non prohibita. Multa Feuda in universitate rerum constituuntur: sic integra territoria, Ducatus, Principatus, cum Superioritate territoriali, omnibusque Regaliis ab Imperatore conferuntur Principibus, Episcopis ac Statibus

Quæ res in Feudum dari possint?

Imperii: isti ditiones quasdam aliis Comitibus ac Baronibus, sed absque dicta Superioritate; item Prædia ac Castra Nobilibus cum variis juribus in feudum concedunt 38.). Cum re *immobili*, censentur simul in Feudum dari mobilia, quæ ad rem immobilem pertinent 39.). Cum Civitate in Feudum data, transeunt etiam res Sacræ, non quidem ut earum utile dominium nanciscatur Vasallus, sed ut in illa Civitate maneant. Insuper cum re immobili in Feudum dari possunt & solent jura eidem inhærentia, præsertim Regalia, modo eorum aliqua fiat mentio; alias enim inter res immobili adhærentes non comprehenduntur ea, quæ specialem habent excellentiam, & mentionem singularem merentur 40.). Immobilibus autem æquiparantur Jura,

38.) An his ultimis simul concedatur Jurisdictio, decidendum est ex clausulis concessionis.

39.) Sic cum fundo dantur animalia, instrumenta & alia ad prædii instructionem pertinentia: cum Castro in Feudum conceduntur tormenta bellica &c.

40.) Sic cum silva hodie non censetur transire jus venandi.

Jura, etiam absque re corporali conceſſa, ut jus paſcendi, lignandi, molendina bannalia habendi, item ſummæ capitales pecuniariæ cum jure annui Cenſus. Etiam jus venandi in Feudum dari poteſt 41.): uti & jus piſcandi in fluminibus publicis 42.): inter Regalia enim numerantur *piſcationum reditus* 43.). Econtra in Feudum dari non poſſunt res a commercio hominum exemptæ, uti res communes, res publicæ, res univerſitatis, niſi hæ ultimæ tum univerſitati, tum aliis externis ſufficientem uſum præbere poſſint, ut Paſcua &c.

§. 415.

41.) Licet feræ ante occupationem in nullius ſint dominio, & ideo jure Gentium cuilibet occupanti relictæ: poteſt tamen libertas & facultas iſta naturaliter competens, adimi & paulatim induci, ut jus occupandi res, quæ ſunt nullius, non omnibus, ſed ob rationes civiles, & quod magis viſum fuerit eſſe ex re publica, ſoli Principi competat, & cui ille concedet. MOLINA de J. & J. tr. 2. diſp. 43.

42.) De Danubio id obſervat CASP. MANZIUS ad Inſt. lib. 2. tit. 1. §. 2. n. 37.

43.) Lib. 2. Feud. tit. 56.

Etiam Bona Ecclesiarum:

§. 415. Præcipua consideratione dignæ sunt Res Ecclesiasticæ, quæ scilicet sunt in dominio temporali Ecclesiæ. Nam Feudum est alienationis species: Bona autem Ecclesiastica alienari prohibentur: passim tamen videmus hæc etiam Laicis in Feudum concedi. Prima horum Feudorum origo ex eo desumitur, quod olim ab ipsis Principibus & Regibus Decimæ & Fundi Ecclesiæ in Beneficium Militibus dati sint, eo prætextu, ut tuerentur Ecclesiam 44.). Convenientius postea visum est, ut hæc Ecclesiarum Bona Clericis in Beneficium concederentur: unde retinebatur appellatio Beneficiorum etiam apud Clericos, præsertim cum hi militiam sacram profiterentur, pro qua congruentius Bona Ecclesiæ conceduntur, quam pro militia sæculari

44.) Primus id fecisse dicitur Carolus Martellus in Gallia, quem propterea a S. Eucherio in pœnis inferni visum dicunt. Hanc tamen narrationem cum aliis reijcit GODEFRIDUS HENSCHENIUS in Act. SS. ad diem 20. Februar. in vita S. Eucherii Commentar. prævi. §. 3. seqq.

ri 45.). Cum autem Episcopi & Abbates abusum, quo Laicis conferebantur Beneficia, omnino tollere non possent, retrahebant saltem Regem a tali collatione, ut ipsimet Domini directi Feudorum Ecclesiasticorum fierent 46.). Non adeo grave id videbatur, cum ea munificentia antiqui Imperatores ditarint Ecclesias 47.), ut deceret & utile esset, Nobiles Vasallos ad tuendam dignitatem Ecclesiarum adstringere. Quo igitur tempore stipendiaria militia non-

45.) Ex modo, quo Clerici hodie possident Beneficia, intelligimus naturam antiqui juris feudalis.

46.) Unde CAROLUS M. in Capitulari III. anni 814. c. 3. quod repetitur in Capitul. lib. VII. c. 261. *præcipimus, ut si quis ex Jure Ecclesiastico hactenus nostra largitate aliquid possedit, si illa deinceps habere voluerit, ut ad proprios Episcopos veniat, & ab eis & a Præpositis Ecclesiarum, unde esse videntur, quocunque modo juste potuerit, hæc impetrare satagat &c.*

47.) De hac munificentia Principum, & orta exinde obligatione Episcoporum lectu digna est sententia STEPHANI Abbatis in Vita S. Modoaldi in Act. SS. 12. Maij. fol. 54.

nondum erat in usu, Episcopi datis Feudis ex militaris generis Viris conducebant: erat enim equestrium virium præcipua laus penes obnoxiam & feudis devotam Nobilitatem. Similiter etiam propter servitia aulica concedebantur Feuda Ecclesiastica, postquam Episcopi, Principes sæculares imitati, sibi constituerunt Officia aulica.

Præsertim in Feudis Oblatis.

§. 416. Alia occasio, & quidem valde frequens concedendi Feuda, consistit in oblatione Bonorum, Ecclesiæ hac intentione facta, ut rursus eadem in Feudum darentur offerentibus. Ex singulari reverentia & devotione erga Ecclesias istud fiebat frequenter: non raro autem proprii emolumenti ratio impellebat Nobiles, qui dominia prædiorum directa Ecclesiæ offerebant, hoc pacto, ut in turbidis diffidationum temporibus, securitatem ac oneroſam tutelam ab Episcopis obtinerent: quæ proin non sunt proprie feuda oblata, cum non proveniant ex mera Vasallorum liberalitate 48.). Plures solent asseri

48.) Rev.mus D. Ab Hontheim Hist. Trev. tom. 1. fol. 636. De subjectione sub

ri cauſæ, ex quibus infeudatio Bonorum Eccleſiaſticorum invaluit. Bona tamen ad neceſſariam ſuſtentationem Cleri aſſignata, quæ Tituli vocantur, ſingulariter infeudari prohibentur ab URBANO II. Pontifice 49.): prout etiam Decimæ ab ALEXANDRO III. & Concilio LATERANENSI III. 50.). Jus autem Patronatus etiam in Feudum conceſſum eſſe, & adhuc concedi, obvia ſunt exempla 51.).

§. 417.

ſub alterius protectione agit MAGERUS de Advocat. arm. c. 9. n. 683. ſeqq. BESOLDUS Theſaur. pract. V. *Auffgetragen Lehen.* Ejusmodi Vaſallos vocari *ſuſceptos*, patet ex SALVIANO de Gubern. Dei. lib. 5. Librum ſingularem *de Feudis oblatis* ſcripſit JOAN. NICOL. HERTIUS opuſc. Vol. I. tom. 2.

49.) Lib. I. Feud. tit. 6.

50.) C. 15. 17. 19. de Decim.

51.) Unde orta eſt appellatio *Pfarr-Lehen.* Sub appellatione Kirchenſaz ab Epiſcopo Euſtettenſi Marquardo confertur apud LUNIG Reichs-Archiv part. ſpec. Contin. III. fol. 369. ſub Appellatione der Geiſtlichen Lehenſchafft ex Suttingeri Conſuetud. Auſtr. deſcribitur apud eund. LUNIG Corp. Jur. feud. Germ. part. 2. fol. 473.

Quinam Feudum dare poſſint?

§. 417. In Feudum dare poſſunt omnes, qui cum dominio habent liberam rerum ſuarum adminiſtrationem, niſi ſpecialiter prohibeantur; & certa ratione ii quoque, qui præſunt Bonis Imperii, Eccleſiæ, aliusve Univerſitatis. Unde in Feudum dare poſſunt etiam fæminæ 52.), & plebeii, conſequenter etiam Jurisdictionem feudalem acquirere. Pupilli autem & Minores ob defectum liberæ adminiſtrationis Feuda nova conſtituere nequeunt, nec quidem interveniente Decreto Judicis: nam *Donationes a minoribus nec cum decreto celebrari poſſunt* 53.). Feuda autem propria referuntur inter gratuitas conceſſiones immobilium. Unde Decretum Judicis ſufficeret, ſi Feudum a Minore concedatur pro pretio, forte ad diſſolvendum æs alienum, aut ſi dignitas Pupilli vel Minoris omnino exigat, ut habeat Vaſallos,

Ex

52.) Ubi fæminæ absque mariti vel Curatoris conſenſu alienare non poſſunt, uti in Saxonia, ibi etiam ad dandum feudum requiritur talis conſenſus.

53.) L. 3. C. ſi major. fact. alienat. fact. &c.

Ex iis qui administrant res Universitatis, renovatio Feudorum Imperii spectat ad Imperatorem, vacante Imperio ad Vicarios Imperii, exceptis Feudis Regalibus, quorum Investitura & collatio soli Imperatori vel Regi Romanorum reservatur. Quoad nova autem Feuda hodie Imperatori non licet Feuda Imperii magnorum redituum ad Imperium reversa de novo dare aut promittere absque consensu Electorum, Principum vel Civitatum, si sint Electoratus, Principatus, vel Civitates Imperiales 54.).

S s §. 418.

54.) Capitulat. variorum Imperatorum, & quidem hodierni Francisci I. art. 11. §. 10. & 11. Quod autem dicitur, talia feuda debere in posterum Imperio incorporari pro conservanda dignitate Imperatoris, id non debet intelligi de Electoratibus sæcularibus, qui extincta Electoris Familia debent ab Imperatore alteri Principali Familiæ conferri cum consensu reliquorum Electorum. Excipitur Electoratus Bohemiæ, cum in casu vacationis, Regnicolæ habeant jus eligendi Regem. Aur. Bull. c. 7. §. 5. De Electoratu Bavariæ cautum est in Instrum. Pac. Westphal. art. IV. §. 9.

An etiam Prælati Ecclesiarum?

§. 418. Prælatis Ecclesiarum non licet de novo infeudare res Ecclesiasticas sine solennitatibus juris ad alienationem requisitis. Possunt tamen renovare feuda antiqua, novas Investituras dando hæredibus Vasalli juxta tenorem primævæ Investituræ; vel ad Ecclesiam reversa dare de novo, si tales res ab antiquo infeudari sint solitæ 55.), & eadem ratio, ac utilitas Ecclesiæ pro nova concessione pugnet. Sic Feuda, quibus hæreditaria Officia Pincernæ, Marescalli &c. sunt annexa, post extinctam unam familiam potest Prælatus Ecclesiæ absque solennitatibus concedere alteri Familiæ, etiam suis Agnatis, æque aptis ad conservandam

55.) C. 2. x de Feudis. & Extrav. ambitiosæ, inter commun. de reb. Eccles. alien. Si res ad Ecclesiam reversa mensæ Episcopi incorporata jam fuit, nova infeudatio absque solennitatibus fieri non potest: incorporatio autem facta censetur, si expressa declaratione & destinatione Mensæ Episcopi applicata, vel diuturno usu ad classem bonorum mensalium tracta, atque in libros, in quibus bona mensalia descripta sunt, relata fuerint. Vid. c. 8. de Reb. Eccl. alien. Bona

dam dignitatem Ecclesiæ 56.). Multo magis possunt Prælati Ecclesiastici sine solennitate constituere Feudum ex bonis allodialibus Laicorum natum, scilicet per oblationem solennem, quia talis infeudatio non est alienatio, sed potius dominii directi acquisitio. Capitulum Sede vacante non potest bona ad Ecclesiam reversa reinfeudare, sicut non potest Beneficia Ecclesiastica, quo-

---

Bona autem mensalia, olim quidem in feudum legitime data, sed postea ad Ecclesiam reversa, non videntur posse libere reinfeudari. Ex lib. 2. Feud. tit. 35. colligitur, Episcopos olim sibi sumpsisse magnam libertatem infeudandi Bona Ecclesiæ, excepto Archi-Episcopo Mediolanensi, qui non poterat *dare in Feudum, quod tempore introitus sui in dominico*, id est, in patrimonio Ecclesiæ, *invenerit*, reversum forte ad Ecclesiam tempore antecessoris sui, jam autem incorporatum mensæ Archiepiscopali. Poterat autem feudum sibi apertum alteri concedere, si expedire vidisset, non obstante juramento de non infeudando de novo, prout rescribit Pontifex C. 2. de Feud. quo jure hodie utimur.

56.) Christinæus Vol. VI. decis. 8. n. 24. seqq.

rum Collatio ad Episcopum pertinet, conferre: imo nec potest Sede vacante Investituram renovare, nisi eorum Feudorum, quorum collatio ad solum Capitulum pertinet. Abbates, Abbatissæ & alii Ecclesiarum Rectores Feuda dare vel Investituram renovare possunt, non aliter, nisi juxta antiquam consuetudinem 57.).

Quinam possint Feudum accipere?

§. 419. Qui Feudum *accipit*, vocatur Vasallus 58.). Accipere autem possunt omnes, qui contrahere, & contrahendo obligari, modo honeste stare possint in Curia Domini, & tales non sint, qui a nemine in tutelam possint recipi. Unde excipiuntur infames, rei criminis læsæ Maje-

57.) Omnem reinfeudationem sustulit URBANUS VIII. anno 1625. sed ista Constitutio videtur solummodo *obligare in universa Italia.* Tenorem ejus refert TAMBURINUS de Jure Abbat. tom. 3. disp. 14. quæst. 4.

58.) Vox hæc diminutiva est a *Vasso.* Unde autem *Vassi* appellatio derivetur, variæ sunt opiniones, & quædam valde ineptæ. Vid. STRUVII Syntagm. Jur. feud. c. 5. §. 12.

Majestatis, banniti &c. Etiam dignitate superior accipere potest Feudum ab inferiore; servitia tamen præstat per Sub-Vasallum. Exemplo sunt quatuor Electores Sæculares Imperii, qui ab Episcopo Bambergensi in feudum suscipiunt Officia per Sub-Officiales præstanda, qualia præstant Imperatori, ita ut Rex Bohemiæ sit Supremus Pincerna, Elector Bavariæ Supremus Dapifer, Elector Saxoniæ Supremus Mareschallus, Elector Brandenburgicus Supremus Camerarius Episcopi Bambergensis 59.). Episcopi aliique Prælati Germaniæ Principatus & plerasque Ditiones suas recognoscunt tanquam Feuda Imperii, & de iis investiuntur ab Imperatore 60.).

59.) Vid. Gewold. de Septemviratu. C. 10. fol. 170. seqq. Struv. Corp. Jur. publ. c. 17. §. 35. & alii passim. Ritus talis Investituræ refert Lunig in Theatro Ceremon. tom. 2. c. 24. §. 10. 20. 21.

60.) Böhmerus ad tit. de Feud. §. 70. cum Zieglero Feuda Ecclesiæ concessa refert ad σιδηροξυλον Ecclesiasticum, cum Vasallorum status sit militaris, qui re-

Fæminis, Clericis, Religiosis Communitatibus, & aliis successionis feudalis incapacibus primitus possunt concedi Feuda: ipso facto enim indulgetur, ut servitia suum statum dedecentia obeant per substitutum. Communitates autem constituere debent quasi-Vasallum ad accipiendam Investituram, & petendam ejus renovationem. Infans non nisi Tutoris autoritate feudum accipere potest: impubes potest quidem absque alia autoritate Feudum acquirere, sed tamen ut domino Feudi obligetur ad servitia, opus est Tutoris autoritate. Minor accipiendo Feudum obligatur ex contractu feudali ad servitia per substitutum præstanda: Juramentum tamen fidelitatis differtur, usque dum ad illud fiat habilis. §. 420.

---

repugnat statui Episcoporum. Sed certum est, posse concedentem varias conditiones feudo aptare; inter quas etiam est, ut Vasallus militaria servitia per alium præstet. Id faciunt nostri Episcopi absque læsione status sui. Unde non Episcopi & Clerici, prout criminantur Protestantes, sed Feuda a veteri suo institituto recesserunt.

§. 420. Feudum vel alicui primum constituitur, vel per successionem defertur. Quoad primam constitutionem, distinguitur *Promissio* Feudi ab ipsa constitutione & acquisitione. Promissio fit vel actu inter vivos, pacto scilicet & contractu, vivente adhuc Vasallo possessore; vel etiam ultima voluntate, vocaturque *Exspectativa*, qua datur jus succedendi in Feudum sub conditione, si ad Dominum redierit: quod jus transit ad hæredes 61.). Successores Domini, qui jure hæreditario succedunt, tenentur Exspectativam a Prædecessore concessam servare, quia hæres tenetur ratum habere factum defuncti. Qui autem jure proprio, per Electionem, vel ex pacto & Providentia Majorum succedunt, non tenentur implere promissionem Antecessoris, nisi promissio facta sit

Feudum constituitur per Promissionem:

61.) Videtur quidem Exspectativa in Feudis, præsertim Ecclesiasticis, reprobanda, sicuti in beneficiis Ecclesiasticis: nihilominus usu obtinuit, præsertim in Germania. Vid. lib. I. Feud. tit. 3. Lib. 2. tit. 26. §. 2. & tit. 35. Böhmer ad tit. de Feud. §. 44.

in remunerationem meritorum, vel exigente neceſſitate aut utilitate Eccleſiæ vel Reipublicæ. Si promiſſio facta eſt ab Epiſcopo & Capitulo ſimul in feudo, quod ad utriusque collationem pertinet, tenetur ſucceſſor ſtare promiſſo. Si idem Feudum pluribus ſucceſſive promittitur, antiquior promiſſarius habet jus prioritatis, niſi alter obtinuiſſet poſſeſſionem vel Jus reale in Feudo: quo caſu antiquior habet regreſſum ad promittentem vel ejus hæredes, ut ſervetur indemnis.

Per Inveſtituram:

§. 421. Talis Promiſſio parit jus ad rem eveniente conditione: plene autem a Domino conſtituitur, & a Vaſallo acquiritur Feudum per *Inveſtituram*, quo nomine intelligitur actus ſeu contractus, quo Dominus fidelitatem ſibi promittenti, ſolennibus legitimis adhibitis, jus feudi per traditionem conſtituit: conſequenter Vaſallus dominium utile, ac poſſeſſionem naturalem & civilem acquirit. Hæc dicitur Inveſtitura *propria*. Alia eſt *abuſiva*, quando non intervenit vera traditio, aut poſſeſſionis translatio, ſed ſignis quibusdam, ſolennitatis cauſa, rei feudalis

dalis traditio repræsentatur, ita ut exinde Dominus sit obstrictus ad rem tradendam, Vasallus vero ad fidelitatem præstandam, qui usque ad actualem traditionem habet jus autoritate propria possessionem vacuam ineundi, vel judicialiter petendi. Solennitas hujus actus in Feudis majoribus coram Throno Imperatoris recipiendis, hodie plerumque consistit in præsentia testium saltem duorum (qui in prima Feudi constitutione deberent esse *Pares Curiæ*), & in porrectione ac osculo gladii, nulla distinctione Principum Ecclesiasticorum vel Laicorum: in aliis Feudis alia signa adhibentur. Imperatores olim investiebant Episcopos & Abbates per baculum 62.), & Annulum: hanc Investituram Hen-

62.) Baculus Pastoralis adeo proprium Episcopalis potestatis signum erat, ut Adalbero S. Udalrici nepos in Synodo Ingelheimensi Anno 972. hæresis insimulatus fuerit, quod publice gestaverit Baculum, vivente adhuc Avunculo S. Udalrico. Ritus & Ceremonias Investiturarum refert LUNIG in Theatro Ceremon. tom. 2. c. 24.

ricus V. Imperator Anno 1122. ceſſit Calliſto II. Pontifici, ſibique reſervavit jus præſentiæ in Electionibus, & Inveſtituræ per Sceptrum 63.) de Bonis & Juribus temporalibus ab Imperio dependentibus. De Inveſtitura ſimultanea in noſtris partibus non ex Saxonico, ſed ex communi jure feudali judicatur, quando ſcilicet pluribus aliquod condominium in Feudo conceditur; vel unus inveſtitur ſolummodo eventualiter, ita ut detur Expectativa, *ſeu jus* ſuccedendi in Feudo, quod ad Dominum redierit 64.). Inveſtituram Vaſallus accipit tantum ab uno, etiamſi ſint

63.) Inveſtitura per Sceptrum *forte nunquam* fuit propria ſolis Clericis, *ſed illo* etiam tempore adhibebatur apud Laicos. Unde Rudolphus I. quando *Sceptrum* ad manum non erat, adhibebat Chriſti e Cruce pendentis imaginem.

64.) De Inveſtitura *Abuſiva legi* poteſt Diſſertatio Stryckii Volum. VIII. Diſp. 11. De ſimultanea Schilterus in Comment. ad Jus feud. Alemann. cap. XVI. item Diſſert. ejusdem de Inveſtitura Principum Imperii ſimultanea, quæ adjecta eſt dicto Commentario fol. 334.

sint plures consortes dominii directi, præsertim si sit Collegium. Unde nomine Ecclesiæ investit Episcopus, nomine Capituli Decanus vel Præpositus &c. Traditio autem Feudi fit vel vero modo, inducendo in fundum feudalem; vel fictis quibusdam modis, uti demonstrando rem & dicendo, se possessionem ejus tradere; jubendo, ut Vasallus possessionem apprehendat; volendo, ut investitus rem, quæ jam est apud ipsum, jure feudi possideat; patiendo, ut alter eo jure, de quo est investitus, utatur &c. Sicut constituitur Feudum promittendo, vel tradendo Dominium utile in re propria: ita etiam constituitur, concedendo alteri dominium directum rei allodialis, reservato sibi & hæredibus suis jure feudali, quod contingit in Feudis oblatis 65.).

§. 422.

65.) Eberhardus de Eppenstein multa Bona in Imperio sita, obtulit Regi Galliæ. Struv. in Appendice IV. ad Syntag. Jur. feud. fol. 156. Hodie autem Bona in Provincia quadam sita, non possunt offerri cuidam extra Provinciam absque consensu proprii Principis.

Per Præscriptionem.

§. 422. Insuper Feudum constituitur & acquiritur *Præscriptione* longissimi temporis, nimirum triginta annorum, si sæculare; & quadraginta, si Ecclesiasticum sit Feudum, si quis scilicet rem tanquam feudalem per tot annos bona fide possiderit, servitia præstando, petendo, vel acceptando 66.). Fit igitur per talem Præscriptionem, ut quis acquirat dominium utile in re alterius: vel viciſſim ut retineat *in re* antea propria dominium utile, *& alteri* acquiratur dominium directum: *qua* ratione etiam dominium directum acquiri potest contra tertium, cujus revera fuisset res propria.

Transfertur

§. 423. Feudum rite constitutum in alium transfertur per *Successionem.* Regulariter successio in Feudo non datur ex Testamento, vel *Legato*, nisi sit simpliciter hæreditarium; quia jam primi constituentes *Feudum*, certa ratione posteris prospexerunt. Ab intestato igitur in *Feudo* familiæ regulariter succedunt Descendantes

67.

66.) Lib. 2. feud. tit. 26. c. 4.

67.), naturales & legitimi simul 68.): & his deficientibus in Feudo antiquo succedunt Agnati collaterales, habi-

---

67.) Ascendentes, præter paucos quosdam alios casus, succedunt, si in favorem Descendentium refutarunt feudum & hi viventibus adhuc Ascendentibus decedunt absque Descendentibus.

68.) Legitimati per subsequens matrimonium admittuntur ad feudum: nequaquam autem nati ex sponsis de futuro, quidquid pro contraria opinione dicant scriptores Acatholici, cum STRUVIO Synt. Jur. feud. C. 9. §. 3. n. 13. Conciliandi sunt textus in lib. II. Feud. tit. 26. §. 5. V. *Filii.* & tit. 29. Juxta hunc ultimum titulum filii nati ex matrimonio ad morganaticam contracto, non succedunt in Feudo: juxta priorem textum succedunt in Feudo filii nati ex matrimonio contracto cum hac conditione, ne filii Patri ab intestato succedant. Nam tale pactum deberet stricte intelligi, scilicet solum de successione allodiali, cum aliud vitium intervenire non supponatur: quia enim filius feudum habet a primo acquirente, huic juri Pater præjudicare non velle censetur. In posteriore autem textu sermo est de matrimonio contracto cum ignobili fœmina, qualia matrimonia juxta Leges feudales Longobardicas, & consuetudines Germaniæ non sunt idonea ad successionem feudalem.

habiles ad servitia Domino præstanda, & descendentes ex sanguine primi acquirentis, linea & gradu, juxta Jus Civile computato, proximiores ultimo possessori 69.), nullo discrimine facto inter Fratres Germanos & Consanguineos, excluſis regulariter fæminis, illisque, quos Jus feudale non admittit ob vitium corporis e. g. cœcitatem, vel vitium mentis.

Per Successionem;

§. 424. In quibusdam Feudis, qualia sunt Electoratus Imperii 70.), & alia ex pacto Familiarum, succedit solus Primogenitus, vel hujus prædefuncti Primogenitus Filius; linea autem Primogeniti extincta ad successionem venit linea secundo geniti &c. In aliis quibusdam Feudis introductus est Majoratus, ita ut Senior Familiæ in Feudo succedat. In Feudis individuis, uti sunt in Germania pleraque Feuda Regalia, Ducatus &c. divisio est prohibita ad conservandum splendorem illustrium familiarum 71.): abs-

69.) Linea defuncto Vasallo est proximior, quæ propinquiorem communem stipitem cum ipso habet.

70.) Aur. Bull. Cap. 7.

71.) De Electoratibus disponit Aurea Bulla c. 25.

absque tali prohibitione ſuccedunt omnes filii in capita, daturque inter Deſcendentes ex eadem linea, jus repræſentandi, eo modo, quo in Allodialibus ſucceditur. Cum filius jus ſuccedendi in feudo antiquo non a Patre ſuo, ſed a primo acquirente habeat, hinc ſuccedit in Feudo etiam filius quoad reliquam hæreditatem exhæredatus. Ut tamen filius ſuccedat in feudo, repudiata reliqua hæreditate Patris, conſuetudines Feudorum Longobardicæ non permittunt, quamvis id concedant aliis propinquis 72.): indecens enim videtur, ut filius gaudeat Feudo, & reliqua Bona Patris ſubhaſtari permittat. Filius igitur, non autem reliqui Agnati, tenetur ſolvere debita a Patre defuncto contracta: ſi hæc tamen ratione & in bonum Feudi contracta, vel Feudum ſit ſimpliciter hæreditarium, tenentur omnes

72.) II. Feud. tit. 51. c. 4. de Jure Bavarico etiam filii poſſunt ſuccedere in Feudo, repudiata reliqua hæreditate allodiali. Cod. Civil. Bavar. p. 4. c. 18. §. 40. n. 8.

nes in Feudo ſuccedentes 73.). Feuda Burſatica, ſicut Bona allodialia, pro omnibus debitis obligantur, non tantum quoad fructus, ſed etiam quoad ſubſtantiam, ita ut alienari tales res feudales pro quibuscunque debitis poſſint, adj quam alienationem Dominus conſenſum non negabit.

Sæpe etiam in fæminas:

§. 425. In quibusdam Feudis fæminæ ſuccedunt, extincta ſtirpe maſculina 74.): & quidem ſi jus Primogenituræ inter maſculos locum habuit, idem ſervari debet in fæminis poſt extinctos maſculos ſuccedentibus.

73.) Codex Bavar. Civil. p. 4. c. 18. §. 26. ſeq. facit diſcrimen inter *debita feudalia*: pro aliquibus obligatur ipſa ſubſtantia feudi, pro aliis ſoli fructus.

74.) Catalogum talium *Principatuum* & Feudorum exhibet ITTERUS de Feudis Imperii cap. 14. a fol. 722. Ad ſucceſſionem in Feudis Eccleſiaſticis nimis liberaliter fæminas admittit WERNERUS THUMMERMUT in Tract. *Krumbſtab ſchleuſt niemand aus.* cui circa Feuda Colonienſia ZIMMERMANNUS oppoſuit Tract. *Cölniſcher Krumbſtab ſchleuſt die Weiber aus.* Add. ſupra allegatus D. SUTOR Concl. 43. & 67.

bus. Nam Primogenitura ex ea potissimum ratione introducitur, ut Bona maneant indivisa: eadem autem ratio pugnat in succedente fœmina, ne scilicet Provinciæ, in plures divisæ partes cum subditorum, tum publicæ salutis periculo debilitentur. Eveniente igitur casu, quo nullus superst masculus ex primo acquirente per lineam masculinam descendens, inchoatur nova successio lineæ fœmineæ, in qua jure Primogenituræ, primo loco intrat cum omnibus suis descendentibus fœmina illa, quæ antiquius jus habet, quod jus in favorem stirpis masculinæ interim fuit suspensum 75.). Unde quando dicitur 76.), in Feudo, quod descendentes masculi & fœminæ habere possunt, relicto masculo, ulterius fœminas non admitti; regula hæc, si de exclusione simpliciter facta intelligatur, ea solum

T t ratio-

75.) Notabilis est succedendi modus in Domo Austriaca introductus per Sanctionem Pragmaticam Caroli VI.

76.) I. Feud. tit. 6. §. 1.

ratione niteretur, quod jus semel extinctum nunquam reviviscere possit: at vero ubi successio fœminæ vel per pactum, vel per dispositionem primi acquirentis usque ad extinctionem lineæ masculinæ suspenditur, jus talis fœminæ nunquam dici potest extinctum, quoniam semper habet spem successionis, si stemma masculinum deficiat 77.). Interim tamen viventibus Masculis, habent fœminæ jus, ut dos & alimenta sibi constituantur ex Feudo, si aliunde ex hæreditate non acquirant.

Regulariter non in Clericos.

§. 426. Quamvis Feuda Clericis primitus conferri possint, quia eo ipso nihil statum Clericalem decens, exigi supponatur: regulariter tamen non succedunt Clerici vel Religiosi in Feudo jam constituto 78.), &

77.) Ill. D. Cramerus de renuntiatione & successione fœminarum plures Dissertationes inseruit tomo primo suorum opusculorum.

78.) Nisi investiantur immediate ab Imperatore, ut habet Codex Feudalis Alemannicus C. 3. §. 1. aut per Electionem, prout exprimit Codex Feudalis Saxonicus C. 2. quæ intelliguntur de Episcopis, Prælatis & Abbatissis.

& Laicis conceſſo, niſi probetur conſuetudo talis vigere in Curia illa feudali, quæ inveſtituram concedit. Conſuetudines Longobardicæ 79.) privant Feudo jam poſſeſſo Vaſallum, qui Clericatum, vel Religioſum Ordinem aſſumit. Sed hodiernis moribus facile permittitur, ut Clericus retineat Feudum jam poſſeſſum 80.), ſicut etiam fæmina, ex defectu maſculi ſucceſſoris inveſtita, non privatur Feudo, etiamſi paulo poſt naſcatur maſculus ſucceſſionis capax. Regula dari ſolet, quod Clericus ſuccedere poſſit in illis Feudis, ad quæ etiam fæminæ admittuntur, quia in compilationibus Conſuetudinum Feudalium ubique componuntur Clerici & fæminæ: parem enim incapa-

79.) Lib. II. Feudor. tit. 21. 26. 30.

80.) Conſentiunt Conſuetudines Feudales Alemannicæ c. 3. §. 2. Vid. SCHILTERUS in Commentar. ad eundem locum. Idem jus competit Clericis Societatis Jeſu, quos Scholaſticos vocant, ante ſolennem Profeſſionem. Vid. D. BALTHASAR ad Jur. Bavar. tit. 12. reſolut. 2. P. PICHLER ad lib. III. Decretal. tit. 20. de Feud. n. 19.

citatem habent ad servitia militaria per se præstanda, aut familiam propriam propagandam.

Renovatur Investitura suo tempore.

§. 427. Si Feudum legitime constitutum, ac per successionem delatum sit, ad istud retinendum opus est renovatione Investituræ, mutata Domini, vel Vasalli persona, nisi renovationis petitio ex pacto Investituræ adjecto, vel ex speciali loci consuetudine remittatur. Mutatur autem Dominus morte; Vasallus vero morte, alienatione Feudi, vel Feudo ob feloniam amisso. Communitates, quæ non moriuntur, constituere solent quasi-Vasallum, post cujus mortem renovanda est Investitura: aut ad hanc petendam præfigitur ejusmodi Collegiis certum tempus, forte viginti annorum. Contingente mutatione petenda est renovatio intra annum & diem 81.), in

81.) Lib. I. Feud. tit. 22. Militi conceditur *annus & mensis*. Hic textus non videtur differe ab aliis, qui *annum & diem* præfigunt non militibus: nam in Jure feudali, militis appellatione quilibet Va-

in cujus petitionis teſtimonium Vaſallo concedi ſolet breve atteſtatum: poſtea terminus Inveſtituræ renovandæ præfigitur, intra quem Vaſallus per ſe, vel per Procuratorem ſpeciali Mandato inſtructum, comparere debet. Præſtito dein juramento Contractus feudalis ſolenni Inveſtitura renovatur, conficiturque deſuper Inſtrumentum juxta tenorem primæ Inveſtituræ, niſi expreſſa Domini, Vaſalli, eorumque quorum intereſt, voluntate aliquid immutetur.

§. 428. Vi Contractus feudalis, Dominus directus retinet proprietatem, ſeu dominium directum rei feudalis 82.): & conſequitur jus adverſus Vaſallum in ordine ad ea omnia, ad quæ ipſi obligatur Vaſallus *Domini directi,*

Vaſallus denotatur. Dies igitur hoc loco civiliter intelligitur, ne ſcilicet neceſſitas petendi præciſe annuo ſpatio includeretur: unicus autem dies vix annum excedit: inſinuatur itaque, non differendam petitionem ultra annum per dies multos, qui menſem excedant.

82.) II. Feud. tit. 23.

juxta mox dicenda. Viciſſim obligatur Vaſallo conferre Inveſtituram, & in vacuam poſſeſſionem mittere poſt promiſſam a Vaſallo fidelitatem, aut reſarcire damnum ex dilatione Inveſtituræ ſecutum: tenetur Vaſallo in re aliena inveſtito ad evictionem, niſi Feudum conceſſum fuiſſet mere liberaliter & gratuito 83.), eidemque fidelitatem, non tamen juratam, reciproce exhibere 84.).

Et Vaſalli

§. 429. Vaſallus ex Contractu Feudali conſequitur poſſeſſionem & dominium utile rei in feudum conceſſæ, vi cujus poſſit ea privative, excluſo etiam Domino, uti frui ſalva ſubſtantia: etiam alteri æque habili in Sub-Feudum concedere 85.), aut

---

83.) Evictio haberet ſolummodo locum, ſi titulo oneroſo datum eſſet Feudum, & quidem ab ipſo Domino, ſecus ſi ab alio.

84.) C. 10. XXII. q. 5. & Lib. II. Feud. tit. 67. Fidelitas, ad quam Dominus Vaſallo eſt obſtrictus, non videtur alia, quam quæ debetur aliis hominibus.

85.) Jure communi feudali iſtud conceditur, quamvis alienatio ſit prohibita, &

aut fructus locare 86.): ipsam rem vindicare, & alia jura ad Feudum spectantia persequi. Consequitur etiam jus adversus Dominum directum ad ea omnia, ad quæ obligari Dominum Vasallo diximus 87.). Vicissim obligatur Vasallus Domino I. Ut juret fidelitatem, quæ consistit in exhibenda Domino reverentia; promovenda ejus incolumitate

& subfeudatio sit species alienationis. Hinc in Bavaria non licet subinfeudare absque consensu Domini: & de Jure quoque communi talis sub-feudatio in feudo antiquo debet fieri sine præjudicio Agnatorum, qui jus ad feudum habent; & sine præjudicio Domini directi, respectu cujus subinfeudans manet Vasallus, quamvis respectu sub-Vasalli gerat personam Domini.

86.) Fructus Feudi non sunt feudales, sed allodiales: consequenter potest libere de iis disponi.

87.) In Instrumento Pacis Westphalicæ Art. V. §. 42. statuitur a Sola *qualitate feudali vel subfeudali, jus reformandi non dependere:* proin nec Dominus directus, nec Vasallus gaudet jure reformandi, nisi simul habuerit Superioritatem Territorialem, cum qua jus reformandi exercitium Religionis confirmatur ibidem §. 30.

atque commodo; avertendo omni damno, Domino ac personis proxime conjunctis imminente in vita, honore, bonis; illisque defendendis, consilio & auxilio juvandis 88.). Sublatis, quæ olim fervebant, litigiis inter Pontifices & Imperatores, hodie etiam Episcopi & Abbates in renovatione Investituræ Imperatori fidelitatem jurant more Laicorum Principum 89.). II. Ut vocatus a Domino præstet servitia feudalia, vel solvat Relevium, nisi Feudum sit francum. Servitia plerumque in prima conventione determinantur, & solent esse in Feudis Imperii potissimum militaria, quo refertur servitium exhibendum Imperatori a Principi-

88.) Quando juramentum remittitur, Vasallus tamen ad eandem fidelitatem obligatur, quam solet saltem promittere. stipulata manu, prout promittunt quatuor Electores Imperii Episcopo Bambergensi.

89.) Vid. Itterus de Feud. Imper. C. 9. §. 41. Illos tantum Laicos perstringit Innocentius III. C. 30. de Jurejur. *qui Viros Ecclesiasticos nihil temporale obtinentes ab eis, ad præstandum sibi fidelitatis juramenta compellunt.*

cipibus & Statibus Imperii, horumque Vaſallis, qui Valvaſores dicuntur, in Expeditione Romana, ſeu itinere, ab Imperatore Romam pro ſua Coronatione inſtituendo. Deberent quidem ſervitia præſtari perſonaliter: ſed ſæpiſſime excuſat conditio ſeu ætas perſonæ, conſuetudo &c. 90.).

§. 430. III. Ut re feudali utatur fruatur, prout decet diligentem Patrem-familias, compenſetque damna, dolo, culpa lata aut levi illata. IV. Ut petat renovationem Inveſtituræ intra annum & diem, quotiescunque mutatur Dominus directus, vel perſona Vaſalli 91.): qua occa- *Jura & Obligationes.*

90.) Multos ab onere ſervitiorum exemptos recenſet ITTERUS loc. cit. c. 20. §. 6.

91.) Epiſcopi Catholici tempus petendæ ab Imperatore Inveſtituræ computant ab obtenta Confirmatione Apoſtolica; Acatholici autem a tempore Poſtulationis. Poſt mortem Epiſcopi Imperator non gaudet Regaliis, ſed Capitulum adminiſtrat, & exercet Jurisdictionem. Si collatio Feudi pertinet ad Epiſcopum, Vaſalli non tenentur petere renovationem Inveſtituræ, etiamſi ultra annum & diem Sedes Epiſcopalis vacet.

sione ex consuetudine præstatur aliquid, quod vocatur *Relevium*, seu *Laudemium*, quam consuetudinem Dominus probare debet 92.). Principes Imperii pro renovatione Investituræ nullum solvunt Relevium 93.): sed tamen solvunt aliquod honorarium, Electores quidem solis ministris aulicis, reliqui Principes etiam Officialibus hæreditariis 94.). Prælati Augustanæ Confessionis ultra taxæ ordinariæ summam, insuper ejusdem dimidium pro infeudatione pendunt 95.) Imperatori, cum pro Confirmatione aliisque juribus nihil præstent Curiæ Romanæ 96.).

92.) In Feudis Equestribus consuetudo harum Provinciarum requirit plerumque pro Relevio sclopetum cum reliquo apparatu ad explodendam glandem plumbeam idoneo. In Feudis Bursaticis Relevium proportionatum est pretio rei feudalis.

93.) Aur. Bulla C. 29.

94.) Honoraria singulis præstari solita recenset Samuel Stryckius in Exam. Jur. feud. Append. N. V. b.

95.) Instrum. Pac. Osnabrug. Art. V. §. 21.

96.). V. Ut non alienet dominium utile, & rem feudalem absque consensu Domini, nec ad longum tempus locet alteri, aut servitute oneret, nisi forte alienatio fiat in Agnatum proxime successurum. VI. Incumbunt Vasallo quæcunque onera rei feudalis, uti sunt Decimæ, Steu-

---

96.) AUTOR MEDITAT. ad Instr. Pac. loc. cit. hoc male adscribit invidiæ Catholicorum. Adscribendum potius est æquitati. cum enim Protestantes in Episcopos Postulati æqualia jura cum Catholicis prætendant, æquum est, ut sentiant etiam æqualia onera. Unde postquam Status Catholici 1. Junij anno 1646. proposuerunt, ut Imperatori cedant jura in Episcopatibus Protestantium, quæ antea præstita fuerant Pontifici: Acatholici æquitatem rei agnoscentes aliud non reposuerunt, nisi, ut Episcopi Protestantes in Taxa feudali non graventur nimium. Sperabat scilicet Imperator, componendas aliquando esse discordias Religionis, quo casu adveniente mox jura Pontificis interim a se recepta, restitui possent absque novo gravamine Provinciarum. Vid. MEJERI Act. Pac. Westphal. tom. 3. lib. 20. §. 12. a fol. 150.

Steuræ, Census, Operæ &c, item impensæ ad conservationem rei feudalis, vel percipiendos fructus necessariæ. Ut ista præstentur a Domino & Vasallo, utrinque datur Actio personalis, bonæ fidei, rei persecutoria, perpetua, & tam active, quam passive transiens ad hæredes; quæ dici potest *Actio Feudalis.*

Feudum finitur vel per delictum Vasalli:

§. 431. Feudum finitur vel amittitur I. si pereat res feudalis totaliter, II. Per Præscriptionem, ut supra dictum 97.). III. Si Dominus directus, ut communiter tenent Doctores, decedat sine hærede, aut delinquat in Vasallum tali delicto, propter quod Vasallus in Dominum delinquens privatur Feudo, quo casu dominium utile consolidatur cum dominio directo 98.). IV. Ex parte

97.) Præscriptio currens contra Vasallum, non currit contra ejus Agnatos, donec jus agendi ad ipsos devolvatur, nisi in quantum sunt hæredes allodiales Vasalli, & tenentur facto ipsius.

98.) Per talem consolidationem res non ita fieret allodialis, ut filiæ succederent cum præjudicio Agnatorum. Ita

te Vaſalli amittitur dominium utile vel per *delictum*, quando per Feloniam 99.) Feudum committitur, & fit caducum: vel per *aperturam*, ſi deficiat hæres aut agnatus ſucceſſionis capax; ſi Vaſallus refutet Feudum, aut fiat inhabilis ad ſervitia, aut edat Profeſſionem Religioſam. Per Feloniam ſeu delictum *Commiſſionis* amittitur Feudum, ſi Vaſallus Dominum directum graviter lædat in vita & corpore, fama, bonis fortunæ &c.; vel perſonas ipſi proxime conjunctas: ſi per aliud delictum incurrat infamiam, ut honeſte in Curia Domini ſtare non poſſit: ſi delinquat in ipſa re feudali, eam notabiliter reddendo deteriorem, alienando

---

tamen felonia ex parte Domini, & inde ſequens amiſſio dominii directi in plerisque locis non obſervatur: ſicuti etiam, ſi dominus absque hærede moriatur, hodie dominium directum habebit rationem boni vacantis, & fiſcus intrabit in locum domini directi, apud quem proin renovatio petenda eſt. De Jure Regio Ducum Bavariæ vid. ſupra not. 81.

99.) *Felonia* derivatur a Teutonica voce *Fehl*, qua ſignificatur defectus,

nando &c. Per delictum *Omissionis* amittitur Feudum, si dolose negligat petere Investituram intra annum & diem; aut requisitus pertinaciter cesset præstare servitia, vitam vel Bona Domini periculo eripere, Dominum injuste detentum liberare, inopem pro qualitate alere &c. 100.).

Vel per Aperturam:

§. 432. In defectu hæredis vel Agnati, revertitur Feudum ad Dominum directum, & cum dominio directo consolidatur dominium utile. Superveniente inhabilitate *vel* Professione Religiosa, devolvitur ad eos, qui mortuo succederent. Feudum novum Domino resignatum, ad Dominum: Feudum novum vel antiquum proximo Agnato cessum, ad hunc; & Feudum antiquum tertio resignatum, postliminio saltem redit ad Agnatos post mortem *resignantis*. Si propter delictum amittitur, Feudum novum revertitur *stabiliter* ad Dominum: antiquum propter delictum,

100.) 1. Feud. 22. & lib. II. tit. 24. §2. 55. Caducitas incurritur per ejusmodi omissionem *dolosam*: *culpabilis* omissio mitiore pœna castigatur.

ctum, vel Inveſtituram debito tempore doloſe 1.) non petitam, ordinarie revertitur quidem ad Dominum, quamdiu vivit delinquens, vel etiam ejus Deſcendentes hæredes: his extinctis devolvitur iterum ad Agnatos. Si autem delictum non committatur adverſus ipſum Dominum, Vaſallum tamen reddat infamem, Feudum mox ad proximos Agnatos devolveretur, excepto caſu criminis læſæ Majeſtatis, perduellionis &c. ob quæ crimina confiſcantur Bona, & Feuda revertuntur ad Dominum, excluſis Agnatis. Si Prælatus ob delictum privatur Feudo, id non nocet Eccleſiæ.

§. 433. In caſu Aperturæ vel Feloniæ, caducitas non ipſo jure vel facto, ſed in caſu dubio incurritur, poſtquam ſententia tranſiit in rem judicatam: in caſu autem notorietatis poſt actionem inſtitutam. Si Dominus ipſe polleat Jurisdictione, po- *Poſt ſententiam legitimi Judicis.*

1.) Excuſationes aliquas, ob quas non punitur omiſſa petitio Inveſtituræ, recenſet Struvius Synt. Jur. feud. c. III. §. 9.

potest prævia causæ cognitione & audito Vasallo rem ad se trahere: si careat Jurisdictione, alio opus est Judice: Dominus quoque animum suum declarabit, quod Feudum velit habere pro aperto vel commisso. Si hic sciens feloniam vel aperturam, noluit revocare vel expresse, vel saltem tacite, acceptando Relevium, servitia, aut renovando investituram; censetur hoc modo renuntiasse juri suo: unde post ejus mortem nec hæredes possunt revocare 2.): actio enim, qua vindicatur injuria, est personalis, nec transit ad hæredes delinquentis, aut læsi. Judex autem Causarum feudalium in lite inter Vasallos exorta, regulariter est Dominus directus Feudi, etiamsi Dominus sit Laicus, & Vasallus Clericus. Si inter Dominum & Vasallum oriatur lis, Judices sunt *Pares Curiæ*, seu Convasalli ejusdem Domini, communi utriusque litigantis consensu electi. Ubi hi non habentur, vel longa consuetudine non

2.) Huic revocationi etiam præscribitur longissimo tempore.

non admittuntur, aut Dominus directus non administrat Justitiam; potest adiri Judex Ordinarius 3.). Capitulum Sede vacante non succedit Episcopo in Jurisdictione feudali, nisi ipsum Feudum Episcopo & Capitulo commune sit. Causæ feudorum Ecclesiasticorum non coram Officiali, qui alias de causis Ecclesiasticis cognoscit, sed coram Prælato & Paribus Curiæ, seu constituto Curiæ feudalis Judice peraguntur, a quo appellatio dirigenda est ad Superiorem Ecclesiasticum, nisi Prælatus de Bonis, quæ ab Imperio tenet, quidquam in subfeudum Vasallis dederit: hoc enim casu Camera Imperialis non permittet appellationem ad Judicem Ecclesiasticum directam.

§. 434. Bibliotheca Feudalis, ubi Autores de Feudis tractantes, ordine alphabetico recensentur, adjecta est Corpori Juris Feudalis Germanici Joan. Christiani Lunig, quibus *Scriptores.*

3.) C. 6. de for. compet.

tamen recentiores interim acceſſerunt plurimi. Præ aliis legi meretur HENRICUS A ROSENTHAL, LUDOLPHUS SCHRADERUS, JOANNES SCHILTERUS, JOAN. GUIL. ITTERUS, GEORG. ADAM. STRUVIUS, SAMUEL STRYKIUS, GOTTLOB AUGUSTUS JENICHEN, qui in ſuo Theſauro Juris Feudalis, duobus tomis comprehendit ſelecta variorum Autorum opuſcula de Feudis. Copioſiſſima Jurium, Diplomatum & Documentorum Feudalium collectio continetur in dicto Corpore Juris Feudalis *Germanici* tribus tomis comprehenſo.

TITULUS XVIII.
DE TESTAMENTIS.

Confer. ex Lib. 3. Decretal. tit. 26. Sext. tit. 11. Clement. tit. 6.

§. 435.

Ultimæ Voluntates

HUCUSQUE dictum de modis, quibus Bona ab Eccleſiis & Eccleſiaſticis acquiruntur, vel alienantur inter vivos: ſupereſt, ut attingamus modos, quibus mortis cauſa aliquid Eccleſiæ acquiritur; vel a Clericis ad alios transfertur. Ejusmodi modus acqui-

acquirendi, vel transferendi dominium vocatur *ultima voluntas*, seu legitima dispositio de eo, quod quis post mortem suam fieri velit: quæ ambulatoria quidem est usque ad vitæ supremum exitum; per mortem tamen redditur firma, ut eam alia sequi non possit. Si quis jam ante mortem constringeret libertatem suam jurata & acceptata promissione de voluntate non mutanda, nec revocanda; perjurus esset condendo aliud testamentum, quod tamen censeretur validum. Nihilominus hæres in hoc mutato testamento institutus, teneretur priori, in cujus gratiam juramentum factum est, restituere, quantum ipsi vi juramenti competeret, non tanquam hæredi, sed tanquam Promissario 4.).

§. 436. Quamvis nihil sit, quod magis hominibus debeatur, quam ut supre- *Firmitatem habent*

4.) De hac quæstione late disputant Covarruv. de Testam. part. 2. Rubr. n. 24. seqq. Molina de J. & J. tr. 2. disp. 151. Gabriel Vasquez de Testam. Cap. 2. dub. 3. Card. De Lugo de J. & J. disp. 24. sect. 2.

ſupremæ voluntatis, poſt quam jam aliud velle non poſſunt, liber ſit ſtylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium 5.); firmitatem tamen non haberent ultimæ voluntates, niſi accederet Legum diſpoſitio: nemo enim, ſi ſolum jus naturale attendamus, diſponere poteſt de Bonis ſuis in illud tempus, quo non erit dominus: cum igitur quivis per mortem ceſſet eſſe Bonorum ſuorum dominus; conſequens eſt, neminem poſſe diſponere in tempus mortis, niſi Leges firment has diſpoſitiones. Nam ejusmodi Teſtator revera diſponeret poſt mortem, cum ante ultimum halitum diſpoſitio teſtamentaria firma non ſit 6.).

§. 437.

5.) L. 1. C. de SS. Eccleſ.

6.) Qui aliter loquuntur, videntur confundere diſpoſitiones morientium cum diſpoſitionibus mortis cauſa. Moriens de rebus ſuis poteſt diſponere per actum inter vivos, qui firmitatem ſuam habeat jam ante mortem: non autem mortis cauſa, niſi robur addant Leges: ſine his enim diceretur diſpoſitio fieri a mortuo.

§. 437. Dicunt, a Domini voluntate unice dependere, quomodo dominium rei suæ in alium transferre velit; posse igitur ea lege transferre, ut non nisi post mortem suam acceptari possit 7.). Ad similia verba redit idem responsum, non posse transferri dominium ea lege, ut acceptari possit pro tempore, quo ipse dominium transferens non amplius erit dominus. Consensus transferentis cum consensu acceptantis debet simul moraliter vel habitualiter existere: consensus autem transferentis nullo prorsus modo existit post mortem. Si Princeps gratiam concedit ad beneplacitum suum, gratia cessare dicitur per mortem Principis, cum ibi cesset ejus beneplacitum 8.): similiter si quis dominium transfert, acceptandum post mortem suam; talis acceptatio nullum dabit jus, postquam per mortem cessavit voluntas transferendi. Si quis donaturus Titio, pecuniam alicui dederit perfe-

Non ex solo Jure Naturali:

7.) Hoc argumento utitur Wolfius Jur. Natur. p. 7. §. 992. seqq.
8.) C. 5. de Rescript. in 6.

rendam ad Titium, & ante mortuus fuerit, quam ad Titium perferretur; dominium pecuniæ non acquiret Titius 9.): quomodo igitur hæreditas transferetur per teſtamentum poſt mortem, niſi teſtamento accedat Legum autoritas? Aliud eſt, ſolam traditionem & poſſeſſionem rei inter vivos donatæ differri poſt mortem; aliud ipſam translationem dominii fieri per mortem. Dein nemo, niſi ſua interſit ſtipulari alteri poteſt 10.): non intereſt autem defuncti, quis Bona ejus poſt mortem obtineat: unde niſi in vita negotium cum hærede interceſſerit, non apparet, quomodo per actum mortis cauſa Bona defuncti acquirere poſſit.

Sed ex Legibus poſitivis.

§. 438. Hinc Romani Teſtamenta, quæ non erant privilegiata *in procinctu*, condebant *calatis Comitiis*; poſtea *per æs & libram*, ſeu imaginariam venditionem, ut Bona ad hæredes tranſire cenſerentur, vel per Legem populi, vel per contractum inter vivos. Accedentibus aliis ordinationibus, *Lege obvenire hæreditatem non improprie quis dixerit eam, quæ ex*

9.) L. 2. §. 6. ff. de Donation.
10.) §. 19. Inſt. de inutil. ſtipul.

ex testamento defertur: quia lege duodecim Tabularum testamentariæ hæreditates confirmantur 11.) apud Romanos: apud nonnullos enim alios populos jam Lege Civili firmitas ipsis data fuerat 12.): quin tamen inferatur, Testamenti vim provenire ex Jure Gentium proprie dicto, cum adhuc hodie variæ Gentes communionem Testamentorum non habeant cum aliis, ad quas non potest hæreditas transferri per Testamentum. Ideo etiam apud Romanos Testamenti factio non privati, sed publici juris esse dicebatur 13.).

11.) L. 130. ff. de Verb. Signif.

12.) Athenis non erat jus condendi Testamenta ante Solonem; sed hæreditas familiæ defuncti relinquenda erat. Solon autem liberum fecit, non extantibus Liberis, cui visum esset, sua donare, ut refert PLUTARCHUS in Solone. Item in Quæstionibus Romanis. Hæc Lex Solonis displicuit PLATONI Lib. 11. de Legib. Censent aliqui, apud paucas Gentes ante Romanos viguisse Testamenta. Vid. THOMASIUS de Orig. Success. testament.

13.) L. 3. ff. qui testam. fac. poss. Fuse hanc quæstionem discutit FERNANDUS VASQUIUS de Success. creat. lib. 1. §. 1.

Ultimarum Voluntatum divisio.

§. 439. Variæ sunt species ultimarum Voluntatum. I. Testamentum. II. Codicillus. III. Substitutio. IV. Fideicommissum. V. Legatum. VI. Donatio mortis causa. Ex hac vastissima materia, quam Juris Civilis Interpretes latius pertractant, pleraque obiter delibabimus, liberalius acturi de iis, quæ ad Ecclesias & Ecclesiasticos aut ad forum internum, potissimum pertinere videbuntur.

Testamenti Definitio & Divisio:

§. 440. Testamentum est *voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult* 14.): Ut ab aliis ultimis voluntatibus distinguatur, per verbum *justa* intelligitur voluntas quoad intrinsecam & extrinsecam formam Legibus conformis, proin etiam directam hæredis institutionem continens. Aliud est *solenne*, aliud *non solenne*, quod ex speciali Juris privilegio absque solennitatibus sustinetur. Solenne subdividitur in *Scriptum* & *Nuncupativum.*

Scripti Solennitates,

§. 441. Ad Testamentum *scriptum, solenne*, de Jure Civili requiritur I. Ut ab ipso Testatore redigatur in Scripturam, vel saltem coram testibus subscribatur, aut octavus adhibea-

14.) L. 1. ff. ibid.

beatur testis, ejus loco subscribens. II. Septem Testes idonei, quales non sunt mulieres, impuberes, furiosi, prodigi declarati, muti, surdi, cæci, infames, inviti & coacti, hæredes in eodem Testamento scripti, existentes in potestate testatoris, vel testis, vel ambo in potestate tertii, fide propter improbitatem indigni, intestabiles passive aut active 15.). III. Testes debent esse rogati, & ita præsentes, ut testatorem audiant & vi-

15.) Romani rejiciebant etiam pauperes. Cives autem nimia paupertate laborantes, animadversione censoria classibus exempti, capite censebantur, & in proletariorum numerum referebantur. Unde Festus testes, qui signandis Testamentis adhibebantur, *Classicos* appellavit, ad quinque classes, in quas a Servio Tullio, ut narrat Livius Decad. 1. lib. 1. pro census qualitate distribuebatur Populus Romanus, omnino respiciens, & simul indicans, proletarios ac capite censos, quia classici non erant, signandis Testamentis adhiberi non potuisse ob nimiam paupertatem, quæ cum falsi ingentem materiam præbeat, semper Romanis suspecta fuit. Ita Rævardus Conjectan. lib.

videant. IV. Coram his testator vel per se, vel per alium affirmare debet, in charta, quam exhibet, contineri suam ultimam voluntatem. V. Huic chartæ singuli testes sua nomina subscribunt propria manu, suaque signacula seu sigilla apponunt: si autem scribere nesciant, aut sigillum proprium non habeant, potest id fieri aliena manu & sigillo, modo exprimatur, ex qua ratione id factum sit. VI. Totum negotium eodem moraliter tempore, unoque contextu, & coram testibus omnibus simul congregatis, audientibus & videntibus, quæ geruntur, absolvendum est.

§. 442.

---

lib. 2. c. 20. De Proletariis & capite censis vid. GELLIUS lib. 16. c. 10. Solon Athenienses cives in tres classes divisit juxta modum facultatum: reliqui vocabantur θῆτες, quos Interpres PLUTARCHI in Solone nominat *Capite censos*. In Recess. Imp. *Colon.* ann. 1512. Const. de Notariis. art. de Testam. §. 7. excluduntur etiam Leibeigne, quos homines *proprios* in Germania vocamus: hodie tamen eorum conditio multo melior est, nec in testamento rejici possunt. vid. Ill. B. DE CRAMER Nebenstunden p. 2. §. 2.

§. 442. Testamentum *solenne Nuncupativum*, quod fit oretenus nominato coram testibus hærede, de Jure Civili easdem requirit solennitates, excepta subscriptione & subsignatione. Opus scilicet est, ut Testator coram septem testibus idoneis, rogatis ac monitis, simul præsentibus, voluntatem suam circa hæredem oretenus per se, vel per alium manifestet, aut ex charta prælegat: quæ omnia uno contextu, eodemque moraliter tempore fieri debent. Oportet igitur, ut testis intelligat linguam, qua conditur Testamentum nuncupativum: ad Testamentum autem scriptum testis non debet intelligere linguam testatoris, modo intelligat, fieri Testamentum, & se propterea rogatum ac requisitum. *Et Nuncupativi,*

§. 443. Si quis intendat facere Testamentum scriptum, deficiens tamen in debita subscriptione, vel subsignatione testium, valebit ut Nuncupativum, modo habeat solennitates ad Nuncupativum requisitas: accipiendus enim est actus, ut magis valeat, quam pereat. Si autem testator non nominat, nec clare indicat hæredem testibus, sed solum *In quo manifestari debet hæres.*

se

se refert ad schedam, in qua descriptum ait hæredem, non valet Testamentum. Leges enim 16.) volunt, *hæredem nuncupari palam, ut exaudiri possit a testibus; voce manifestari nomen hæredis vel hæredum; testes collectos judire voluntatem testatoris* &c. Sufficit autem, si testator ad interrogationem alterius, capite annuat, modo sit sanæ mentis, testes pro conficiendo testamento convocari jusserit, nondum morti proximus; nec præsumptio sit, quod infirmus ad importunam præsentium instantiam, eorumque favorem annuat. Nam *nutu etiam relinquitur Fideicommissum* 17): eadem autem est ratio de hæreditate, modo testator loqui possit, & solum per accidens vi morbi impediatur.

Defectus solennitatis irritat Testamentum,

§. 444. Testamentum potest esse imperfectum ratione *voluntatis*, scilicet quod quis inchoavit, vel intendit facere, & nondum perfecit: id certe pro utroque foro est nullum & irritum. Imperfectum autem ratione

16.) L. 21. pr. ff. qui testam. fac. poss. L. 21. §. 2. & L. 29. C. de Testam. Hoc verum videtur de Jure communi. Ex Jure Statutario alicubi sufficit, si Testator se referat ad schedam.

17.) L. 21. ff. de Legat. 3.

tione *solennitatis*, irritum est saltem in foro externo, & regulariter 18.): adeoque septem testes, & alia recensita, non præcise ad probationem, sed ad substantiam ac valorem Testamenti solennis pertinere dicuntur. Excipitur casus a JUSTINIANO decisus 19.), quando scilicet hæres ab intestato ipse percepit, ac fatetur voluntatem defuncti, alium pro hærede instituere intendentis. Cum enim res per testium solennitatem ostenditur; tunc & numerus testium, & nimia subtilitas requirenda est, ne quid falsitatis incurrat per duos forte testes compositum *Testamentum*: cum autem ipse hæres, cui summa autoritas totius causæ commissa est, dicere compellitur veritatem, qualis locus testibus relinquatur, vel quemadmodum ad extraneam fidem decurratur, propria & indubitata fide relicta? Quamvis ista decisio inserta sit Rubricis de Fideicommissis, eadem tamen

18.) Clari sunt textus in L. 9. 12. 21. C. de Testam.

19.) §. ult. Instit. de Fideicommiss. hæred. L. ult. C. de Fideicommiss.

tamen est ratio de Testamento, & institutione hæredis: ipsaque Lex Testamentum nominat 20.).

Non tamen semper pro foro conscientiæ.

§. 445. Sicut in dicto casu Testamentum valere censetur etiam pro foro externo: ita mihi videtur, defectum solennitatis, quando *certo* constat de voluntate Testatoris, saltem pro foro interno non impedire valorem & obligationem, quam habuerunt Testamenta ante inventas scrupulosas solennitates. Mens enim & intentio Legislatorum, nimiam solennitatum subtilitatem requirentium, fuit, ut per ampliores testes perfectissima veritas reveletur, & morientium voluntas certius impleatur. Ne igitur intentioni suæ contradicerent, noluerunt per has solennitates occasionem dare, potissimas Testatorum voluntates infringendi & finem Legum suarum evertendi, annullando Testamenta etiam pro foro in-

20.) An & quando hæc Decisio, quæ loquitur de hærede audiente & fatente voluntatem defuncti, extendi possit aut debeat ad alios casus, in quibus voluntas testatoris omnino certa & innegabilis est, relinquitur prudenti Judici,

interno in iis casibus, ubi de voluntate Testatorum habetur certitudo, & consequenter ubi non est periculum contraveniendi eorum voluntati, nec datur ansa litigandi: omnia enim hæc incommoda cessant, quando pro foro interno habetur certitudo de voluntate Testatoris, licet hic *nimiam & miseram diligentiam* non sit secutus; nam *pro jure legitimo haberi debet hominis sani voluntas* 21.), saltem pro interno foro, in quo nulla fraudis suspicio datur, sed ea habetur certitudo, quæ a Legibus per solennitates quæritur. Nec tamen frustranea censeri debet annullatio talis Testamenti pro foro externo. Nam etiamsi ex antiquissimis jam Legibus & Populorum Moribus facultas transferendi Bona sua in alterum competere dicatur Testamento, scrupulosis solennitatibus destituto, saltem pro foro interno, pro quo recentiores Imperatores antiquis illis Legibus derogare voluisse non censentur: facile tamen permittitur, ejusmodi Testamenta non gaudere favoribus a Theodosio,

21.) L. 88. §. fin. ff. de Legat. 2.

DOSIO, JUSTINIANO &c. Testamento ad normam Legum suarum perfecto indultis, quale est jus accrescendi, hypotheca legati &c. Imo ad præcidendas plurimas oppositiones, posset demum dici, per tale Testamentum, pro foro externo annullatum, non quidem directe, sed tamen indirecte per modum Fideicommissi transferri hæreditatem in eum, quem Testator hæredem voluisse certo agnoscitur.

Testamentum Privilegiatum l. Pium.

§. 446. Non omnes dictæ solennitates observantur in Testamentis privilegiatis. Tale est l. *Testamentum Pium*, in quo pro hærede instituitur locus aut Causa pia, aut Persona ex pio motu virtutis. Hoc Testamentum non censetur subjacere Legibus Civilibus, solennitates certas requirentibus 22.). Sacri Canones 23.) aliud non requirunt, quam ut sufficienter constet de voluntate Testatoris.

22.) Juxta L. 13. C. de SS. Eccles. ad Testamentum in favorem Ecclesiæ conditum, requiritur, ut *alia omni juris ratione munitum sit.*

23.) C. 11. de Testament.

toris. Hanc decisionem passim sequuntur Tribunalia sæcularia, ita quidem, ut etiam Legata profana huic Testamento Pio inserta, subsistant firma.

§. 447. II. *Testamentum Patris vel Matris* inter Liberos Nuncupativum valet absque omni solennitate, modo constet de voluntate defuncti 24.). Scriptum vero 25.) requirit, ut Pater ipse, Mater, aut Avus scribat Testamentum, vel saltem subscribat, ita ut Liberi agnoscant manum Patris: exprimi etiam debet tempus conditi testamenti, & Liberorum omnium nomina, atque unciæ, quæ possunt esse inæquales, modo singulis relinquatur Legitima: tempus autem & unciæ non per cifras, sed per literas & integra verba exprimantur. Tale Testamentum absque aliis solennitatibus conditum, valet inter solos Liberos: si aliquid *titulo institutionis* relinquatur extraneo, ut Uxori, Parentibus &c. illud accrescit

II. Parentis inter Liberos.

24.) L. 16. & L. ult. C. famil. herciſc.
25.) Ex Novell. 107.

Liberis: Legata in tali Testamento relicta valent, modo nomina sint scripta manu testatoris, vel nuncupata *coram Testibus* saltem duobus 26): nam Patris *manus & lingua habet omnem virtutem chartæ præbitam* 27.).

III. Militis. §. 448. III. *Testamentum Militis* in actuali conflictu nullas requirit solennitates: in Castris exigit duos testes: extra Castra & actualem conflictum Milites jure communi testantur 28.).

IV. Rusticorum. §. 449 IV. Ad *Testamentum Rusticorum* sufficiunt quinque testes, si plures commode haberi nequeant: neque requiritur subscriptio aut Sigillorum appositio, nisi aliqui sciant scribere, & apponant Sigilla pro aliis. Si autem omnes sint illiterati, & ignari scribendi, manifestari coram his testibus debet voluntas testatoris, ut sit Testamentum nuncupativum, & testes juramentum possint deponere de percepta testatoris voluntate Si

Leges

26.) Ibid. c. 1.

27.) Add. L. 38. ff. de Fideicommiss. libertat.

28.) Rec. Imp. de anno 1512. in Constit. de Notariis, art. de Testament. §. 2.

Leges Civiles communes sequamur, hoc privilegium conceditur loco & personæ copulative, nempe rusticis ruri testantibus. Unde rusticus Testamentum condens in Civitate, debet adhibere omnes solennitates. In pagis, qui multos habent incolas, non remittitur numerus testium: videtur tamen Imperator ita consulere simplicitati rusticorum, ut non exigat scrupulosam observantiam omnium solennitatum 29.): sed concedit, *antiquam eorum consuetudinem legis vicem obtinere*. Unde multi censent, tales testes non debere esse rogatos, nec omnibus aliis qualitatibus præditos, quas supra recensuimus. Testamentum, quod rusticus juxta privilegium suum ruri fecit, obtinet suum valorem, etiamsi hic rusticus postea in civitatem migret. In plerisque Provinciis vigent specialia Statuta, aut consuetudines circa testamenta rusticorum, quorum simpli-

29.) L. ult. C. de Testament. SAMUEL STRYCKIUS singularem Dissertationem scripsit de Testamento Rusticorum, quæ habetur tom. 2. disp. 20.

citati & ruditati fere ubique aliquid indulgetur. Alicubi tamen, ut in Bavaria, privilegium rusticorum est strictæ interpretationis, neque extenditur ultra verba ad Nobiles rure degentes, ad quorum testamenta multi Doctores non requirunt septem testes, si commode haberi non possint.

V. Tempore Pestis.

§. 450. V. Testamentum *tempore pestis* juxta Leges communes in hoc est privilegiatum, quod testes non debeant esse vocati, nec simul præsentes. De consuetudine sufficiunt tempore pestis duo vel tres testes, ad imitationem Testamenti militaris: nam ut aliqui arguunt, tempus belli & pestis æquiparantur, cum tunc censeatur esse bellum à Deo illatum hominibus. Intelligendum id tamen de peste vehementer grassante, quando jam multis civibus viduata esset urbs, aut cives in loca tuta se recepissent, vel præsentes consortium aliorum fugerent. In dubio tenenda est opinio, quæ favet Testamentis 30.). Valet autem tale Testamentum tanquam solenne, etiam cessante morbo, in perpetuum.

§. 451.

30.) Gail. lib. 2. observ. 118. n. 18. seq.

§. 451. VI. Testamentum publicum *ad Acta*, vel *apud Acta*. Imperator THEODOSIUS 31.) modum tradit condendi Testamenta, Principi offerenda. Rarius hodie id fieri solet. Occasione tamen hujus Legis originem & usum hausisse videtur modus testandi ad Acta Judicialia. Testamentum scriptum erigitur coram Judice in loco judicii, aut conditur in domo testatoris decumbentis, postea transmittendum & offerendum ad Acta. In priori casu requiritur, ut Judex adhibeat duos testes, specialiter vocatos & rogatos in probationem, quod Testamentum coram Actis insinuatum sit 32.). In altero casu requiritur, ut Judex ipse testatorem accedat, vel deputatum, specialiter ad hoc instructum mittat cum duobus testibus, ut vel in sua, vel deputatorum persona testatorem ipsum videat. Si testator voluntatem *VI. Ad Acta.*

31.) L. omnium 19. C. de Testam.

32.) Testamentum soli Judici in ædibus suis privatis oblatum sustinetur tanquam validum apud Ill. D. DE CRAMER. Wezlarisch. Nebenstunden p. 10. n. 6.

tem ſuam absque præſentia Judicis domi condat, valebit Teſtamentum, ſi illud coram duobus teſtibus teſtamento inſertis erigat, & ipſemet poſtea cum iſtis teſtibus Judicem accedat, teſtamentum ad Acta offerat, dicatque, in hoc ſeriam ſuam voluntatem contineri 33.). In nuncupativo teſtandi modo fere idem obſervatur, ut teſtator Judicem accedat, eique voluntatem ſuam oretenus inſinuet, quam Judex adhibitis duobus teſtibus Protocollo inſerit: aut ipſemet Judex, vel deputati teſtatorem accedant, & præſentibus duobus teſtibus voluntatem oretenus prolatam excipiant, eandemque ad Protocollum notent. Idem fere obſervandum, ſi Principi offeratur. Videtur hoc Teſtamentum eſſe *maxime* ſolenne, cum Principis *autoritas*, & Judicii actorumque *fides omnes* ſolennitates ſuperet & ſuppleat: teſtes autem adhibentur non *ad ſolennitatem & formam Teſtamenti*, ſed ad pro-

33.) *Ut teſtator duos teſtes ſcum teſtamento clauſo ad Judicem mittat, tutum non eſt.*

probationem oblationis factæ. Si Judicis aut Principis sigillo muniatur Testamentum, multis in locis retinet autoritatem publicam, etiamsi testator scripturam domi suæ asservet, nisi de mutata voluntate constet ex Sigillorum avulsione, cancellatione &c. 34): vel nisi prudens subsit suspicio fraudis 35.). Non requiritur Judex proprius competens, cum sit actus Jurisdictionis voluntariæ.

§. 452. Solennitates Juris Civilis non requirit Jus Canonicum 36.): sed sufficiunt duo vel tres testes præter Presbyterum proprium. Hos tamen non solummodo ad probationem, sed pro solennitate & forma substantiali requiri, censent multi: contradicunt non pauci. Decretum suum ALEXANDER III. deducit ex Le- *Jus Canonicum,*

34.) De Jure Bavarico Testamentum ab Actis remotum *præsumitur revocatum.*

35.) Talis suspicio prævalebat in casu, de quo cit. D. DE CRAMMER part. 24. n. 1.

36.) C. 10. de Testam. quod desumptum est ex Epistola Decretali ALEXANDRI III. ad Episcopum Ostiensem, circa annum 1170.

ge Divina, juxta quam in ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum; ex Sanctorum Patrum Inſtitutis; & generali Eccleſiæ conſuetudine 37.): nulla ex his infertur forma ſubſtantialis & ſolennitas, de qua nec Lex Divina, nec SS. Patrum Inſtituta mentionem faciunt. Conſuetudo illorum temporum videtur viguiſſe, ut conderentur Teſtamenta, vel ſub forma Legum Civilium, vel præciſe juxta Leges Juris Naturalis & Divini: nam Leges Juſtinianeæ illo ſæculo XII. in occidente longa oblivione vix non erant ſepultæ: reſuſcitabantur autem a quibusdam Juris-Conſultis Italis, quorum Auditores, ad gubernandas Civitates adhibiti eas in forum volebant reducere. Obſtabat Alexander III. & quod mihi videtur, non pro ſuo tantum territorio, ſed univerſim nolebat, ut fideles adſtringerentur præciſe

37.) Decretalem Alexandri, his fundamentis nixam, contra multorum argutias defendit Melchior Canus de Loc. Theol. lib. 6. c. 8. Joann. Bapt. Bartholus Inſtit. Jur. Can. c. 15.

oise ad formam Juris Justinianei; exigebat enim, ut major relinqueretur libertas testandi, præsertim cum illa ætate ultimæ voluntates, etiam Laicorum, haberentur inter Causas pias, & passim deferrentur ad Tribunal Ecclesiasticum 38.), cui foro tam anxia solennitatum subtilitas, cujus occasione plurimorum voluntates ultimæ enervarentur, parum quadrare censebatur. Etsi autem Judicum quoque Laicorum cognitioni Causæ testamentariæ relinquerentur 39.): nihilominus maxima autoritas

38.) Van Espen Jur. Eccl. p. 3. tit. 2. c. 2. Thomassinus p. 3. l. 1. c. 24. Id deducitur ex C. 10. 13. 16. 18. de Testam.

39.) Colligitur hoc ex Appendice Concilii Lateranensis III. part. 50. c. 8. ubi Alexander III. rescribit ad Judices Velletrenses. et c. 20. ex quo desumptum est allegatum C. 10. de Testament. ubi refertur consuetudo Episcocapatus Ostiensis, vi cujus Testamenta absque septem testibus facta rescinduntur *ab his, qui potestatem habent super alios*, quos Laicos Judices fuisse non dubito. Notum enim est, quinam *Potestatis* nomine denotentur in Italia.

circa Testamenta etiam Laicorum, competebat Episcopis. Eo enim evaserant deprædationes hominum sceleſtiſſimorum in res defunctorum, ut compulsa tandem sit Ecclesia, tutandis Testamentis, vel juribus Agnatorum incumbere 40.). Sicut autem

40.) Concilium TOLOSANUM anno 1056. cap. 9. *Præcipimus quoque, ut nullus Laicorum aliquid ſuſcipere audeat de rebus aut ſubſtantiis defunctorum &c.* In Concilio NANNETENSI ann. 1127. prout HILDEBERTUS Archiepiscopus Turonenſis scribit ad HONORIUM II. Pontificem, damnabatur consuetudo, vi cujus decedente marito, vel uxore, universa decedentis mobilia in proprietatem Judicis loci transibant. Lectu dignum est exordium diplomatis, quo Bertholdus Episcopus Eustettensis Clericis suæ Diœcesis licentiam testandi concedit, anno 1364. *quia quorundam Laicorum non ſatianda cupiditas, tam in vita, quam poſt mortem, Clericorum res & bona... impudenter & potenter invadit, totaliter occupat, adeoque violenter uſurpat, quod aliquando antequam anima migret a corpore, ablatis lectis, ſuppellectilibus & facultatibus aliis, relinquantur corpora ſolo ſtrata, & qua tradantur Eccleſiaſticæ ſepulturæ, deſit ſubſtantia, ut nec decentes exequiæ valeant celebrari &c.*

tem Pontifices consulebant securitati ultimarum voluntatum: ita etiam libertati testandi consuluisse videntur, dum non requirunt scrupulosam solennitatem testium.

§. 453. Fateor Concilia quædam Gallicana 41.) non agnoscere valorem Testamentorum, nisi facta sint sub testimonio Parochi, vel alterius personæ Ecclesiasticæ: reddunt autem rationem, ut scilicet Parochus testimonium dicat de Fide Catholica testatoris, & *maxime ut ea, quæ in pias Causas reliquerit, fideliter & citius sine fraude solvantur* 42.). & quidem præsentia Parochi adeo præcise requirebatur, ut si quis imminente morte Presbyterum non adsciviisset, mortuus careret Sepultura Ecclesiastica, & Notarius, qui Testamentum scripsisset, arceretur ingressu Ecclesiæ. Hæc in particularibus Provinciis ob singulares rationes constituta, plane non erant recepta universim

Nisi obstent particularia Statuta,

41.) Conc. Tolosan. can. 16. ann. 1229. Ruffiacense, præsidente Archiepiscopo Burdegalensi c. 7. ann. 1258.

42.) Concil. Narbon. can. 5. ann. 1227. & Biterense can. 44. 1246.

versim in Ecclesia; & alium intendebant finem, quam solum valorem Testamentorum: si quis enim invalidum condat Testamentum, propterea non debet carere Sepultura Ecclesiastica.

Nullas requirit solennitates.

§. 454. Concludi igitur potest, testes in Jure Canonico non requiri ad solennitatem, sed solummodo ad probationem ultimæ voluntatis: cum etiam multi ex illis, qui pro forma substantiali hos testes exigi censent, Parochi tamen præsentiam non necessario requirant, sed ejus fieri mentionem a Pontifice credant occasione facti ab Episcopo Hostiensi propositi, præsertim cum Testamenta passim fieri soleant in gravi mortis periculo, ubi ægrotantibus assistunt Parochi. Si autem præsentia Parochi ad valorem Testamenti non requiritur, non est ratio dicendi, reliquos testes ad valorem requiri, cum Pontifex æque Parochi, ac duorum aut trium testium mentionem faciat: horum autem præsentia juxta Legem Divinam, ad quam se refert Pontifex, non magis est necessaria pro solennitate, ac præsentia Parochi.

§. 455.

§. 455. Stabilitis postea & in forum rursus introductis Legibus Justinianeis, amplectebatur Jus Canonicum Constitutiones Civiles favorabiles circa Testamenta, de hæredis institutione, Legatis, fideicommissis, Falcidia, Trebellianica, Inventario, Legitima &c.: sed anxiam solennitatem testium nullibi acceptatam legimus in Sacris Canonibus; bene autem in Legibus Imperii Romano-Germanici sub Maximiliano I. Imperatore 43.). An autem Testamenta Clericorum in Germania ordinanda sint juxta Leges Civiles, dependet ex eo, an istæ in Curiis Episcoporum, ad quas Testamenta Clericorum deferuntur, sint receptæ 44.). In multis Diœcesibus requiritur, ut Testamenta Clericorum mittantur ad Ordinarium pro Confirma-

Præsertim in Testamentis Clericorum.

43.) In Comitiis Coloniensibus Anno 1512. Constitut. de Notariis.

44.) Supra laudatus Bertholdus Episcopus Eustettensis concessit Clericis suis facultatem testandi *coram duobus testibus idoneis.*

matione 45.). Hoc si fiat, non opus est aliis solennitatibus, cum talia Testamenta censeantur fieri ad Acta. Decedens absque confirmatione ultimæ suæ voluntatis, censetur obiisse intestatus. In Territorio Pontificio non tantum apud Clericos, sed etiam apud Laicos observatur Constitutio Alexandri III. nisi peculiaria Statuta cujusdam loci aliud exigant 46.). Ipsius Urbis Romanæ Statuta volunt, ut inter Cives, Incolas, & Districtuales servetur Jus Civile: hoc Statutum extendi etiam ad solennitates Testamenti, sæpius decidit Rota Romana, quamvis FAGNANUS 47.) more, quo alias suas præconceptas opiniones solet tueri, accerrime sit contrarius, credatque tali extensione violari

---

45.) In Decretis Synodalibus Diœcesis Augustanæ anno 1656. part. 3. c. 18. n. 2. statuitur: *Nulla per Clericos de Bonis Ecclesiæ nomine acquisitis facta testamenta valida sunt, nisi prius juxta sacrorum Canonum præscriptum a Nobis examinata confirmentur.*

46.) GRATIANUS Discept. forens. tom. 2. c. 233. n. 52.

47.) In C. cum esses. de Testam. n. 157. seqq.

lari Jus Divinum, SS. Patrum Instituta, & generalem Ecclesiæ consuetudinem, foverique peccatum. Id tamen concedendum, ejusmodi Statuto non comprehendi personas Ecclesiasticas Romæ habitantes.

Facere Testamentum prohibentur aliqui per Leges Civiles;

§. 456. Testamentum facere possunt omnes, qui Jure non prohibentur. Per privatas conventiones impediri non potest facultas testandi juxta Leges Romanas. Moribus autem Germaniæ introducta est Successio conventionalis, cui per Testamentum derogari amplius nequit. Unde pacta dotalia per modum contractus inita, nullo testamento mutari possunt 48.). Prohibentur aliqui Testamentum condere jure Civili *propter defectum integri status*, ut servi, damnati ad mortem 49.), deportor-

48.) Vid. supra §. 435.

49.) Consuetudo Germaniæ, quæ tamen ab afferentibus pro sua patria probanda erit, multis in locis salvam esse condemnatis Civitatem & Testamenti factionem vult, modo Reorum Bona per sententiam non sint Fisco addicta. Perpetuo relegati, etsi hodiernis moribus non ger-

portati, filiusfamilias quoad Bona profectitia & adventitia; qui enim Testamentum condit, debet esse paterfamilias, qualis non censetur esse filiusfamilias, nisi quoad Bona Castrensia & quasi Castrensia, licet pater consentiat 50.). *Ob defectum animi*, ut mente capti, prodigi declarati,

censeantur servi pœnæ, jus tamen Civitatis non videntur retinere. Ex militari delicto capite damnatis Testamentum facere licet super Bonis duntaxat Castrensibus, si non Sacramenti fides rupta sit. L. 11. pr. ff. de Testam. milit. Unde miles ob desertionem suspendendus, testari non poterit jure militari: jure autem communi poterit, sicut alius condemnatus ad mortem.

50.) C. licet. 4. §. quamvis. de sepult. in 6. ex L. 11. & 12. C. qui testam. fac. poss. An filiusfamilias testari non possit de bonis adventitiis irregularibus, litigant inter se juris Civilis Interpretes. facultatem de his disponendi conantur aliqui deducere ex L. 8. §. 5. de Bonis quæ Liberis &c. Novell. 117. c. 1. L. 19. §. 2. ff. de Castrens. pecul. & aliis. Econtra alii sine manifesta Lege nolunt recedere a communi Juris Romani Regula, quod testator debeat esse Paterfamilias, qualis censetur esse Filiusfamilias in-

rati, infantes & impuberes, licet tutoris autoritas accesserit. *Ob defectum Corporis*, ut muti & surdi simul natura. *Ob defectum morum & famæ*, ut

intuitu Peculii Castrensis vel quasi Castrensis. Vid. JULIUS CLARUS sent. lib. 3. §. Testamentum. q. 18. n. 2. ANT. PEREZ ad tit. Cod. qui testam. fac. poss. n. 15. CASPAR MANZIUS de testam. valid. vel inval. tit. 2. n. 99. seqq. GRASSUS V. Testamentum. q. 23. n. 2. LAUTERBACH Dissert. Vol. 3. Disp. 109. de Peculio adventitio Irregulari. Abstineo a pluribus, cum operosa decisio ejusmodi Controversiarum exigeret, libellum hunc porrigi ultra limites sibi constitutos, præcipue, cum materia hæc non valde frequens videatur in praxi, utpote de qua non occurrit mentio in multis libris, qui innumeras decisiones Tribunalium recensent. Dein in variis locis Peculium Adventitium Irregulare æquiparatur universim Peculio quasi Castrensi, quod statuitur in Bavaria Cod. Civil. p. 1. c. 5. §. 6. Unde juxta varias has opiniones interpretari licet Legem 25. §. 1. ff. de mort. caus. donat. juxta quam filiusfamilias, *mortis causa donare patre permittente potest.* Nam patris permissione non erit opus circa peculium adventitium irregulare, ubi hoc æquiparatur Peculio quasi Castrensi.

ut rei criminis læsæ Majestatis, hæretici & omnes, quibus ab ipsa lege fides testimonii ferendi adempta est 51.). Si quis tempore conditi Testamenti fuit inhabilis, ut deportatus, impubes, filiusfamilias &c. non valet testamentum, etiamsi tempore mortis reddatur habilis 52.). Si quis

51.) L. 26. ff. qui testam. fac. poss.

52.) Testamentum filiifamilias factum de Bonis, de quibus poterat testari, secum trahit jure accrescendi etiam Bona, de quibus tempore testamenti conditi testari non potuisset. Casum habemus in L. 19. §. 2. ff. de Castrens. pecul. juxta quam, si filiusfamilias paganus, relicta scilicet jam militia condat testamentum jure communi de Bonis Castrensibus, decedatque ignarus, quod pater absens obierit, seque hæredem reliquerit, hæres Castrensis peculii scriptus, universa etiam paterna bona habebit, quia dictus filiusfamilias validum Testamentum fecerat, nec poterat post relictam militiam, jure militari partim testatus, partim intestatus decedere: unde necessario Bona paterna accrescunt hæredi Castrensium: sicut si pauperrimus facto testamento decedat, ignorans se aliunde locupletatum. Hæres enim pauperis familiæ scriptus, jure accrescendi obtinebit etiam bona, quæ ante obitum testator ignorans acquisiverat.

quis autem tempore conditi Testamenti fuit habilis, & tempore mortis reddatur inhabilis, mutato statu libertatis, Civitatis &c. irritum erit testamentum: secus si fiat inhabilis ob vitium salvo statu superveniens, uti ob furorem, prodigalitatem 53.).

§. 457. Jure Canonico prohibentur testari Usurarii manifesti, nisi præstita satisfactione: excommunicati propter hæresin, aut eorum fautores: percussor Cardinalis: Religiosus post emissa vota solennia 54.). Religiosi, qui a Religione & Orthodoxa Fide in Germania deficiunt, in Acatholicis Tribunalibus Testamenti condendi capaces censentur: aliter deberent judicare Judices Catholici, cum jus in Bonis Professi sui Monasterio quæsitum, non tollatur per sacrilegam Apostasiam. *Alii per Canones:*

§. 458. Circa Testamenta Clericorum, facienda est distinctio Bonorum, tum patrimonialium, vel titulo laico ac- *Clerici de Bonis in-*

53.) Sic intelligi potest L. 1. §. 8. ff. de Bonor. poss. secund. tab.

54.) C. fin. de Usur. in 6. C. 13. de hæret. C. 5. de pœn. in 6.

tuitu Ecclesiæ acquisitis, ad causas profanas:

acquisitorum; tum Ecclesiasticorum titulo sacro obtentorum. Generatim de Bonis suis testandi facultatem Episcopis concedunt Leges Civiles 55.). Ad Bona ante Episcopatum, vel postea titulo mere laico acquisita id restringitur per varias Leges & Canones 56.). Unde Episcopi quidam solicite secernebant Bona sua patrimonialia ab iis, quæ intuitu Ecclesiæ acquisiverunt 57.). Quidquid autem post adeptum Episcopatum obtinebatur, præsumebatur potius Ecclesiæ relictum, quam personæ

55.) L. 34. & 50. C. de Episc. & Cler. Novell. 123. c. 19.

56.) L. 42. §. 2. C. de Episc. & Cler. Novell. 131. c. 13. Apud GRATIANUM XII. q. 5. per tot. in Decretalibus c. 1. 2. 7. & 9. de Testam.

57.) Exemplum refert Rev.mus HONTHEMIUS Hist. Trevir. tom. 3. fol. 186. de Joanne a Schœnenburg. Hic Archiepiscopus *emit domum Zur Gold-Reben, & illuc bona hæreditaria* (per mortem plurium fratrum suorum obtenta) *collocavit, primus, qui Bona familiæ & privata ab Archiepiscopalibus separavit & seorsim administravit.* Conforme hoc erat Canoni 39. Apostol.

sonæ 58.). Quod autem dicitur de Episcopis, id cum proportione intelligendum de reliquis Clericis, administrationem bonorum Ecclesiæ habentibus 59.), quibus liberrima relinquitur dispositio testamentaria de bonis hæreditate, artificio vel doctrina, aut alio titulo laico acquisitis 60.): non autem de Bonis Ecclesiæ, quibus annumerantur Reditus Præbendarum 61.). Consuetudinem tamen *non improbandam* censet Alexander III. Sæculo XII. ut aliqua ex his conferantur *pauperibus & religiosis locis & illis, qui viventi servierant, sive consanguinei sint, sive alii, juxta servitii meritum* 62.). Consuetudo hæc, quæ juxta Pontificem non est improbanda, non tamen ubique fuit approbata 63.). In quibusdam Ger-

58.) Subtilem expositionem facit INNOCENTIUS III. in *C.* 15. de Testam.

59.) Novell. 131. c. 13. Conc. TRIDENT. Sess. 25. c. 1. de Reform.

60.) C. 9. & 12. de Testament.

61.) C. 7. 8. 12. ibid.

62.) Cit. C. 12.

63.) S. HUGO Lincolnienſis Episcopus circa annum 1200. instante morte *admoni-*

maniæ Provinciis adhuc ad initium sæculi XIV. Clericis non erat concessa facultas testamentum condendi 64.). Alicubi etiam posterioribus temporibus Clerici compelluntur ad redimendam testandi licentiam 65.). Hæc de Testamentis Clericorum ad Causas pias dicta sint.

§. 459.

---

monitus, ut testamentum pro more faceret, tædet me, inquit, hujus consuetudinis, jam passim in Ecclesiam introductæ. Nec habui quidquam, nec habeo, quod non sit Ecclesiæ, quam regendam suscepi: attamen ne fiscus rapiat; pauperibus tribuatur totum, quod videor possidere. Ita SURIUS in Vita die 17. Novemb. c. 28.

64.) Per Archidiœcesin Trevirensem facultas hæc permissa est *de gratia speciali* in Statutis Provincialibus Anno 1310. c. 66. magis autem firmata Anno 1398. prout refert Ill. HONTHEMIUS tom. 2. fol. 55. 303. seqq. in Diœcesi Eustettensi eandem concessam Anno 1364. jam dictum est.

65.) De Episcopatibus Belgii vid. VAN ESPEN Jur. Eccl. p. 2. tit. 32. c. 7. n. 23. seq. In Diœcesi Spirensi, exceptis Canonicis Ecclesiæ Cathedralis & Collegiatarum, reliquus Clerus subjacebat spolio usque ad nostra tempora: nunc redi-

§. 459. Ad Causas profanas de Reditibus Clericalibus testandi consuetudo vix fingi potest rationabilis; etiamsi ex causis justis bene ponderatis privilegium ejusmodi possit dari certis personis aut locis. Episcopi in multis Provinciis tali corruptelæ se non opponunt, cum plerumque non discernatur, an Clericus relinquat Bona patrimonialia, an vero ex Clericalibus functionibus quæsita: oneratur igitur conscientia æque Clericorum, ac hæredum, ut Bona per Ecclesiam acquisita, insumantur ad Cultum Divinum, alendos pauperes, aliosve pios usus. Non ignorabant Patres Tridentini, in multis Provinciis passim Clericorum & Episcoporum Testamenta ad usus profanos, tolerari & valida reputari: nihilominus non obstante hac sibi nota consuetudine, novis interdictis & monitis urgent observationem antiquorum Canonum, ne ex reditibus Ecclesiæ Consanguineos, familiaresve suos

Improbata contraria consuetudine.

redimere possunt licentiam testandi, solutis annue sex, quatuor, aut duobus florenis juxta modum redituum.

ſuos augere ſtudeant; ſed ſi pauperes ſint, iis ut pauperibus diſtribuant. Sicut Electio ad Beneficium Eccleſiaſticum minus digni, omiſſo digniore, in foro contentioſo non reprobatur; eligens tamen in foro conſcientiæ incurrit peccatum acceptionis perſonarum, violat Juſtitiam diſtributivam, & deeſt obligationi ſuæ erga Eccleſiam: ita Teſtamenta Clericorum de Proventibus Eccleſiaſticis in uſus profanos, aut favorem Conſanguineorum non indigentium, non reprobatur in foro contentioſo propter odia litium; non tamen eximunt ipſos diſponentes ab injuſtitia, neque hæredes ab obligatione, hos proventus diſpenſandi juxta intentionem offerentium, & naturam ipſorum bonorum 66.).

§. 460.

66.) Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 1. de Reform. Boëtius Epo Antiquit. Eccleſ. Syntagm. 1. in C. 1. de Teſtam. n. 77. ſeqq. Thomassinus vet. & nov. Diſcipl. Eccl. p. 3. lib. 2. c. 47. ſeqq. S. Bernardus Epiſt. 276. ubi monet Pontificem, ut irritum declaret Teſtamentum Epiſcopi, tanquam ab homine non ſanæ mentis factum, quo pauca Eccleſiæ & pauperibus, pleraque Nepoti relinquebantur.

§. 460. Religiosus Professus non potest Testamentum condere, nisi accedat licentia Pontificis 67.). Posse autem Pontificem id ex justis causis concedere, probant ex eo, quod jure mere humano impediantur Religiosi testari, etiam cum facultate sui Prælati. Unde licentia Pontificis non est dispensatio in Voto Paupertatis. Sicut enim illæso hoc Voto potest Superior concedere usum aliquarum rerum, consumptionem, aut alienationem earundem: ita etiam posset salvo Voto Paupertatis concedere facultatem testandi: hæc igitur solo jure humano negatur Professo 68.). Si autem Testamentum factum sit ante Professionem, quæritur,

Religiosi Professi an possint Testamenta facere?

67.) C. 7. XIX. q. 3. C. 2. de Testament. Auth. Ingressi. C. de SS. Eccles.

68.) Equitibus Religiosis facultatem testandi potest concedere Magnus Ordinis Magister. Religiosus ad Episcopatum promotus, quidquid acquirit, Ecclesiæ suæ acquirit, cum sola libera administratione, ut constat ex C. un. XVIII. q. 1. administratio autem morte finitur: proin non valebit dispositio post mortem, seu Testamentum absque speciali licentia Pontificis.

ritur, an hæreditas ex eo debeatur hæredi, & Legata Legatariis mox post Professionem Testatoris, an exspectanda sit mors naturalis? Si sufficienter constet de voluntate Testatoris, ea accurate observanda est 69.). In dubio hujus voluntatis, si Religio sit capax possidendi Bona in communi, Testamentum non habebit effectum usque ad mortem naturalem Professi; interim autem Monasterium potietur omnibus his Bonis 70.): si vero Religio sit succedendi incapax, verius est, in dubio de voluntate

69.) Ex quibus conjecturis deprehendatur hæc voluntas testatoris, tradit SANCHEZ lib. 7. c. 3. n. 60. seqq.

70.) ANTON. DE GAMA Decis. 316. n. 6. & plurimi allegati apud SANCHEZ loc. cit. n. 55. ubi n. 56. advertit ex GUTIERREZ Canon. quæst. lib. 2. c. 1. n. 53. si hæres vel Legatarius in ejusmodi testamento scriptus, decedat ante mortem naturalem testatoris Professi, talem hæreditatem aut Legatum fieri caducum, & permanere apud Monasterium. Si ingressus Religionem habuerat Majoratum, an Monasterium usque ad mortem ejus naturalem habeat usumfructum, examinat DIDACUS SPINO Specul. Testam. gloss. 12. n. 32. seqq.

tate testatoris, hæreditatem ac Legata deberi mox a die Professionis, quia Professus in tali Monasterio reputatur, acsi esset naturaliter mortuus.

§. 461. Ad quæstionem, an Religiosus post Professionem possit revocare Testamentum ante Professionem factum, respondent omnes, hoc non esse integrum Professo, quando Monasterium est succedendi incapax. Supposita autem succedendi capacitate, revocandi consentiente Prælato facultatem aliqui tribuuut, ex paritate, quod donatio mariti in conjugem facta confirmetur quidem, si maritus deportetur, ita ut fiscus ea bona donata ad se trahere non possit: nihilominus per hanc civilem mariti mortem non omnino fiat irrevocabilis, donec morte naturali fungatur 71.). Convenientior videtur sententia, quæ Religioso post Professionem negat facultatem revocandi *Aut facta revocare?*

71.) L. 13. ff. & L. 24. C. de donat. int. vir. & uxor. Hanc opinionem tenet Franc. a Mostazzo de Caus. piis. lib. 8. c. 13. n. 56. seqq.

di Teſtamentum antea factum, quia eadem poteſtas exigitur in actu diſſolvendo, quæ in ipſo conſtituendo: Profeſſus autem ita mortuus eſt mundo, ut nec proprium habere poſſit, nec de Bonis antea habitis diſponere, cum ſe & ſua tradiderit Monaſterio. Ex ſingulari privilegio, quo Profeſſus poteſt inter liberos ſuos & in favorem Monaſterii diſponere 72.), non poteſt duci argumentum ad alias diſpoſitiones. Deportato relinquitur facultas revocandi donationem Conjugi factam; quia facile poteſt contingere, ut ex conceſſione Principis Civitati reſtituatur 73.). Conceditur tamen Profeſſo, ut Teſtamentum antea factum declaret, ſi forte du-

---

72.) Auth. ſi qua mulier. C. de SS. Eccl. quæ deciſio a ſummis Pontificibus ſaltem tacite approbata cenſetur. MOLINA de J. & J. tr. 2. diſp. 141. n. 4. LESSIUS lib. 2. de Juſt. c. 41. dub. 10. n. 82.

73.) Vid. EMAN. RODRIQUEZ Quæſt. Regular. tom. 3. quæſt. 16. art. 3. & q. 69. art. 3. SANCHEZ in Præc. Dec. lib. 7. c. 11. n. 5. Rot. Roman. coram JACOBO EMERIX Deciſ. 1187. n. 5. & 6.

dubium oriatur: *nihil enim nunc dat, sed datum significat* 74.).

Hæres aliquis debet institui,

§. 462. In omni Testamento institui debet hæres: est autem Hæreditas, Universitas rerum a defuncto relicta, omnia Jura, commoda & incommoda comprehendens. Institutio debet esse certa, directa, nec ex alieno arbitrio dependens. Dicit Pontifex 75.), non decedere intestatum, qui extremam voluntatem in alterius dispositionem committit. Variæ sunt de hoc Pontificio Responso Doctorum interpretationes, ne a dispositione Legum Civilium discedere videatur 76.). Restringi hæc Pontificis doctrina potest non tantum ad solos Clericos, de quibus ibi ser-

mo

74.) L. 21. §. 1. ff. qui testam. fac. possi.

75.) Innocentius III. in c. 13. de Testam.

76.) Anton. Dadinus Alteserra in Comment. ad dictum Capitulum rejectis variorum explicationibus, putat, responsum Innocentii, quod inscribitur Altissiodorensi Episcopo in Gallia, referri ad consuetudinem Gallicanam, cujus forte non inscius fuit Pontifex, utpote olim Alumnus Academiæ Parisiensis.

mo est; sed etiam ad singularem casum, ubi odiosum privilegium Episcopo concessum succedendi Clericis intestato decedentibus, merito limitatur, ut locum non habeat, quando Clericus ultimam voluntatem suam saltem alieno arbitrio committit.

Pure aut conditionate. §. 463. Hæres potest institui, vel unus, vel plures; personæ singulares vel Communitates; etiam in re certa, non tamen in aliena; sub quacunque verborum forma; pure vel conditionate. Conditio potestativa etiam filio quoad Bona ultra Legitimam adscribi potest; de casuali disputant Legistæ 77.). Hæc si Institutioni adscripta sit, nihil interest, quandocunque impleatur: potestativa autem regulariter post mortem testatoris est implenda; antea enim nondum constat de perseverante testatoris voluntate: & sic ante mortem impleta, adhuc semel est implenda, nisi conditio non sit iterabilis E. G. si Presbyteratum susceperit. Conditio impossibilis vel tur-

77.) Vid. Franc. Barry de Succession. lib. 2. tit. 2.

turpis alios quidem contractus vitiat: sed ultimis voluntatibus adjecta, ipsa vitiatur, & pro non adjecta habetur. Si dies tanquam terminus *ad quem* adjicitur, hæres institutus semper manet hæres: si tanquam terminus *a quo*, mentio diei detrahitur, & hæres pure institutus censetur. Dies igitur certus pro non adjecto habetur quoad quæstionem *An?* sed intuitu quæstionis *Quando?* si dies certus ultimis voluntatibus adjicitur, nec cedit nec venit dies, ante diei adventum.

Conditio amplectendæ Religionis Catholicæ

§. 464. Dictum est, Conditionem impossibilem vel turpem, ultimis voluntatibus adjectam, vitiari, & pro non adjecta haberi, ita ut hæreditas vel Legatum præstari debeat, licet conditio non impleatur. Controvertitur, an huc referri debeat Conditio mutandæ Religionis, quando quis hæres instituitur, vel Legato honoratur sub conditione, si Romano-Catholicam Religionem amplectatur? Non agimus de Legitima hæredi necessario absque ullis conditionibus relinquenda: nec loquimur de Bonis Feudo vel Fideicommisso subjectis, de quibus Testator

pro

pro arbitrio ſuo diſponere non poteſt. Juris-Conſulti Acatholici Germaniæ communius affirmant, ejusmodi conditionem ultimæ voluntati adjectam, pro non ſcripta haberi, utpote turpem, inhoneſtam, conſcientiæ repugnantem, & juridice impoſſibilem: proin deberi hæreditatem vel Legatum, licet Catholica Religio ab inſtituto hærede vel Legatario non ſuſcipiatur 78.). Putant enim conſcientiam hæredis vel Legatarii lædi, ſi veritatem Evangelicam ſemel agnitam deſerant, & aliam Re-

78.) Ita docent CARPZOVIUS Deciſ. illuſtr. 89. KNIPSCHILD de Fideicommiſſ. Familiar. Nobil. c. 6. n. 407. ſeqq. RUMELINUS ad Aur. Bull. Caroli IV. p. 3. Diſſert. 6. Coroll. m. f. 845. CRANIUS de Conſtit. Relig. part. 2. problem. 7. BRUNNEMAN ad L. 15. ff. de Condit. Inſtit. BÖHMER Diſſert. prælim. de Jure circa libert. conſc. §. 49. in tom. 2. Jur. Eccl. Proteſt. REINHARTH ad Chriſtinæi Deciſ. Vol. 4. obſerv. 24. SYRINGUS ſub Præſidio Pingitzeri de Pace Religionis theſ. 45. GEORG. ADAMUS STRUVIUS Sytagm. Jur. Civ. Exercitat. 33. theſ. 50. & PETRUS MÜLLERUS ibid. SCHILTERUS prax. Jur. Rom. in foro Germ. tom. 2. exercit. 38. §. 100.

Religionem', de cujus veritate non adeo convicti sunt, ex animi levitate, vel sola spe lucri arripiant: Legatum sub conditione, si arbitratu Titii Seja nupserit, præstari debere, etiamsi Seja sine arbitratu Titii nupserit 79.): ob majorem rationem idem in Legato sub conditione Religionis, arbitratu Testatoris mutandæ, statuendum esse, cum mutatio Religionis æque, imo magis libera, ac matrimonium esse, nec ab arbitratu alterius dependere debeat. Turpem dicunt ejusmodi conditionem, quæ Religionem ære quodammodo æstimabilem censeat; Legibus etiam adversam, quibus cautum est, *quod nemo alienos subditos ad suam Religionem pertrahere debeat* 80.). Si hoc Statibus Imperii non liceat, multo minus licebit privatis testatoribus. Confirmantur hæc exemplo Saxoniæ Ducis Henrici, qui fratris Georgii hæreditatem adiit & obtinuit, non

79.) L. 72. §. 4. ff. de Condit. & Demonstr.

80.) I. P. W. Art. V. §. 30.

obstante conditione in testamento Georgii adjecta de retinenda Religione Catholica 81.). Demum facile sibi persuadent allegati Acatholici Scriptores, Catholicos rejecturos ejusmodi conditionem, si testator Lutheranus hæredem institueret sub conditione amplectendi ritus Lutheranos: censent proin, idem esse judicium de Testatore Catholico.

Potest in Testamento adjici;

§. 465. Contrariam sententiam, quod scilicet conditio impleri debeat, si quis hæreditatem aut Legatum sub conditione retinendæ, vel assumendæ Religionis Catholicæ relictum obtinere cupiat, tenent & egregie propugnant, non tantum Catholici 82.), sed nonnulli etiam Acatholici Docto-

81.) Sleidanus lib. 12. ad Ann. 1539.
82.) Juris-Consulti Dilingenses Compos. Pacis. c. 6. q. 49. n. 203. seqq. Buckisch ad Instrum. Pac. Art. V. §. 35. observ. 97. Ant. Hermannus de Chlingensperg Consil. Civil. tom. 2. Cons. 8. P. Vitus Pichler Jur. Can. pract. decis. 128. Colendissimus D. Collega Joan. Paulus Sutor Elect. Jur. & Fori hodierni. concl. 60.

ctores 83.). Nam quilibet rerum suarum arbiter, in actu ultimæ voluntatis apponit valide conditionem, quam vult, & quam velle potest: conditio autem amplectendæ Religionis Catholicæ semper in Imperio approbatæ & laudatæ, nec natura, nec jure, nec facto hominis, nec perplexitate impossibilis, nec contra bonos mores est 84.): consequenter apponi ultimæ voluntati potest; nam testator hæredem suum non vult adducere, ut cæce ex animi levitate, & sola spe lucri Religionem mutet; sed invitat, ut motivis bene perpensis, ope Illustrationis Divinæ agnitam veritatem amplectatur; aut viciſſim, si in suo errore pertinaciter

83.) Scabini MAGDEBURGENSES, ut ex Alemanno refert CARPZOV. cit. Decis. 89. n. 1. Facultas Jurid. LIPSIENSIS, cujus Responsum integrum recenset FRID. GOTTLIEB STRUVIUS Introduct. ad prax. Jur. Can. part. 2. cas. 69. BERNARDUS BERTRAM Dissert. de Pace Religioni data, inter Discurs. ab Arumæo collectos. Vol. 1. fol. 238. a n. 32.

84.) His modis aliquid impossibile dicitur. PETRUS ANT. DE PETRA de Potest. Princ. c. 3. q. 3. n. 3.

perseveret hæreditate abstineat. Licet igitur tali hæredi vel Legatario lucrum temporale occasio sit conversionis, non tamen est finis principalis.

Cum nihil fiat contra Leges:

§. 466. Si Leges Imperii consulamus, Religio Catholica non solum est tolerata in Imperio, sed semper approbata, confirmata, & commendata sub nomine veteris Religionis, & adhuc hodie a moderatioribus Acatholicis tanquam secura & ad salutem consequendam idonea agnoscitur: Protestantica autem, tanquam nova, fuit frequenter Legibus Imperii proscripta, & tandem post longa & cruenta bella ad evitandum majus malum tolerata, ita ut improbatio doctrinæ nunquam, sed tantum proscriptio & pœna ab Imperatoribus abrogata sit, *qui* eam adhuc hodie improbando tolerant. Unde nihil apparet fieri Legibus contrarium, nihil contra honestatem, aut conscientiam, si *quis* ad hæreditatem vel Legatum vocetur sub conditione revertendi ad antiquam Majorum suorum Religionem, & actu revertatur. Neque læditur libertas Religionis: sicut enim testa-

tor

tor libertatem habuit instituendi aut honorandi hunc vel illum, ita etiam institutus, aut Legato honoratus libertatem plenam habet, retenta sua Religione, repudiandi hæreditatem. Pax Westphalica, prohibens, ne Status Imperii alienos subditos ad suam Religionem pertrahat, confirmat priores Leges, quæ cavent, ne quis vi aut dolo subditos alterius status ad suam Religionem solicitet, eorumve protectionem suscipiat cum præjudicio proprii Domini 85.). Nihil simile contingit per Legatum conditionatum. Improbant quidem Leges Legatum sub conditione, si Seja arbitratu Titii nupserit, quia hac ratione libertas & voluntas a persona instituta in tertium transferretur, quod Jura nolunt in Matrimonio & Testamentis. Econtra approbant Le-

85.) Pax Religiosa Augustæ ann. 1555. ad quam se refert Pax Westphalica, cavet §. 23. Es soll auch kein Stand den andern, noch desselben Unterthanen zu seiner Religion dringen, abpracticiren, oder wider ihre Obrigkeit in Schuz und Schirm nehmen, noch vertheydigen in keinen Weeg.

ges conditionem, *si Titio nupserit*, modo possit Titio honeste nubere 86.): cur non pariter approbetur conditio, *si Catholicam Religionem amplectatur?* nemo enim tam impudens erit, ut id honeste fieri posse neget. Conditionem jurisjurandi remittunt quidem Leges 87.) : nihilominus compellitur quis facere id, quod facturum se jurare jussus est, solo jurejurando remisso. Unde si quis institueretur sub conditione, ut juret, se amplexurum Catholicam Religionem; ex dispositione Legum Civilium non quidem teneretur jurare, sed tamen teneretur amplecti Catholicam Religionem, si gaudere velit hæreditate vel Legato.

Exemplum contrarium non est curandum.

§. 467. Exemplum Henrici *Saxoniæ* Ducis parum movet. Non enim hoc loco discutimus, quo jure omnia acta fuerint Anno 1539. postquam Anno 1536. fœdus Schmalcaldicum inter Principes Protestantes initum, cui Elector, ceterique Duces

86.) L. 63. §. 1. ff. de Condit. & Demonstr.
87.) L. 8. §. 4. ff. de Condit. Instit. & L. 26. pr. ff. de Condit. & Demonstr.

ces Saxoniæ præter solum Georgium adhæserant, proni ad arma contra Cæsarem & Catholicos arripienda: nec de Principatibus Imperii nobis sermo est, in quibus stabilita Agnatorum successio non permittit testatoribus liberam dispositionem. Demum magna est disparitas inter conditionem assumendi Religionem Catholicam, semper in Imperio approbatam & laudatam; & inter conditionem sequendi ritus improbando toleratos, ut supra monuimus 88.).

§. 468. Quosdam ab hæreditatibus capiendis ut *indignos* excludunt Leges 89.), ob vim illatam testatori, necem ejus non vindicatam, vel gravem injuriam ejus memoriæ inustam. Tanquam *incapaces* excluduntur Hæretici; Apostatæ a Fide Christiana; banniti; damnati ad ultimum supplicium; liberi reorum criminis læ- *Qui possint instituti hæredes?*

88.) Fusius hoc argumentum explicat P. Pichler cit. decis. 128.

89.) In Pandectis *de His quæ ut indignis auferuntur*. Et in Codice *De his, quibus &c. ut indignis hæreditas auferatur.*

ſæ Majeſtatis; Collegia illicita; Communitates Judæorum; Conventus Fratrum Minorum de Obſervantia & PP. Capuccinorum, ob ſpeciales Ordinis ſui Conſtitutiones. Aliæ Domus Religioſæ, Bonorum temporalium etiam in communi non capaces, uti ſunt Domus Profeſſæ Societatis Jeſu, ſcribi quidem hæredes poſſunt: ſi tamen immobilia ipſis in Teſtamento relinquantur, debent ea vendere, & pretium in neceſſarios uſus convertere. Liberi naturales incapaces ſunt hæreditariæ inſtitutionis reſpectu patris ultra unciam, quando extat legitima proles; ſpurii ex damnato coitu reſpectu utriusque parentis 90.). In Gallia, & quibusdam aliis Provinciis excluduntur ab hæreditatibus *alibi nati*, qui quidem nunc in Gallia ſedem fixerunt, nondum tamen jus Civitatis obtinuerunt, ſeu ut vulgo dicunt, *non naturа-*

90.) Filios Naturales Canonicorum Cathedralium Proteſtantium, quales ſunt Osnabrugæ, poſſe inſtitui hæredes, præjudicio firmare conatur Ill. D. De Cramer Nebenstunden part. 4. N. 6.

turalisati. Vocatur Jus Albinagii, Albinatus &c. quo Fiscus loco Albinorum trahit ad se hæreditates 91.). In aliis Provinciis certa pars hæreditati in alium locum transportandæ detrahitur, quæ gabella hæreditaria dici solet, cuius quantitas variat: plerumque est pars decima. Ecclesia ægre fert, si ex testamentis Episcoporum ac Clericorum ditentur eorum Nepotes. Nimia S. Cyrilli Alexandrini solicitudo erga Consanguineos maculam aliquam inussit memoriæ hujus Sancti Præsulis, qui in testamento *plurimis & magnis Legatis* honoravit Successorem suum, *conjurans eum per venerabilia & terribilia mysteria, ut ipsius foveret genus, & in nullo eis laborem incuteret* 92.): Dio-

 scorus

91.) De hoc jure Albinagii vid. Renatus Choppinus de Privileg. Rustic. lib. 3. c. 8. Christinæus Decis. Belg. vol. 5. Decis. 228. Les Loix Civiles dans leur ordre naturel tom. 3. fol. 31. 61. 75. & aliis ibi citatis.

92.) Ita de Avunculo suo scribit Athanasius ad Leonem Pontificem, prout refertur in Concil. Chalcedonensi Act. 3. apud Harduin. tom. 2. col. 331.

ſcorus tamen, qui Cyrillo ſucceſſit, hæredes ejus violenter oppreſſit. Idem fatum paſſi ſunt Nepotes Herivæi Epiſcopi Rhemenſis a Seulfo Herivæi Succeſſore 93.). Plerumque liberalitas Epiſcoporum & Clericorum in Nepotes, turbat Eccleſias, nec ſeris prodeſt poſteris.

An Eccleſiæ?

§. 469. Eccleſiis per Judices Idololatras antea oppreſſis, ſingulariter providit CONSTANTINUS M. data Lege Anno 321. 94.), vi cujus *habeat unusquisque licentiam ſanctiſſimo Catholico, venerabilique Concilio decedens Bonorum, quod optaverit, relinquere: & non ſint caſſa judicia ejus.* Quam liberaliter hac conceſſione uſi ſint Fideles, conſtat ex Annalibus Eccleſiaſticis 95.). Favorem Eccleſiis collatum in ſuam avaritiam vertebant nonnulli Clerici, qui viduarum aut puellarum hæreditates aucupabantur,

93.) FLODOARDUS Hiſtor. Rhemenſ. lib. 4. c. 18. 35. Plura talia exempla refert CHRISTIANUS LUPUS tom. 2. fol. 44. ad Capitul. 9. Latrocinii Epheſini.

94.) L. 1. C. de SS. Eccleſ.

95.) Vid. THOMASSIN. de vet. & nov. Diſc. Eccleſ. p. 3. lib. 1. c. 16. & 17.

tur, ita ut VALENTINIANUS Imperator coercere eos debuerit Lege ad Damasum Pontificem Romanum missa 96.), & lecta in Ecclesiis Urbis Romæ Anno 370. qua cavetur, *ut Ecclesiastici Viduarum ac pupillorum domos non adeant . . . & nihil de ejus mulieris, cui se privatim sub prætextu religionis adjunxerint, liberalitate quacunque, vel extremo judicio, possint adipisci &c. &c.* Nihil hac Lege Ecclesiis vel pauperibus (idem censebatur esse, sive relinqueretur pauperibus, sive Ecclesiæ, quæ pauperes alit) præjudicatum fuit, nec derogatum Testamentis in horum favorem conditis : singulorum Clericorum aut Monachorum tunc grassanti cupiditati obviabatur. Longius progressus erat THEODOSIUS Anno 390. occasione turpissimi cujusdam facinoris, constituendo, ut Diaconissa, quæ liberos domi haberet, *nihil de monilibus & supellectili, nihil de auro, argento, ceterisque claræ Domus insignibus, sub religionis defensione consumat . . . ac si quando diem obierit, nullam*

96.) L. 20. Cod. Theod. de Episc. Eccles. & Cler.

lam Ecclesiam, nullum Clericum, nullum pauperem scribat hæredes 97.). Hanc Legem XI. Kalend. Jul. Mediolani latam, mox post duos menses X. Kalend. Septemb. urgente S. Ambrosio, revocavit idem Imperator 98.). Plenius autem Leges Ecclesiis minus faventes interpretatus & moderatus est MARTIANUS Imperator Anno 455. 99.), antiquatis omnino Legibus Valentiniani & Theodosii. Legem autem Martiani JUSTINIANUS in suum Codicem transtulit 100.), ubi *generali Lege sancitur, sive Vidua, sive Diaconissa,*

97.) L. 27. Cod. Theod. ibid. De hac Lege S. HIERONYMUS Epist. 2. ad Nepotianum de Vita Clericorum c. 7. sic loquitur: *Pudet dicere: Sacerdotes Idolorum, mimi & auriga, & scorta hæreditates capiunt: solis Clericis & Monachis hoc Lege prohibetur, & prohibetur non a persecutoribus, sed a Principibus Christianis. Nec de Lege conqueror, sed doleo, cur meruerimus hanc Legem &c. &c.*

98.) L. 28. Ibid.

99.) In Novella de Testam. Cleric. quæ habetur in nova Editione Codicis Theodosiani tom VI. Novell. lib. III. tit. 6.

100.) L. 13. C. de SS. Eccles.

missa vel Virgo Deo dicata, vel sanctimonialis mulier, sive quocunque alio nomine religiosi honoris vel dignitatis fœmina nuncupata, vel testamento, vel Codicillo suo, quod tamen alia omni juris ratione munitum sit, Ecclesiæ, vel Martyrio, vel Clero, vel Monachio, vel pauperibus aliquid, vel ex integro, vel ex parte, in quacunque re vel specie, crediderit relinquendum, id modis omnibus ratum, firmumque consistat 1.).

Opiniones favorabiles Ecclesiis & Ecclesiasticis.

§. 470. Majorem Ecclesiarum ac Causarum piarum reverentiam ingenerare conantur SS. Canonum Interpretes, qui variis testamentis ad normam Legum Civilium non confectis, efficaciam tribuunt in favorem piarum causarum. Non tantum ejusmodi Testamenta pia ab omnibus scrupulosis solennitatibus libera esse statuunt (§. 446.): sed etiam inhabilitatem testatoris, quæ a Legibus Civilibus provenit, non attendendam esse defendunt, modo Testamenta vel Legata in favorem Causæ piæ concepta sint: nihil amplius desi-

1.) Vid. Baronius ad Ann. 390. n. 67. seqq. item ad Ann. 455. n. 25. seqq.

desiderari credunt, præter ea, quæ jus naturale in quolibet actu humano requirit, scilicet, ut persona disponens sit mentis & maturi judicii compos, sufficientem præbeat assensum, ac de re sua disponat sine ullo tertii præjudicio; pro foro autem contentioso conveniens probatio præsto sit. Quamvis meo judicio facultas efficaciter testandi nequaquam ex Jure naturali, sed ex Legibus positivis trahatur (§. 436. seq.): Jus Canonicum autem nullibi reddat habiles, quos Leges Civiles habent pro inhabilibus ad testandum, imo supponat, filiosfamilias, prout Leges decernunt, non posse testari *pro anima sua*, nisi ex peculio Castrensi vel quasi Castrensi 2.): Nihilominus benignæ sententiæ causis *piis faventi*, adeo me non oppono, ut *potius* vehementer gratuler Ecclesiis & Causis piis, si Tribunàlia, quibus executio ultimarum voluntatum incumbit, assistant ejusmodi Testamentis piis, non attenta inhabilitate testatoris.

2.) C. 4. de Sepult. in 6.

toris. Nam Lex Constantini 3.) vult, ut habeat *unusquisque* licentiam relinquendi Ecclesiis Catholicis, quantum voluerit: & Jus Canonicum id solummodo cavet, ne filiusfamilias ad Causas pias testetur cum præjudicio Patris, scilicet de iis Bonis, quorum ususfructus eidem competit. Alia sententia singulariter favens Clericis circa testamenta est, quod omnia Bona a filiofamilias Clerico, saltem Minoribus Ordinibus, vel prima solummodo tonsura insignito acquisita, quæ in Laico adventitia essent 4.), habeantur pro Castrensibus vel quasi Castrensibus: proin talis Clericus, licet sit adhuc in patria

3.) L. 1. C. de SS. Eccles.

4.) Authentica mox alleganda nominat *res ad eorum dominium venientes*: Unde non intelliguntur Bona profectitia, quorum dominium pertinet ad patrem. Nihilominus quæ Pater filiofamilias in sua potestate constituto, donat intuitu Clericatus, habentur pro quasi-Castrensibus. Franc. de Caldas ad L. fi curatorem, in definit. V. læsis. n. 103. C. de in integr. restit. Covarruv. in C. quia nos. n. 1. de Testam.

tria potestate constitutus, de iis possit libere disponere inter vivos & mortis causa 5.).

Quinam debeant instituí?

§. 471. Hæredes in Legibus Romanis *Necessarii* tantum vocantur, qui abstinere ab hæreditate non possunt, quales erant servi instituti a Domino suo, in cujus potestate erant mortis tempore. *Sui & Necessarii*, sunt Liberi, qui tempore mortis fuerunt in potestate Patris Testatoris. *Suitas* est fictio, qua omnium jurium a defuncto Patre profectorum in Descendentibus proxime in ejus familia existentibus immediata quædam fit continuatio. Unde hæredes sui & necessarii, ipso jure, licet ignorantes acquirunt hæreditatem. Hodie passim

5.) L. Sacrosanctæ. 34. & subjecta Auth. Presbyteros. C. de Episc. & Cler. Quæ Leges, si per C. quia nos. 9. de testam. non sufficienter confirmatæ censeantur, certe vim habent ex tacita Pontificum & Ecclesiæ approbatione. SANCHEZ ad Præcept. Decal. lib. 7. c. 13. n. 31. seqq. PASSERINUS ad Cap. 4. de Sepult. in 6. n. 20. Rota Rom. Decis. 166. n. 50. part. 8. & Decis. 533. n. 53. part. 14. Recent.

passim *necessarii* vocantur, qui præteriri non possunt: nec magna est differentia inter hæredes *suos* & *extraneos*: hi enim hæreditatem repudiare; illi ab eadem abstinere possunt. Hæredes igitur, qui hodie dici solent *necessarii*, instituí debent, saltem in Legitima, nullo onere gravata, honorabili titulo hæredum, vel nominatim excludi.

Saltem in Legitima?

§. 472. Hæredes necessario instituendi sunt I. Liberi legitimi, horumque præmortuorum Descendentes, etiam Posthumi, & hodierno jure etiam emancipati. II. Filii Naturales respectu Matris tantum. III. Deficientibus Liberis Parentes: & his non existentibus, Ascendentes alii gradu propinquiores. IV. Germani & Consanguinei Fratres & Sorores, quando ipsis absque justa causa præteritis institueretur persona turpis. Hi tamen hæredes necessarii non in tota substantia instituí necessario debent, sed saltem in portione Legitima, quæ hodie respectu Liberorum est Triens, si quatuor sint, vel pauciores; semis autem, si quinque vel

plures 6.). Eadem portionis legitimæ quantitas obſervanda eſt reſpectu parentum ac fratrum. Olim quidem quadrans ſubſtantiæ defuncti deſignatus erat, ne quis querela inofficioſi agere poſſit 7.): ſed recentiori jure aucta eſt Legitima portio uſque ad Trientem, *in omnibus perſonis, in quibus ab initio antiquæ quartæ ratio de inofficioſo lege decreta eſt* 8.): conſequenter idem tenendum eſt de parentibus & fratribus.

Cauſæ exhæredandi.

§. 473. Poſſunt tamen, qui hæredes neceſſarii dicuntur, exhæredari ex juſta cauſa, diſerte in Teſtamento expreſſa, & ab hærede inſtituto probanda. Cauſæ exhæredandi Liberos enumerantur quatuordecim 9.), quæ omnes gravem ingratitudinem in Parentes continent, hac addita clauſula, *ut præter ipſas nulli liceat ex alia lege ingratitudinis cauſas opponere, niſi*

6.) Auth. noviſſima. C. de inoffic. teſtam; Novell. 18. c. 1. Nov. 22. c. 48. Nov. 39. c. 1.
7.) §. 3. & fin. Inſt. de Inoffic. teſtam.
8.) Cit. Nov. 18. c. 1.
9.) Novell. 115. c. 3.

nisi quæ in hujus Constitutionis serie continentur. Vicissim causæ exhæredandi Parentes referuntur octo 10.): & tres pro exhæredandis fratribus 11.). Si causa exhæredandi sit vel nulla, vel iniqua, rescinditur Testamentum querela inofficiosi: si vero causa sit plane omissa, vel non in jure expressa, Testamentum nullum est.

10.) Ibid. *C.* 4.

11.) Novell. 22. c. 47. Memoriæ gratia, omnes istæ causæ comprehenduntur his versibus:

His natum ex causis exhæredare licebit:
Si (1.) feriat graviter, (2.) dedecoretve (Patrem:
Vel (3.) damno afficiat, nec (4.) ab hostibus (ære luebat:
Si (5.) Magus, aut (6.) Mimus, (7.) Natave (sit meretrix:
(8.) Criminis (hæc etiam valet excluisse (parentes
Et reliquæ) accusans, (9.) insidiasve (struens:
Aut (10.) patris aut nati capiti impia cornua (ponens:
(11.) Testari prohibens, (12.) hæreticosque (sequens:
Non curans (13.), teneant si vincla (14.) furorve (parentem.
Octava & fratri, & tertia, nona datur.

Onera adeuntis hæreditatem.

§. 474. Hæreditatem sibi delatam adire potest omnis, qui se obligare 12.). Contingit hoc, quando quis tacite vel expresse, verbis, factis aut aliis signis, significat, quod se pro hærede declarare, habere, aut gerere velit 13.). Per aditionem hæreditatis inducitur unitas personæ inter defunctum & hæredem: acquirit hæres jus & dominium omnium rerum hæreditariarum, illudque transmittit ad hæredes suos, etiamsi possessionem actu & corporaliter nondum acceperit: simul autem contrahit obligationem solvendi omnia debita & obligationes defuncti, omnesque actiones passivas in se recipit; teneturque præstare Legata, & Fideicommissa, totamque adimplere voluntatem defuncti, nisi hæc onera excedant vires hæreditatis, quæ adita fuit cum beneficio Inventarii. Cum igitur hæreditas secum trahat gra-

12.) Hæres *suus* dicitur se immiscere hæreditati, *extraneus* adire hæreditatem: passim tamen confunduntur hi termini.

13.) Copiose de hoc agit MENOCHIUS lib. 4. Præsumpt. 100. 101.

gravia onera, Leges hæredi concedunt jus deliberandi per annum, & ultra etiam, si nemo urgeat.

§. 475. Id etiam Jure Romano cautum est, quod nemo Paganus possit simul testatus, simul intestatus decedere. Unde qui de minima parte Bonorum testatus fuerit, de reliquis omnibus testatus esse videtur; reliqua enim Bona ad partem illam Bonorum trahuntur: & deficientes portiones accrescunt illi, qui in aliqua parte est institutus, nisi testator habeat talia Bona, de quibus testari non possit, ut sunt Feudalia. Est autem *Jus accrescendi*, quo portio vacans adjicitur & accrescit conjuncto, qui partem suam agnovit, ad conservandam *hæreditatis individuitatem*, & *testatoris voluntatem*. *Hæreditatis individuitas* exigit, ut ille, qui in minima portione, & etiam in re certa est institutus, totam substantiam capiat, si nullus alius adsit hæres 14.). *Voluntas testatoris* con- *Jus accrescendi*

14.) Unde ejus, qui in re singulari hæres instituitur, conditio melior est, quam illius, cui res singularis legatur. Nam instituto potest accrescere tota hæreditas, secus Legatario.

ſideratur, ſi hic plures inſtituit hæredes, disjunctos aliquos, alios conjunctos, ex quibus unus vel non vult, vel non poteſt eſſe hæres: aut ſi plures Legatarios ad eandem rem vocavit, & eos potius ſibi invicem, quam hæredem ſuccedere voluit. Conjunguntur autem Legatarii vel verbis tantum, vel re tantum, vel re & verbis ſimul 15.).

§. 476.

15.) L. 89. ff. de Legat. 3. L. 142. ff. de Verb. Signif. Exemplum conjunctionis poni ſolet iſtud. *Cajo & Titio lego fundum Tuſculanum: Sempronio lego fundum Tuſculanum: Ulpiano lego fundum Tuſculanum: Mevio & Neratio lego fundum Tuſculanum æquis partibus: Juliano lego fundum Sabinum.* In hac Legati formula, Cajus & Titius ſunt mixtim, ſeu re & verbis conjuncti: Sempronius & Ulpianus re tantum: Mevius & Neratius verbis tantum: Julianus cum reliquis nec re, nec verbis. Si igitur deficiat Cajus; accreſcit Titio: ſi Sempronius; accreſcit omnibus, quibus fundus Tuſculanus legatus eſt, ita ut Cajus & Titius unam, Ulpianus unam, Mevius & Neratius unam portionem capiat: ſi deficiat Mevius; accreſcit ſoli Neratio:

ſi

§. 476. Dicta doctrina, quod nemo paganus partim testatus, partim intestatus possit decedere, multis modis fallit, ex quibus unicum annotare, præsentis instituti est, scilicet hanc Juris subtilitatem non pertinere ad Testamenta pia, a Legibus Civilibus prorsus exempta, sicut non pertinet ad Testamentum militis. Potest igitur Testator pius *decedens bonorum quod optaverit relinquere* Ecclesiæ 16.), sive integrum assem, sive certam portionem, aut certam rem, & *non sint cassa judicia ejus*: reliqua, de quibus non disposuit, pertine-

Non habet locum in Testamento Pio non solenni.

si hic uterque simul deficiat, accrescit prioribus omnibus, & dividitur in tres portiones, ex quibus Cajus & Titius unam tantum capiunt: si deficiat Julianus; ejus portio non accrescit aliis Legatariis, cum quibus nec re, nec verbis est conjunctus, sed remanet apud hæredem. Vid. STRUVIUS Jurispr. Rom. Germ. for. lib. 2. tit. 23. aphorism. 19. Item in Syntagm. Jur. Civil. Exercit. 34. tit. 2. thes. 40. & ibi MÜLLERUS, BARTHOLOMÆUS ROMULEUS, olim Professor Ingolstadiensis tract. de Jure accrescendi fol. 8. seqq.

16.) L. 1. C. de SS. Eccles.

bunt ad hæredes ab inteſtato. Imo ſi præter Eccleſiam inſtituiſſet alium hæredem, hujus portio deficiens non accreſcit Eccleſiæ, cum iſtud jus accreſcendi in hæreditate ex eo ſolum obtineat, ne quis partim teſtatus, partim inteſtatus decedat, quod nequaquam ſtringit teſtatorem pium: hic enim ſi deficientem quoque portionem ad Eccleſiam pervenire velit, aperte declarabit voluntatem ſuam. In aliis Teſtamentis profanis præſumitur hæc voluntas teſtatoris, qui ſe cenſetur conformare Legibus, ſtatuentibus jus accreſcendi: cum autem hæ Leges non attingant Teſtamenta pia, cenſetur teſtator nihil aliud voluiſſe relinquere Eccleſiæ, quam quod expreſſit. Nihilominus non omnino ſentire poſſum cum JASONE 17.), qui docet, ſi quis faciat Teſtamentum ad Cauſam piam coram duobus teſtibus, & admiſcet Legata profana, quod hæc non valeant, nec tamen accreſcant Cauſæ piæ, ſed potius

17.) Ad L. hac conſultiſſima. 21. §. ex imperfecto. C. de Teſtament. n. 10. Verſ. pro clara intelligentia.

tius hæredibus ab intestato. Impugnat Jason doctrinam SALICETI 18.) qui ponit casum Statuti, quo cavetur, ut Testamenta non valeant, nisi in Archivo publico posita: Testamentum in Archivo non positum, ubi Ecclesia instituitur, juxta Salicetum valebit, quia Statutum istud Ecclesiam non obligat: ex quo infert, quod Legatarii profani ex illo Testamento petere possint Legata ab Ecclesia, quia ex institutione valida debentur 19.). Quid de Legatis profanis Testamento pio insertis tenendum sit, alibi traditur (supra §. 446.). Posito autem, quod talia Legata ex quacunque ratione sint prorsus inutilia, nequaquam cum Jasone teneri potest, quod accrescant hæredibus ab intestato: sed potius dicendum, quod maneant in hæreditate, ad quam ponitur vocata Causa pia.

18.) Ad Auth. *Cassa.* C. de SS. Eccles. n. 7.

19.) Idem docet TIRAQUELLUS de Privilegiis piæ causæ. priv. 80. in princ. quamvis postea referat opinionem JASONIS, nec ei contradicat: unde ab aliis allegatur pro doctrina Jasonis.

Nam talis portio non dicitur accrescere, sed remanet penes piam Causam tanquam caduca. Unde nulla ratio suadet, ut venientes ab intestato ad eam vocentur, cum illi non succedant, quoties est locus successioni ex testamento 20.).

Pacta de hæreditate an valeant?

§. 477. *Repudiare* hæreditatem, id est, jam delatam rejicere, vel non admittere, potest omnis, qui potest adire 21.). Unde sicut Pupillus se solo non potest adire hæreditatem, ita etiam nec repudiare valet. *Renuntiatio* hæreditatis est cessio, seu remissio juris, quod quis ad hæreditatem habet, vel habere potest, cum etiam spes ad jus futurum deduci in pactum possit. Renuntiatio, seu pactum circa hæreditatem viventis in specie, sine hujus præscitu & consensu, in favorem alterius facta, etiam-

20.) Gratianus Discept. forens. Cap. 605. n. 32. Franc. a Mostazzo de Causis piis lib. 1. c. 11. n. 45. seqq.

21.) *Abstinere* dicitur hæres suus, *repudiare* hæres extraneus: sæpe tamen confunduntur hæ phrases, sicut supra dictum est de vocibus; *immiscere se hæreditati*, & *adire hæreditatem*.

etiamsi juramento fuerit confirmata, nulla atque invalida est, quia *hujusmodi pactiones odiosæ esse videntur, & plenæ tristissimi & periculosi eventus... ac contra bonos mores initæ.* Valebunt autem, *si ipse forte, de cujus hæreditate pactum est, voluntatem suam eis accommodaverit, & in ea usque ad extremum vitæ suæ spatium perseveraverit, tunc enim sublata acerbissima spe, licebit eis illo sciente & jubente hujusmodi pactiones servare* 22.). Respiciendo ordinationes Juris Canonici, *quamvis pactum patri factum a filia, dum nuptui tradebatur, ut dote contenta nullum ad*

22.) L. fin. C. de Pactis. Tanta erat improbitas apud Romanos, ut ex spe consequendæ hæreditatis etiam parentes liberis insidias struerent. Unde JUVENALIS Satyra VI. v. 628. seqq.

Vos ego, pupilli, moneo, quibus amplior (est res,
Custodite animas, & nulli credite mensæ:
Livida materno fervent adipata veneno;
Mordeat ante aliquis, quicquid porrexe- (rit illa,
Quæ peperit.

De Successoriis Pactis juxta hodiernos Germaniæ mores videri potest LEYSERUS spec. 43. seqq.

ad bona paterna regressum haberet, improbet Lex Civilis: si tamen juramento, non vi nec dolo præstito, firmatum fuerit ab eadem, omnino servari debebit: cum non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum 23.). Hodie ejusmodi renuntiationes Filiarum Illustrium in favorem Fratrum suorum & Descendentium Masculorum, passim sunt in usu: alicubi valent absque juramento: imo in quibusdam Provinciis Filiæ habentur pro renuntiatis, absque ullo renuntiationis actu, reservato tamen regressu, si stirps mascula extinguatur. Cum universim inter Germanos insidiæ hæreditatis causa raræ sint, cessant etiam remedia a Romanis contra tales insidiatores inventa 24.).

Testamenta Reciproca,

§. 478. Pactis successoriis annumerantur Testamenta *reciproca*, in quibus duo vel plures mutuo consensu se invicem hæredes instituunt, vel aliud in eo ad invicem ordinant.

Fiunt

23.) C. 2. de Pactis in 6. Commentarium copiosum in istud Capitulum dat Passerinus.

24.) Vid. Leyserus loc. cit.

Fiunt hæc Testamenta frequenter inter Conjuges. Si scriptura adhibeatur, potest id fieri in duplici charta, & coram diversis testibus; vel etiam in eodem libello per utrumque Conjugem signato & subscripto, coram iisdem septem testibus ab utroque rogatis, qui utriusque Conjugis nomen separatim ac specifice exprimere debent. Passim tradunt Doctores, posse Testamentum reciprocum ab utrovis pro libitu ante mortem revocari, sive unus jam obierit, sive ambo adhuc vivant. Hæc sententia candori Germanorum parum convenire ab aliis judicatur. Nam actus ille est instar reciprocæ conventionis, cum Jure Germanico de hæreditate paciſci liceat. Aut si retineat naturam Testamenti; unum Testamentum respicit alterum velut conditionem: igitur ex communi conditionum natura Conjux, altero mortuo, Testamentum suum servare debet, quia alias conditionem factæ institutionis non impleret.

§. 479. Cum autem libertas mutandi Testamentum sacrosancta sit apud Advocatos litium amantes; nunquam per Testamentum securi reddun-

Et circa illa Cautelæ.

redduntur Conjuges: sed pactis dotalibus sibi consulere debent, modo hæc in vim Contractus sint concepta. Quamdiu autem uterque vivit, si pars una, inscia altera, Testamentum clam revocet, etiam compars suum Testamentum tacite revocasse censetur, quia hoc factum præsumitur sub conditione, quod etiam altera pars Testamentum suum ante mortem non velit revocare. Hodie ejusmodi tacitum pactum de revocando testamento, si altera pars revocet, non videtur inesse Testamento, sed deberet expresse adjici. Alter enim sibi imputare debet, quod Testamentum reciprocum elegerit, nec lege vel conditione expresse adjecta sibi suisque prospexerit, cum scire debuisset, omnes ultimas voluntates obnoxias esse mutationi 25.). Hæc intelligenda sunt de casu, quo constat, Conjuges, vel alios duos habuisse intentionem verum Testamentum

25.) Vid. CARPZOV. p. 3. Const. 2. def. 12. & Const. 7. def. 21. PETRUS PECKIUS de Testam. Conjug. lib. 1. c. 43. & 44.

tum condendi: sæpe enim ejusmodi pacta reciproca fiunt non de tota substantia, sed tantum de parte, ita ut habeantur pro donatione mortis causa, vel etiam pro donatione inter vivos, cujus executio differtur ad mortem. Quid voluerint paciscentes, desumendum est ex verbis & adhibitis solennitatibus.

§. 480. Testamentum statim ab initio nullum est ob inhabilitatem testatoris, ob defectum voluntatis, solennitatis externæ vel internæ. In his casibus datur querela nullitatis intra triginta annos. Testamentum rite conditum resolvitur rursus Ruptione, Irritatione, Destitutione, Rescissione. De rupto, irrito aut destituto datur querela nullitatis: Rescissio fit ad querelam Inofficiosi. *Testamentum vel ab initio est nullum:*

§. 481. I. *Rumpitur* Testamentum, quando ejus jus vitiatur, Adgnatione posthumi, Arrogatione, & Voluntate testatoris mutata, qui tabulas lacerat, nomen hæredis delet, corrumpit: vel aliud Testamentum debito modo conficit. Quamvis autem plura Testamenta simul consistere non possint, cum Testamento tota hæreditas deferatur, nihilominus *Vel resolvitur Ruptione:*

possunt

possunt fieri ejusdem Testamenti plures Codices: hi si sint omnes *Originalia*, quilibet eorum probat: si sint tantum *Exemplaria*, copia non probat, nisi simul Originale producatur. Si testator in posteriori Testamento dicat, se velle, prius etiam valere; sustinetur prius tanquam Fideicommissum, & hæres in posteriori Testamento scriptus detrahit Trebellianicam. Si Testamenti Scriptura vel tota, vel ex parte deleatur, fieri id debet ab ipso Testatore, vel alio ejus nomine, non fortuito, sed studiose. Unde utile est, litis evitandæ causa, ut testator propria manu adscribat, se studio deleviſſe Testamentum, aut quamcunque partem Testamenti.

Irritatione: §. 482. II. *Irritatur* Testamentum, quando vitium afficit *personam* testatoris, qui statum mutat, patiendo capitis diminutionem. Simile quid non contingit per Professionem in Religione; nam Testamentum ante ingressum factum, sortitur suam firmitatem per Professionem 26.).

Ante

26.) An tale Testamentum mox post Professionem executioni dari debeat dictum est supra §. 460.

Ante istam potest Novitius mutare mentem suam, & aliud Testamentum condere, quo rumpatur illud prius ante ingressum conditum.

§. 483. III. *Destituitur* Testamentum, quando vitium infirmans illud, directe afficit hæredem, qui moritur ante testatorem; non implet conditionem; repudiat hæreditatem vel abstinet ab ea; aut tanquam incapax adire nequit. *Destitutione.*

§. 484. IV. *Rescinditur* Testamentum, quando per Judicem infirmatur prævia querela Inofficiosi. Hæc competit Liberis & Descendentibus, uti & Ascendentibus, quando exhæredatio Hæredis necessarii non fit ob causam ingratitudinis in Novella CXV. expressam, vel quando causam exhæredationis in Testamento adscriptam probare nequit hæres institutus: item competit Fratribus Germanis & Consanguineis, quando ipsis præteritis instituitur persona turpis. Querela Inofficiosi institui potest per quinquennium; nec transmittitur ad hæredes, nisi instituta aut præparata jam sit ab eo, cui *Rescissione.*

competit. Reſciſſo per hanc querelam Teſtamento, omnia in eo diſpoſita, præter inſtitutionem hæredis firma manent 27.).

Teſtamenti Publicatio.

§. 485. Si Teſtamentum morte teſtatoris confirmetur, reſerari illud & publicari debet, ut iis, quorum intereſt, conſtet de voluntate defuncti. Secluſa conſuetudine pertinet hoc negotium ad Judicem, præſertim ſi Teſtamentum factum ſit ad Acta, vel de Executore non aliunde conſtet. Nonnunquam fit privata reſeratio mox poſt mortem, ut appareat, quid teſtator diſpoſuerit circa funeralia, aut executionem: ſignantur tamen iterum tabulæ inſpectæ in ſolennem futuram publicationem. Solennis autem aperitio fieri ſolet poſt

27.) Novell. 115. c. 3. & 4. Inter recenſitos modos, quibus Teſtamenta reſolvuntur, nolui movere quæſtionem, quid ſentiendum de Teſtamento, cujus autor poſt mortem rurſus excitatur ad vitam: cui otium eſt, legere poterit Commentationem Juridicam Henrici Verduyn de Teſtamento atque hæreditate Lazari bis mortui, auctam a Tomia Boel.

post celebrata omnia Officia funebria, citatis omnibus interesse habentibus, quibus originale Testamentum exhibetur, & iis, qui desiderant, communicatur copia illius, relicto spatio hæredibus adeundi hæreditatem, & aliis, si velint, impugnandi Testamentum. Per *Publicationem* proprie intelligitur insinuatio solennis Testamenti, a Judice ad Acta reponendi, ut reputetur pro Instrumento publico 28.). Quando in conficiendo Testamento intercedit autoritas Judicis vel Notarii, sine alia solennitate illud fidem publicam meretur. Unde per Publicationem vulgo intelligitur nuda prælectio Testamenti coram iis, quorum interest. Si Testamentum ad Acta Judicis extranei depositum sit, con-

28.) L. 23. C. de Testam. L. 2. C. quemadm. Testam. aperiantur. GOTHOFREDUS ad dict. L. 23. lit. b. refert vetustas formulas hujus insinuationis. S. AUGUSTINUS in Psalm. 21. Enarrat. 2. n. 30. prælectionem Testamenti paterni eleganter applicat ad Codices sacros, qui continent voluntatem Christi pro nobis mortui.

veniens est, ut ab hoc etiam publicetur: originale postea, retentis copiis, mittatur ad Judicem, sub cujus Jurisdictione testator defunctus extitit. Si lis moveatur de valore Testamenti, pertinebit hæc ad Judicem proprium testatoris.

Inventarii confectio.

§. 486. Mox post mortem obserantur Bona defuncti, factaque reseratione conficitur Inventarium, si hæredes velint, vel absentes velle credantur. Si præsumatur, non omnia esse Inventario inserta, defertur hæredi juramentum purgationis, aut aliis de hæreditate expilata suspectis, juramentum manifestationis. Inventario confecto hæres ultra vires hæreditatis non obligatur: conventus opponit exceptionem Inventarii: si vero istud non confecerit, in solidum obligatur Creditoribus, non tamen Legatariis. Plerumque ad hæc opus est interventu Judicis, nisi aliud Statuta locorum disponant.

Circa Testamenta Clericorum.

§. 487. Testamenta Clericorum, obsignatio Bonorum post mortem, & confectio Inventarii decentius pertinent ad Episcopum. In quibusdam Provinciis Obsignatio & Inventarium

circa

circa Bona defuncti Parochi fieri solet cumulative a Deputato Episcopi & Judice sæculari 29.): alibi saltem excludi non possunt Magistratus illi, quibus ob curam ærarii cujusdam ad ratiocinia tenebantur Clerici. In multis Diœcesibus petunt Ordinarii, ut Clerici ante mortem mittant Testamenta sua ad Vicarium Generalem, ibidem confirmanda: si hoc omissum, & Testamentum ad Acta Judicis sæcularis repositum sit, Publicatio fit ab eodem Judice sæculari, qui postea mittit tabulas ad Ordinarium pro confirmatione & executione. Si alicubi prætendatur consuetudo, ut neque hæredibus exhibeatur originale Testamentum, neque iis liceat interesse confectioni Inventarii; tales consuetudines adeo sunt irrationabiles, ut referant speciem arbitrariæ spoliationis.

§. 488. Si apertis & publicatis tabulis aliud non obstet, voluntas ultima Testatoris executioni danda est. Sunt autem Executores vel Testamen- *Pro Executione Testamenti*

29.) Sic observatur in illis Bavariæ Diœcesibus, quæ subjacent Concordatis inter Sereniſſimos Duces & Ordinarios erectis.

mentarii, vel Legitimi, vel Dativi. *Testamentarii* sunt, qui a Testatore nominantur, mares vel fœminæ, Clerici vel Laici, etiam Minorennes, etiam Religiosi cum licentia sui Superioris, exceptis Fratribus Minoribus. Si nullus sit nominatus, ex dispositione Juris Legitimus censetur Executor ipse hæres. In Testamentis piis magna est autoritas Episcopi 30.). *Dativi* sunt, qui casu, quo nominatus in Testamento, vel hæres exequi aut non possit, aut non velit, a Judice aut Magistratu constituuntur. Tenentur autem Executores, quam primum poterunt, exequi ultimam voluntatem, nisi certum tempus ab ipso testatore sit designatum: negligentes monendi ac compellendi sunt a Judice Laico & Ecclesiastico: si intra annum, vel post binas admonitiones intra sex menses non obsequantur, perdunt omne id, quod ipsis ex Testamento competeret 31.). Regulariter autem ultimam

30.) Novell. 131. c. 10. 11. item C. 17. X de Testam.

31.) Auth. hoc amplius. C. de Fideicommiss. Novell. 131, c. 11.

mam defuncti voluntatem ad certas pias causas, nemo præter summum Pontificem in alium pium usum commutare potest 32.): Pontifex autem negotium plerumque committit Episcopis: hi juxta Concilium Tridentinum 33.) *tanquam Delegati Sedis Apostolicæ summarie & extrajudicialiter cognoscant, nihil in precibus tacita veritate, vel suggesta falsitate fuisse narratum, priusquam commutationes executioni demandentur.* Eadem Synodus 34.) facultatem dat Episcopis, & Ordinum Generalibus restringendi numerum Missarum in certis circumstantiis: sed neque istud hodie deberet fieri inconsulto Romano Pontifice, post Decretum Urbani VIII. Anno 1625. editum 35.). Circa Commutationes autem eadem est ratio novæ dispositionis, & antiquæ fundationis piæ.

32.) C. 4. XIII. q. 2. C. 3. de Testam. Clement. quia contingit. de Relig. domib.
33.) Sess. 22. de Reform. c. 6.
34.) Sess. 25. de Reform. c. 4.
35.) Bullar. Cherub. tom. 4. Const. 43.

Traduntur quædam Regulæ.

§. 489. Pro implenda voluntate defuncti circa inſtitutionem hæredis, notari merentur ſequentes doctrinæ. Si unus tantum eſt inſtitutus hæres, ſive in re certa, ſive ſimpliciter absque determinatione portionis, iſte in tota hæreditate ſuccedet (§. 475.). Si præter illum, qui in re certa eſt inſtitutus, alius in certa portione, vel ſimpliciter absque determinatione portionis hæres nominetur, hic univerſam hæreditatem capiet, prior autem in certa re inſtitutus habetur pro Legatario. Si plures uniformiter inſtituantur, inter omnes hæreditas æqualiter dividitur. Si omnes ex certa re fuerint inſtituti, cuilibet res ſua tanquam prælegata adjudicatur, & reliquum ex æquo dividitur. Si teſtator ſingulis hæredibus certas portiones aſſignaverit, tot unciæ aſſem

---

De Commutationibus *ultimarum* voluntatum integrum *tomum* edidit JOANNES PETRUS MONETA. De Commutatione ultimæ voluntatis, qua teſtator reliquit ſtipendium ſtudenti in determinata Academia, videri poteſt Card. PETRA ad Conſt. Pontif. tom. 3. ad Conſt. II. Clementis V. fol. 569. ſeqq.

assem efficiunt, quot testator voluerit, E. G. si tres ex quadrantibus instituerit, hæreditas in tres partes dividitur. Si uni dederit quadrantem, alteri quincuncem, tertio septuncem, hæreditas dividitur commodissime in quindecim partes. Regulariter partium denominatio intelligitur in relatione ad numerum duodenarium. Si testator aliquos ex certis partibus, numerum duodenarium excedentibus, alios simpliciter instituat, tunc hæreditas dividenda erit sub ratione dupondii, vel tripondii. E. G. unus est institutus ex besse, alter ex quadrante, tertius ex sextante, quartus simpliciter, hæreditas sub ratione dupondii dividitur in viginti quatuor uncias, ex quibus unus capit octo, alter tres, tertius duas uncias, quartus denique id, quod deest dupondio, scilicet undecim uncias. Si ita scriptum sit: *si filius mihi natus fuerit, ex besse hæres esto: ex reliqua parte uxor mea hæres esto: si vero filia mihi nata fuerit, ex triente hæres esto: ex reliqua parte uxor hæres esto*: & filius & filia nati essent; dicendum est, assem distribuendum esse in septem partes,

ut ex his filius quatuor, uxor duas, filia unam partem habeat: ita enim ſecundum voluntatem teſtantis, filius altero tanto amplius habebit, quam uxor: item uxor altero tanto amplius quam filia 36.). Obvia cuivis eſt hæc deciſio ex ſimplici proportione 2. ad 1. Similiter ex ejusdem Legis analogia de aliis proportionum numeris concludendum eſt. E. G. ſi natus fuerit filius, huic obveniunt 5. Matri quatuor partes: ſi nata filia, huic debentur 7. Matri novem partes. Si naſcantur ambo, filio debebuntur 5. Matri 4. filiæ $3\frac{1}{9}$. Si fractos numeros horreat teſtamenti Executor, totam hæreditatem ita dividet, ut quoties repererit nummos 109. ex iis filio tribuat 45. Matri

36.) Ita deciditur L. 13. ff. de Liber. & poſthum. ubi additur, *licet attenta ſubtilitate juris conveniret, ruptum fieri teſtamentum; attamen cum ex utroque nato teſtator voluerit uxorem aliquid habere, ideo ad ejusmodi ſententiam, humanitate ſuggerente, decurſum eſſe.* Vid. MANTICA de conject. ult. volunt. lib. 11. tit. 15. n. 5. ſeq. BRUNNEMAN ad dict. Leg. 13.

tri 36. filiæ 28. Hac ratione servabitur proportio in Legibus laudata & a Testatore intenta 37.).

§. 490. Ex hucusque dictis facile liquet, ratione Testamentorum varia dari jura & obligationes: unde etiam quotidianæ oriri solent lites, ita ut Testamenta non immerito vocentur seminaria litium & controversiarum. Pro his vel evitandis, vel componendis multa sunt remedia comparata, ex quibus unum alterumve, cujus frequentior est usus, breviter insinuamus. Quamvis optandum sit, ut lites amicabili transactione finiantur, id tamen Leges statuunt, nullam & irritam esse transactionem in controversia circa res testamento relictas orta, nisi prius verba testamenti inspiciantur 38.). Si transactio frustra tentetur, judiciale

In Judicio agitur Hæreditatis Possessio. ne:

37.) Sicut se habent 5. ad 4. sic 45. ad 36. item sicut 9. ad 7. ita 36. ad 28. Ita procedendum in aliis similibus dispositionibus, quando juxta vulgatam regulam sub simplicibus continetur mixtum, de qua TIRAQUELLUS de Legib. Connub. gloss. 5. n. 76.

38.) L. 3. 6. 12. ff. de Transaction.

le remedium est I. *Hæreditatis possessio*, si hæc ab alio, qui pro hærede, vel pro possessore detinet, forsan prærepta est. Confugiendum in hoc casu ad *Interdictum quorum bonorum*, quod quidem est remedium Prætorium, sed etiam hæredi civili competit, qui scilicet urgentem successionis præsumptionem pro se habet, & hæres præsumptivus vocatur 39.). Si possessor neget hanc qualitatem, ex qua ducitur præsumptio, ea summarie probanda est, rejectis exceptionibus altiorem indaginem requirentibus. Pro fundamento allegandum est, se bonorum possessionem agnovisse 40.).

§. 491.

39.) Verba Prætoris in L. 1. ff. *Quorum* bonorum. sunt hæc: *Quorum bonorum ex Edicto meo illi possessio data est, quod de his bonis pro hærede aut pro possessore possides, possidereve, si nihil usucaptum esset: quod quidem dolo malo fecisti, uti desineres possidere: id illi restituas.* Add. §. 3. Inst. de Interdict. & Tit. Cod. quorum bonorum. Differentia hujus Interdicti & Hæreditatis Petitionis datur a MENOCHIO de adipisc. possess. remed. 1. n. 2. seqq.

40.) Ex quibus conjecturis videatur quis bono-

§. 491. II. Hæredi testamentario datur Remedium ex L. ult. C. de Edicto D. Adriani tollendo, ubi sancit Imperator Justinianus, si quis competenti Judici testamentum ostenderit non cancellatum, neque abolitum, neque ex quacunque suæ formæ parte vitiatum, sed quod in prima figura sine omni vituperatione appareat, & legitimo testium numero vallatum sit: mittatur quidem in possessionem earum rerum, quæ testatoris mortis tempore fuerunt, non autem legitimo modo ab alio detinentur. Sin autem aliquis contradictor extiterit, tunc in judicio competenti, causæ in possessionem missionis & subsecutæ contradictionis ventilentur, & ei possessio acquiratur, qui potiora ex legitimis modis jura ostenderit. Applicatur hoc remedium etiam ad Testamentum nuncupativum. Exceptiones sunt Vitiorum visibilium, vel in continenti probandorum: item nondum publicati Testamenti. *Ex L. ult. C. de Edict. &c:*

§. 492.

---

bonorum possessionem agnovisse, tradit Franc. Mantica de Conject. ult. volunt. lib. 12. tit. 15.

Ventris nomine: §. 492. III. Si vidua sit præguans, & in utero eum gerat, qui defuncto succedere potest, debet mater *Ventris nomine* petere missionem in possessionem.

Hæreditatis Petitione: §. 493. IV. Si quis in possessionem hæreditatis missus est, alteri competit *Hæreditatis petitio* ad id, ut Actor declaretur hæres; & possessor, qui vel universam hæreditatem, vel partem hæreditatis pro hærede vel possessore possidet, vel dolo possidere desiit, ejusve hæres ad hæreditatem cum omni causa, accessionibus & fructibus pro qualitate possessionis restituendam condemnetur. *Utilis* hæreditatis petitio datur emptori hæreditatis, vel cui ab hærede hæreditas alio titulo cessa est.

Querela Inofficiosi: §. 494. V. *Querela Inofficiosi* contra Testamentum, quod recte quidem, sed non ex officio pietatis factum est, injuste exhæredatis, vel præteritis datur in subsidium, si aliud remedium desit. Iteratam mentionem hujus remedii supra fecimus. Quodsi Liberi non exhæredati, sed instituti quidem, in Legitima tamen læsi sint, datur illis Condictio ad

sup-

supplementum Legitimæ 41.), per quam non rescinditur Testamentum, sed conservatur: datur autem solummodo contra cohæredem, per quem in Legitima læsi sunt.

Bonorum Possessione:

§. 495. VI. Cum Prætor circa successiones æquitatis obtentu multa constituisset, edixit etiam, se non hæreditatem, sed Bonorum possessionem daturum, ne Leges de successione evertere videretur. Est igitur *Bonorum possessio* jus persequendi, retinendique patrimonii, quod jure Civili haud debetur, beneficio Prætoris concessum. Eundem effectum habet cum Hæreditatis petitione. Ex Edicto Carboniano datur Bonorum possessio impuberi, cui controversia movetur, an inter Liberos sit, simulque judicium hoc differtur in tempus pubertatis. Datur Bonorum possessio non solum *contra tabulas*, sed etiam *secundum tabulas* & *ab intestato* 42.).

§. 496.

41.) L. 30. & 36. C. de Inoffic. testam.
42.) Vid. Instit. de Bonorum Possessionibus. & Commentatores ibid.

Expilatæ Hæreditatis.

§. 496. VII. Huc etiam pertinet Judicium seu Actio *expilatæ hæreditatis.* Furtum quidem rei hæreditariæ fieri non dicitur 43.) ante aditam hæreditatem, vel captam possessionem 44.), quia tales res vel dominum, vel possessorem non habent: nihilominus expilatores jacentis hæreditatis vocantur *atrociores fures* 45.), & incurrunt infamiam. Non datur hæc actio contra Cohæredem, nec contra maritum aut uxorem defuncti, sicut contra hanc nec furti actio locum habet 46); ob reverentiam enim matrimonii contra eam solummodo rerum amotarum agitur, quæ actio non inurit infamiam. Cohæres autem, si quid ex hæreditate sibi applicavit, actione Familiæ Erciscundæ convenitur 47.).

§. 497.

43.) L. 68. ff. de Furt.
44.) L. 2. ff. Expil. hæred.
45.) L. 1. §. 1. ff. de Effractor.
46.) L. 5. ff. Expil. hæred.
47.) L. 3. C. Famil. ercisc. Vid. VERLOHNER de Actionibus forens. [illegible] 669. seqq. & Commentatores in allegatos titulos.

§. 497. Hæ actiones proponendæ sunt coram competente Judice. Si agitur de valore, vel vera interpretatione Testamenti, cognitio pertinet ad Judicem testantis proprium; hujus enim est judicare de actibus sui subditi. Cum autem variæ sint consuetudines diversorum locorum, Legibus communibus adversæ, dubium movetur, ad quas Leges respicere debeat Judex, si subditus Testamentum condidit & mortuus est extra domicilium suum in alio loco, in quo vigent consuetudines testamentariæ, vel Statuta Legibus Patriæ opposita? Discrimen faciendum, an ista municipalia Statuta respiciant formam externam, & solennitates Testamenti, an vero habilitatem aut inhabilitatem testantis vel hæredis; an demum Bona, circa quæ versatur dispositio testamentaria. Circa habilitatem aut inhabilitatem testantis, respiciunrur Consuetudines & Leges Patriæ: nam persona ubique est uniformis; nec potest Legislator disponere, aut consuetudo extendi in personam sibi non subjectam. Hinc si in quadam regione ad validum

In quo foro hæ Actiones instituendæ?

dum teſtamentum requiritur annus decimus octavus ætatis; teſtamentum adoleſcentis, habentis in tali regione domicilium, qui numerat ſolum annos ſexdecim, nullum erit, ſi alibi teſtetur, ubi ſufficiunt anni ſexdecim. Simili ratione, ſi diſpoſitum in teſtamento aliquid ſit circa Bona alibi ſita, attenduntur Leges loci, ubi Bona ſunt ſita. E. G. Si Statuta Municipalia contra Leges communes velint, ut Conjuges, etiam extantibus Agnatis, ſibi in aliqua parte Bonorum ſuccedant; ſi filiofamilias concedant poteſtatem de omnibus Bonis undecunque quæſitis teſtandi &c. ejusmodi Statuta non extenduntur ad Bona extra territorium ſtatuentis ſita 48.).

Conſuetudo loci poteſt obſervari

§. 498. Si vero diverſitas Statutorum aut Conſuetudinum verſetur circa formam externam & ſolennitatem Teſtamentorum, convenienter tene-

48.) In ejusmodi caſibus limitatur regula ſupra §. 475. tradita, quod nemo partim teſtatus, partim inteſtatus poſſit decedere. MYNSINGERUS Cent. 5. obſerv. 19. GAIL lib. 2. obſerv. 124.

teneri potest, quod Judicium de valore Testamenti ferri debeat juxta consuetudinem loci, ubi factum est Testamentum, etiamsi testator tanquam peregrinus, forte in transitu ibi sit mortuus. Communis enim Doctorum opinio & persuasio est, quod universim actus reguletur juxta consuetudinem loci, in quo negotium gestum est: testamentum enim, quod in illo loco validum esse censetur, validum quoque censeri debet alibi 49.). Supposita hac doctrina Judex loci, in quo peregrinus Testamentum condidit, non quidem se ingerit in lites circa tale Testamentum emergentes, sed tamen publicum tradit attestatum de legitima loci consuetudine, juxta quam Te-

49.) Allegari pro hac doctrina solet L. 6. ff. de Evictionib. L. 34. ff. de R. J. L. 2. C. quemadm. testam. aper. L. 1. C. de Emancipat. sed FACHINÆUS Controv. Jur. lib. 5. c. 90. conatur ostendere, has & similes Leges non sufficienter probare intentum, nisi peregrinus subeundo onera Civitatis, mereatur etiam gaudere beneficiis & commodis ejusdem.

ſtamentum factum ſit: & huic attéſtationi merito conformat ſuam ſententiam Judex, apud quem inſtituitur actio de nullitate Teſtamenti ex defectu ſolennitatum. Alias ſequeretur, quod ſi quis haberet Bona in diverſis territoriis diſperſa, in quibus etiam diverſa eſſent circa Teſtamenti ſolennitates Statuta; in his circumſtantiis deberet Teſtamenta plura & diverſa pro diverſitate ejusmodi locorum erigere, quia quilibet Judex poſſet exigere Teſtamentum juxta conſuetudines territorii ſui ordinatum: cum tamen Teſtamentum ex ſua natura ſit aliquid univerſale, & diſpoſitio ſuper tota familia, ac patrimonio, conſequenter debeat ubique æqualiter valere: neque enim eadem res diverſo jure cenſeri debet 50.). Dein cum actus voluntariæ Jurisdictionis, qualis eſt Teſtamenti confectio, ubique expediri poſſint; ipſa ratio poſtulat, ut etiam a peregrinis fiant ſecundum Statuta loci, ubi peraguntur: & hinc quoad hos actus Statuta particularia

50.) L. 23. ff. de Uſurpat. & uſucap.

ria se etiam extendunt ad forenses, ut possint se illis conformare.

§. 499. Facile admitto, Advenam non gaudere privilegiis loci, per quem transit, quia etiam non subit onera talis loci 51.), præsertim si privilegium ad compensanda certa onera & incommoda concessum sit: nos autem loquimur de Statuto vel Consuetudine, quæ sine ullo respectu ad certa onera introducitur. Talia enim Statuta facta censentur, non in favorem personarum, sed intuitu territorii, in quo vigent: adeoque etiam omnes iisdem se conformare possunt, qui in tali territorio morantur, ad vitandam omnem confusionem, ex diverso modo testandi in tali loco orituram, si singuli Advenæ juxta consuetudines patriæ suæ testari deberent 52.). Advenæ igitur quoad solennitates Testamenti se possunt, non autem tenentur ac-

Quoad solennitates externas Testamenti.

51.) C. 74. de R. J. in 6.

52.) Ita tenent Bartolus & Baldus ad L. cunctos populos. 1. C. de Summa Trinit. Mynsingerus Cent. 5. obs. 20. Gail lib. 2. observ. 123. Baro Schmid Semicent. 1. Controv. 38.

commodare Statutis loci: hinc si in patria vigeat consuetudo adhibendi pauciores solennitates; in loco autem commorationis, ubi fit Testamentum, serventur Leges communes: Testamentum juxta consuetudinem Patriæ conditum, etiam in Patria valebit 53.).

Forum reliquarum Actionum.

§. 500. Stabilito valore Testamenti, alias actiones ex eo surgentes introducet Hæres in foro competente testatoris, qualis est Hæreditatis petitio, Remedium ex L. ult. C. de Edict. D. Adr. toll. Querela inofficiosi,

53.) Aliter loquendum de aliis contractibus, initis extra patriam in loco, ubi majores solennitates, quam in patria, exiguntur: præsertim si ineantur cum cive hujus loci: nam Magistratus merito requirit, ut cives sui observent leges hujus loci, etiamsi contrahant cum extero, in cujus patria aliæ vigent consuetudines. Alia est ratio testamenti, in quo cum nemine contrahitur, & nulli fit præjudicium, si alienigena servet minores solennitates patriæ suæ, cum testamenti factio sit actus Jurisdictionis voluntariæ, consequenter poterit testator se conformare consuetudini loci, non tamen tenetur.

cioſi, Condictio ad ſupplementum Legitimæ &c. Quæ autem ſpectant Poſſeſſionem hæreditatis, Interdictum quorum bonorum, Actionem expilatæ hæreditatis &c opus maxime habent autoritate Judicis, in cujus territorio Bona ſunt ſita. Si quis vero hæredem convenire velit ratione obligationis per teſtatorem contractæ, juxta regulam communem, *Hæres abſens ibi defendendus eſt, ubi defunctus debuit, & conveniendus, ſi ibi inveniatur, nulloque ſuo proprio privilegio excuſatur* 54.), quia hæres & defunctus cenſentur eſſe eadem perſona.

§. 501. Quæ hucusque diximus, ad privatos præcipue pertinent. Dubium movetur, an etiam de Principum Teſtamentis juxta Leges communes judicandum ſit? Multi docent, Principes Germaniæ, Jurisdictione Territoriali gaudentes, ad ſolennitates jure communi requiſitas non teneri: cum enim ex po- *Teſtamenta Principum*

54.) L. 19. pr. ff. de Judiciis. Ad quam Legem copioſum Commentarium ſcripſit PETRUS BARBOSA de Judiciis.

testate Legislativa possint subditos suos in Germania eximere ab iis observandis; & aliorum Testamentis sibi oblatis absque ulla alia solennitate autoritatem ac fidem publicam præstare: multo magis ad fidem & efficaciam proprio Testamento conciliandam, opus non habebunt extrinsecis solennitatibus. Istud nonnulli pertinere putant ad servandam dignitatem Principum, non tantum eorum, qui summa potestate Provinciis in Germania præsunt, sed etiam Conjugum, Filiorum, Fratrum, aut Agnatorum utriusque sexus, ex familia Principis descendentium 55.).

Pro majore securitate

§. 502. Bene advertendum, non agi hoc loco de Autoritate Principum, quæ haud dubie omnem venerationem & summam fidem meretur; sed quæstionem esse de fide adhibenda scripturæ illi, in qua Principis defuncti ultima voluntas contineri dicitur. Solennitates Testamentorum inventæ sunt, non ob modicam

55.) Inter hos sunt Apanagiati, vulgo die abgefundene Herrren.

cam autoritatem testatorum; sed ad evitandas omnes fraudes, & ut voluntas testatoris certius impleatur. Si igitur hæ requiruntur in Testamentis privatorum, ubi plerumque levia continentur negotia, multo magis omnimoda certitudo de Voluntate Principis defuncti requiritur, quæ circa summi momenti negotia versari solet; hæc autem certitudo, nisi illi ipsi, de quorum præjudicio fors agitur, voluntatem morientis percepisse noscantur, haberi censetur per receptas in Imperio solennitates. An credimus, subdolas artes non æque in Aulis Principum, ac in ædibus privatorum timendas esse? Recentia possent adduci exempla, quæ Principum ultimas voluntates periculosis machinationibus expositas docent. Dein controversia ex Testamento Principis orta, subjicitur Decisioni Cameræ Imperialis: hæc autem judicium suum conformat Legibus communibus Juris Civilis 56.).

56.) Observantiam tum Tribunalium, tum Principum testantur Rosenthal de Feudis C. 12. concl. 10. n. 18. Klockius tom. 3. consil. 102. n. 97.

Requirunt aliquas solennitates.

§. 503. Id facile permitti potest, Testamenta Principum non esse scrupulose dijudicanda circa omnes Juris Civilis subtilitates, modo de eorum seria voluntate juxta Leges in Germania receptas sufficienter constet, nihilque ibi contineatur, pactis Familiæ, Juribus Feudalibus, aut Successionibus per Constitutiones Imperii stabilitis adversum. Quoad formam autem extrinsecam multi putant, in defectu aliarum solennitatum saltem requiri, ut Princeps Testamentum suum condat coram Consiliariis suis, & ad Acta Cancellariæ suæ reponi jubeat 57.).

§. 504.

57.) Fuse & erudite hæc deducta legi possunt apud D. Joan. Frid. Wilh. de Neumann tom. 5. de Hæredit. & Successions. Principum. sect. 4. §. 637. seqq. Mylerum ab Ehrenbach de Princip. & Statib. Imper. part. 1. c. 26. Hulderic. de Eyben de testam. Princ. vel Com. Imp. Moser Teutsches Staats-Recht tom. 24. & 25. Utrumque Bergerum, Patrem & Filium, illum Oeconom. Jur. istum in Animadvers. ad Coccey Jur. publ. prud. c. 29. Vitriarium Inst. Jur. publ. lib. 3. c. 20.

§. 504. Autores de Testamentis scribentes sunt innumeri. Præter eos, qui Commentaria in omnes Juris Canonici aut Civilis libros scripserunt, aut singularibus Dissertationibus quasdam difficultates illustrarunt: præcipuam mentionem merentur, qui totam hanc materiam justis Voluminibus complexi sunt, FERNANDUS VASQUIUS de Successionibus & ultimis Voluntatibus. DIDACUS SPINO speculum Testamentorum. FRANC. DE BARRY de Successionibus Testati ac Intestati. FRANC. MANTICA de Conjecturis ultimarum Voluntatum. CASPARUS MANZIUS de Testamento valido vel invalido. PETRUS PECKIUS de Testamentis Conjugum. SAMUEL STRYCKIUS de Cautelis Testamentorum. *Scriptores.*

TITU-

---

c. 20. §. 3. & seqq. ibique PFEFFINGERUM, ubi referuntur rationes & Autores in utramque partem.

TITULUS XIX.
DE ALIIS ULTIMARUM VOLUNTATUM SPECIEBUS.

§. 505.

Ultimarum Voluntatum species.

PRÆTER Testamentum ultima voluntas declaratur per Codicillos, Substitutionem, Fideicommissum, Legatum & mortis causa Donationem. Pauciores in his exiguntur solennitates, regulariter quinque testes simul præsentes, nisi dispositio fiat ad Causas pias, quæ absque aliis solennitatibus requirit solummodo probationem sufficientem.

Codicillus definitur:

§. 506. *Codicillus* est ultima voluntas minus solennis, absque directa hæredis institutione. Requiruntur quinque testes, sive masculi, sive fæminæ; sive rogati, sive fortuito, simul tamen præsentes, & subscribentes in Codicillo scripto (58.). Quo casu ad Testamentum minor numerus

58.) L. fin. §. 3. C. de Codicill.

rus testium requiritur, eo casu etiam Codicilli coram testibus paucioribus conditi subsistunt, quales sunt Codicilli Rusticorum. Quo casu vero ad Testamentum requiruntur octo testes, eo casu ad Codicillum requiruntur sex: Codicillus tamen cæci requirit octo testes 59.).

§. 507. Est Codicillus vel scriptus, vel nuncupativus: cum - vel sine testamento. Si adjicitur testamento, servit ad aliquid in eo explicandum, mutandum, addendum &c. Si fiat absque testamento, designantur aliqua præstanda ab eo, qui hæres erit ab intestato. Si autem in tali Codicillo nominetur hæres, censetur *Dividitur.*

59.) L. 8. C. qui testam. fac. poss. Octo testes in Codicillo cæci videtur etiam exigere MAXIMILIANUS I. in supra cit. Constitutione de Notariis Cap. de Testamentis §. 11. Aliqui hæc intelligunt proportionaliter, scilicet ut in testamento cæci, ita in ejusdem Codicillo requiri testis unius additionem: non autem deberet recedi a tutiore & magis recepta sententia, quæ octo requirit testes. Vid. BRUNNEMAN in cit. Leg. 8.

ſetur hic inſtitutus indirecte, & per ſubſtitutionem indirectam. Si teſtator ſcribat, *quem hæredem Codicillis fecero, hæres eſto*, Titius in Codicillo ſcriptus, hæres erit 60.). Licet enim Codicillis dari hæreditas non poſſit; tamen hæc ex teſtamento data videtur. Acriter quidem litigant nonnulli, an non ſaltem pro tali caſu Codicillis directe dari vel adimi poſſit hæreditas: ſed videtur tota lis verſari circa phraſin loquendi: clara enim ſunt Legum verba, quod ejusmodi Codicilli cenſeantur eſſe pars teſtamenti; conſequenter ſive dicatur hæres dari per Codicillos, ad quos ſe refert teſtamentum; an vero dicatur in tali caſu hæres dari in teſtamento, quod ſe ad Codicillos tanquam partem refert; omnes iſtæ phraſes in idem recidunt. Quo modo autem dari poteſt hæreditas per Codicillos, ad quos ſe refert teſtamentum; eodem modo poteſt etiam adimi.

§. 508.

60.) L. 77. ff. de hæred. inſtit. L. 10. ff. de Condit. inſtit.

§. 508. Testamentum ratione solennitatis deficiens, valebit in vim Codicilli, si adjecta sit clausula Codicillaris, qua testator vel expresse, vel tacite declaret, se velle, ut si testamentum suum non valeret in vim testamenti, valeat saltem in vim Codicilli; aut ut valeat modo, quo potest meliori. Censent multi & graves Autores, clausulam Codicillarem in quovis testamento tacite subintelligi, licet nulla ejus mentio facta sit, modo solennitates ad Codicillum requisitæ appareant 61.), quia volens testari, non renuntiat suo juri faciendi Codicillos: censetur igitur velle, ut scriptura sua saltem habeat vim Codicilli. Alii autem communius sentiunt, hanc clausulam regulariter non subintelligi, nisi aliquo modo fuerit expressa 62.); *Clausula Codicillaris quid,*

præ-

61.) D. Franc. Alef hanc opinionem singulari Dissertatione propugnat, cui titulum inscribit, *De Otio Clausulæ Codicillaris in quovis testamento.*

62.) Vid. Mantica de Conject. ult. volunt. lib. 1. tit. 9. Barry de Successione, lib. 10. tit. 16. n. 19. seqq. Samuel Stryckius tom. 1. Disp. 18. de Clausula Codicillari.

præsertim si testamentum ab ipso testatore sit scriptum: si enim appareat, quod voluerit testamentum facere; diversa voluntas codicillandi est quid facti, nec præsumitur, nisi exprimatur, cum facile potuisset exprimi. Major ratio pro valore Codicilli posset esse, si testamentum scriptum sit a Notario: hic enim censetur rogatus testamentum scribere modo consueto: consuetudo autem est, ut apponatur Clausula Codicillaris. Nihilominus vix sustinebitur hæc doctrina in principiis illorum Doctorum, qui circa valorem testamentorum quoad alios effectus non attendunt ad mentem testatoris, nullo modo, licet ex culpa Notarii, expressam; sed secundum externam verborum formam etiam quoad forum internum judicant. *Id plerumque* tradunt, quod in testamentis ad pias causas, & parentum inter liberos hæc clausula præsumatur 63.).

In

63.) Arg. L. 38. ff. de Fideicommiss. libert. In ejusmodi Testamentis privilegiatis otiosa videtur hæc clausula, si defectus solummodo versetur circa solennitates externas, cum etiam sine his testamenta privilegiata subsistant.

In aliis etiam testamentis expresse adjecta, proprie loquendo non sanat vitium testamenti, sed reducit testamentum ad causam intestati, rogando hæredem ab intestato, ut voluntatem testatoris impleat.

§. 509. Nihil autem operatur hæc clausula, si desit aptitudo testantis (64.); si voluntas non sufficienter de-

Et quan-do ope-retur?

64.) *Codicillos is demum facere potest, qui & testamentum facere potest.* L. 6. §. 3. ff. de Jure Codicill. *Codicilli toties valent, quoties quis testamentum quoque facere possit.* L. 8. §. 2. ibid. Restringunt id aliqui, si inhabilitas testandi proveniat ex Legibus communibus: secus si ex particulari statuto, aut consuetudine loci. Nam statuta juris communis derogatoria, sunt strictæ interpretationis, ac consequenter non nisi in sensu, quem verba statuti proprie important, accipienda sunt: sub propria autem & stricta testamenti appellatione, non continetur Codicillus. Unde inferunt, statutum, quo ad faciendum testamentum requiritur ætas octodecim annorum, se solo non obstare, quo minus adolescens sexdecim annorum possit facere Codicillum. HARPPRECHT ad Inst. lib. 2. tit. 25. de Codicill. princ. n. 39. seqq.

claretur; si solennitas Codicillaris deficiat; si adsit incapacitas in illo, cujus intuitu aliquid disponitur. Juxta aliquos solummodo operatur hæc clausula, quando testamentum solennibus testamentariis, & forma externa destituatur: juxta alios autem habet etiam suum effectum, quando testamentum ex defectu formæ internæ nullum est, aut rumpitur, aut est inofficiosum: licet enim prima Codicillorum intentio ad defectuum externorum emendationem pertinuisse videatur: attamen extensio, quam Interpretes faciunt, nec rationi contraria est, nec a Legibus civilibus recentioribus abire videtur. Id tamen adverto, nimiam hodie esse multorum confidentiam in hac Clausula Codicillari, qui absque consilio peritorum testamenta sua inepte scribunt, seque hujus clausulæ protestatione tutos credunt exemplo Lucii Titii, qui ultimam voluntatem suam his verbis concepit: *Lucius Titius hoc meum testamentum scripsi sine ullo Jurisperito, rationem animi mei potius secutus, quam nimiam & miseram diligentiam: & si minus aliquid legitime, minusve perite fecero, pro jure*

legi-

legitimo haberi debet hominis sani voluntas 65.). Merito autem timendum est, ne in ejusmodi tabulis temere scriptis etiam negligantur ea, quæ ad Codicillum vel Fideicommissum requiruntur; sicque tota defuncti voluntas evertatur.

§. 510. Substitutio est unius in locum alterius in ultima voluntate vocatio. Dividitur in Directam, & Indirectam seu obliquam. *Directa* est, quando substitutus consequitur hæreditatem vel Legatum immediate ab ipso testatore sine alterius instituti *Substitutio*

65.) L. 88. §. fin. ff. de Legat. 2. Similem fere testamenti formulam observavit Martinus Lutherus, ratus, majorem esse suæ personæ autoritatem, quam cujusvis Notarii; omnemque fidem sibi adhibendam in re levis momenti, postquam Deus sibi credidisset Evangelium Filii sui, non obstante anathemate Papæ, ira Cæsaris, Regum, Principum, Clericorum & omnium dæmonum, quæ consuetæ sunt phrases Lutheri, uti in vita priore, ita & in ultima voluntate. Integrum testamentum SAMUEL STRYCKIUS annectit Tractatui de Cautelis Testamentorum, in Appendice N. 13.

tuti ministerio, dicendo: Titius sit hæres meus, qui si hæres non erit, hæres mihi sit Cajus: aut brevius, Titium hæredem instituo, cui substituo Cajum. *Indirecta* est, qua quis hæreditatem non immediate ab ipso testatore, sed mediante alio instituto consequitur. E. G. Titium hæredem instituo, voloque, aut rogo, ut hæreditatem Cajo restituat. Qui rogatur hæreditatem relinquere, vocatur hæres *fiduciarius*; ille cui est restituenda, vocatur *Fideicommissarius*. Ad valorem hujus Fideicommissi extra testamentum requiruntur quinque testes, nisi ipsemet hæres fateatur voluntatem defuncti 66.).

Directa;

§. 511. *Substitutio directa* dividitur in *Vulgarem*, qua quilibet quemlibet in locum alterius vocare potest. Hæc exspirat, quando hæres primo institutus adit hæreditatem: hoc non adeunte, defertur hæreditas ad substitutum in ea parte, & cum ea conditione, qua delata fuisset instituto. In *Pupillarem*, qua pater filio impuberi

66.) L. ult. C. de Fideicommiss. §. ult. Inst. de Fideicommiss. hæred.

beri in patria potestate constituto hæredem substituit in casum, quo filius erit hæres, & impubes moriatur. In *Exemplarem*, seu ad exemplum substitutionis pupillaris, quando parentes, pater aut mater, aut Ascendentes Liberis mente captis, vel testari a lege prohibitis substituunt alium hæredem in eventum, quo in tali statu morerentur. In *Reciprocam* seu Breviloquam, qua testator plures hæredes sibi invicem substituit. In *Compendiosam*, quæ plures substitutiones pro diversis temporum circumstantiis continet; si filio substituitur Cajus, quocunque tempore filius obierit. Hæc enim erit vulgaris, si filius ante patrem obierit; pupillaris, si decedat in ætate pupillari; exemplaris, si moriatur in amentia. Hæc vocatur quoque *privilegiata*, si fiat a milite, etiam extra testamentum.

Nominatim Pupillaris:

§. 512. Mater quæ filium in potestate non habet, non potest substituere pupillariter, substituit tamen vulgariter & fideicommissarie filio impuberi, intuitu humanitatis, quo eidem conceditur substitutio

exemplaris 67.). Dein Matris aut alterius extranei ſubſtitutio pupillaris ſuſtinetur propter clauſulam Codicillarem in vim Fideicommiſſi: cenſetur enim rogare filium, ut ſi intra annos impubertatis deceſſerit, hæreditatem reſtituat alteri: quo caſu pupillo ſalva manet Legitima & Trebellianica, quam in ſuos hæredes ab inteſtato transmittit. Extinguitur pupillaris Subſtitutio I. Pubertate. II. Mortuo filio ante patrem, quo caſu ſubſtitutus conſequitur hæreditatem vi tacitæ vulgaris in pupillari comprehenſæ. III. Si filius exierit e patria poteſtate. IV. Mortuo ante ſtitutum ſubſtituto 68.).

§. 513.

67.) L. 9. C. de Impub. & aliis ſubſtitut.

68.) Subſtitutionis pupillaris memorabile exemplum habetur in L. 8. §. 5. ff. de Inoffic. teſtam. & in C. 1. de Teſtament. in 6. Scilicet Pater ſubſtituit pupillariter: moritur filius in pupillari ætate, matre adhuc ſuperſtite: Juris-Conſultus in cit. Lege matri negat querelam Inofficioſi: Pontifex inſuper eidem negat Legitimam, & Trebellianicam; quia cenſetur eſſe teſta-

men-

§. 513. *Substitutio indirecta* seu fideicommissaria, quando tota hæreditas, vel certa quota est restituenda, dicitur *Fideicommissum universale*: quando solum res certa, dicitur *Fideicommissum particulare.* Si integra Familia substituitur successive, vocatur Familiare seu Gentilitium; & erigitur vel *Primogenitura*, vel *Majoratus.* Substitutio indirecta exspirat, si hæres institutus non adeat hæreditatem: potest tamen substitutus ad id cogere institutum 69.). Hæredes directi seu fiduciarii deducunt Trebellianicam, non autem fideicommissarii, qui rursus aliis relinquere debent hæreditatem. *Trebellianica* est quarta pars omnium bonorum, debita hæredi instituto, qui nimium gravatus est fideicommisso universali, ac tam excessivo, ut ipsi non remaneret quarta pars bonorum *Indirecta.*

mentum mariti, qui uxori non debet Legitimam; & substitutio censetur esse directa: consequenter nec Trebellianica prætendi potest. Pontificis decisio non placet BRUNNEMANNO in cit. L. 8. 69.) §. 7. Inst. de Fideicommiss. hæredit.

tempore reſtitutionis faciendæ repertorum 70.).

Legatum §. 514. *Fideicommiſſum particulare* hodie non differt a Legato. Eſt autem *Legatum* donatio quædam a defuncto relicta, & ab hærede præſtanda. Quamvis dominium Legati puri tranſeat ipſo jure in Legatarium fictione juris, niſi repudietur; fas tamen ei non eſt, propria autoritate occupare abſque pœna legis, ſcilicet amiſſionis Legati; ſed exſpectare debet, donec ſibi tradatur ab hærede, quando cedit ac venit dies. *Cedere diem* ſignificat incipere deberi: in Legato *puro* cedit dies ex tempore mortis: nam eo retrotrahitur per Juris fictionem hæreditatis aditio, & Legatarii agnitio: ſi autem poſtea repudiaretur Legatum, retro non fuiſſet

70.) Copioſos Tractatus de Fideicommiſſis, quorum fuſior tractatio noſtri inſtituti non eſt, ſcripſerunt MARCUS ANTONIUS PEREGRINUS, PHILIPPUS KNIPSCHILD, VINCENTIUS FUSARIUS, SAMUEL STRYCKIUS, aliique præter Commentatores in Tit. Cod. de Fideicommiſſis: & Inſtitut. de Fideicommiſſ. hæredit.

fuisset illius 71.). In Legato *Conditionali* cedit dies ex tempore existentis conditionis. Sæpe Legatum purum est, ac præstatio in tempus differtur: tunc dies statim cedit; uti etiam si Legatum relictum sit ex die certo, vel etiam incerto, qui conditionem non faciat: in ejusmodi autem casu venit dies, quando actualis præstatio urget. (Supra Tit. 2. §. 229.).

Rei aliena.

§. 515. Legata non sunt, nisi deducto ære alieno. Si legata res, quæ non est in rerum natura, neque actu neque potentia, tum nec æstimatio debetur: valet tamen legatum rei, quæ spe tantum est in rerum natura; estque purum quoad transmissionem, conditionale vero quoad obligationem. Legatum rei alienæ valet, si testator scivit, esse alienam: pie enim præsumitur testator velle, ut hæres rem emat, vel si dominus nolit vendere, æstimationem Legatario

71.) Ad repudianda Legata Ecclesiæ facta, non requiri solennitates ad alienationem requisitas, dictum est supra Tit. 1. §. 213.

præstet. Si autem ignoravit, rem esse alienam, aut si res humano commercio sit exempta, seu publico usui destinata, Legatum non valebit, quia non censetur nimis gravare velle hæredem. Unde quando Pontifex 72.) improbat Legatum rei alienæ, non censetur arguere velle Leges Civiles, sed potius malum usum quorundam Judicum vel Executorum, qui ipsam rem legatam Legatario adjudicabant, invito rei domino. Legato genere Legatarius eligit, ita tamen ut nec optimum, nec pessimum eligat, nisi sint duo tantum individua, inter quæ potest optimum eligere, ne privetur jure eligendi. Item si genus legatum sit piæ Causæ, optimum favore Religionis eligi potest 73.).

Corruente testamento,

§. 516. Corruente Testamento, an etiam corruant Legata, quæstio est, pro variis circumstantiis diversimode implicata. Si rumpatur Testamentum, ob Posthumum, vel alium filium præteritum, allegari solet Authentica 74.), juxta

72.) C. 5. de Testam.
73.) L. 38. §. fin. ff. de aur, arg. leg.
74.) Auth. ex causa. C. de Liberis præter.

juxta quam *ex causa exhæredationis vel præteritionis irritum est Testamentum, quantum ad institutiones: cetera namque firma permanent*: consequenter persistunt Legata. Hoc tamen intelligi potest de filio scienter præterito. Si autem ignoranter fuisset præteritus filius jam natus, quem pater putabat mortuum, cum tamen esset vivus; vel filius nasciturus, quem pater nescivit esse in utero: in hoc casu corruere etiam Legata, & clausulam Codicillarem nihil operari, communius dicitur, quia infirmatur Testamentum ex defectu voluntatis. Nihilominus possunt sustineri legata illa, quæ Testator præsumitur facturus fuisse, etiamsi sciviſſet existere sobolem in utero. Talia censentur Legata pia, aut modici valoris 75.).

§. 517. Si Testamentum *destituatur*, per Novellam Constitutionem Justiniani 76.), licentia *datur & Legatariis & Fideicommissariis, & servis libertate honoratis, adire & hæc acquirere,* *An corruant Legata?*

75.) Vid. Gail lib. 2. obs. 114. Barry de Succession. lib. 10. tit. 10.

76.) Novell. 1. C. 1. §. 1.

rere ita ut omnibus modis quod præceptum est per testantem, impleatur. Novella hæc plerumque allegari solita, si probe inspiciatur, non probat intentum; non enim loquitur de Testamento destituto, sed de eo casu, quo hæres hæreditatem jam adjit, & post aditionem Legata exsolvere detrectat. Corruent igitur etiam Legata, nisi ejusmodi scriptura habeat vim Codicilli. Nam Testator, cujus Testamentum destituitur, censetur intestato decedere 77.); & reliquisse Codicillum 78.). Si Testamentum est nullum ob inhabilitatem personæ testantis, corruunt Legata, quia tale Testamentum non potest considerari tanquam Codicillus: unde etiam clausula Codicillaris nihil juvat; nam qui testari nequit, ille nec Codicillari valet. Testamento ab Ascendentibus vel Descendentibus per querelam inofficiosi rescisso, Legata nihilominus debentur, & omnia reliqua

77.) §. 2. Inst. quib. mod. testam. infirm.
78.) Quoad Legata pia id desumitur ex L. 38. ff. de Fideicommiss. libertat.

qua capitula subsistunt 79.). Si Testamentum declaretur irritum ex defectu solennitatis, Legata profana non aliter subsistunt, nisi ex clausula Codicillari 80.), modo adhibitæ sint solennitates ad Codicillum requisitæ; aut ex confessione hæredis, aut etiam ex solutione ab hærede præstita, *cum non ex sola scriptura, sed ex conscientia relicti fideicommissi, defuncti voluntati satisfactum esse videatur* 81.). Legata autem pia sustinentur etiam absque clausula, vel solennitate Codicillari, quia ultima voluntas ad Causas pias nullas requirit solennitates.

§. 518. Singularem mentionem merentur *Legata annua*, quæ scilicet in singulos annos relinquuntur. Hæc sæpe censentur esse tot Legata, quot sunt anni: primo quidem anno Legatum est purum, sequentibus annis conditionatum, scilicet si vixerit

Legata Annua quomodo præstanda?

79.) Nov. 115. c. 3. Qua Constitutione corrigitur doctrina L. 8. §. penult. ff. de inoffic. testam.

80.) L. 1. ff. de Jurē Codicill.

81.) L. 2. C. de Fideicommiss.

rit Legatarius. Sic sentiendum, quando Legata fiunt ad vitam cujusdam: si vero Legata debentur causis perpetuis, mox per mortem legantis cedit dies respectu omnium; venit autem dies singulis annis: una enim est obligatio, sed pensiones plures: hinc dicuntur non annua Legata, sed Legatum annua, bima, trima die exigendum. Pro ejusmodi perpetuatione stat quidem præsumptio in stipulationibus inter vivos, qui etiam censentur suis posteris consuluisse: aliud est de Legatis; cum censeatur solus Legatarius honoratus, ita ut non transmittatur Legati annui obligatio ad hæredes, nisi legans exprimat.

Quantum liceat legare?

§. 519. Olim licebat totum *patrimonium*, vel fere totum, *legatis* exhaurire, permittente id Lege XII. Tabul. *Uti quisque legassit de re sua, ita jus esto.* Hanc legandi licentiam coarctarunt variæ leges, *ipsorum* testatorum gratia, cum plerumque intestati morerentur, recusantibus scriptis hæredibus, pro nullo aut minimo lucro hæreditates adire. Ex Lege Furia non licebat ultra mille aureos legare: ex Lege Voconia Lega-

gatarius non poterat plus habere, quam hæres. Demum lata est *Lex Falcidia* 82.), quæ totum defuncti patrimonium in duodecim uncias divisit, & vetuit, ne cui ultra dodrantem, id est, novem uncias totorum bonorum legare liceret, sive unus sit hæres institutus, sive plures: sed ut quadrans, id est, quarta pars bonorum apud hæredem hæredesve maneret 83.), quantitate patrimonii, mortis tempore spectata, deducto ære alieno, impensa funeris &c. Si legantur alimenta, vel ususfructus ad dies vitæ, difficilis sæpe est computatio, an non ultra dodrantem bonorum sit legatum. Juxta JC.tos Romanos 84.) in tali casu detrahitur Falcidia ratione ætatis, ut tot annorum fiat computatio, quot annos probabile est Legatarium supervicturum: præsupponitur autem spatium lon-

82.) Plebis-scitum sub Falcidio Tribuno Plebis, tempore Augusti, anno U. C. 714. teste Dione Cassio Rom. Hist. lib. 48.

83.). Ita Theophilus in Paraphrasi græca Institutionum lib. 2. tit. 22.

84.) L. 68, ff. ad Leg. Falcid.

longiſſimum, ſcilicet 80. annorum. Hinc natus 20. annos, adhuc 60. annos poteſt ſupervivere: ſed quia hoc incertum, dimidiantur illi 60. anni, & computantur 30. anni, ut ſcilicet incertum ætatis cum dimidio annorum futurorum computetur 85.). Juxta Leges Civiles communes non detrahitur Falcidia ex Legatis piis, aut ſi teſtator expreſſe prohibuit detractionem 86.). Si filiusfamilias a teſtatore patre nimiis gravatus ſit Legatis, poſſet ille inprimis detrahere Legitimam; ex reliquis Falcidiam aut Trebellianicam decerpit, adeo ut ſibi præter legitimam remaneat ſaltem quarta pars bonorum paternorum 87.).

§. 520.

85.) Ita diſcurrit Brunneman ad cit. Leg. 68.

86.) Jure Bavarico teſtator non poteſt prohibere detractionem Falcidiæ, quæ detrahitur etiam ex Legatis piis, ſi profana non ſufficiant ad hoc, ut hæres quartam partem hæreditatis conſequatur.

87.) Ita communiter docent ex C. Raynutius. & C. Raynaldus. de Teſtam. quas diſpoſitiones Juris Canonici etiam forum Civile amplecti ſolet.

§. 520. Quando detur jus accrescendi in Legatis, notatum est superiori Titulo 88.). Vicissim autem adimi potest Legatum, vel verbis, contrariam voluntatem significantibus: vel facto. E. G. Cancellatione, Incisione a testatore consulto facta: item alienatione hoc animo facta, quod ex circumstantiis dijudicandum. Infirmatur etiam Legatum ambiguitate Scripturæ, ex qua non apparet, quid cui relictum sit 89.). Præcipue Legatum corruit, si a Legatario repudietur, quæ repudiatio ad mortem testatoris retrotrahitur, ita ut res nunquam legata censeatur, sed apud hæredem permaneat cum omnibus fructibus & *Quomodo adimatur Legatum?*

88.) De Jure accrescendi in Legatis fuse tractat Anton. Faber De Erroribus Pragmaticorum part. 2. Decade 49. & 50. Philippus Jacobus Heislerus in Dissert. de Jure accrescendi, ostendere conatur, jus accrescendi inter Legatarios semper esse jus non decrescendi.

89.) Copiose hæc examinat Franc. Mantica tract. de conjecturis ultimarum Voluntatum præsertim lib. 8. & 9.

emolumentis, nisi ob quandam conjunctionem accrescat alteri Legatario.

Aut ejus possessio obtineatur?

§. 521. Ad obtinendam Legati possessionem competit I. Actio in rem, si legatum est jus in re, quod Legatario etiam ignoranti, statim acquiritur in momento mortis domini: si quis autem Legatum repudiet, videtur nunquam dominus fuisse. II. Actio quasi Serviana, seu hypothecaria, concessa in securitatem Legati, in reliquis defuncti bonis. III. Actio ex testamento adversus hæredes, vel personas oneratas, competens ad res legatas cum suis accessionibus. IV. Remedium Legis fin. C. de Edicto D. Hadriani tollendo, Quamvis hæc Lex proprie loquatur de hærede, eadem tamen, est ratio in Legatario.

Donatio mortis causa.

§. 522. Ultimis Voluntatibus annumeratur *Donatio mortis causa*, quæ, sicut aliæ ultimæ voluntates, revocari potest usque ad vitæ exitum: unde requirit solennitates aut probationes, quas requiri diximus ad alias quoque voluntates ultimas. De his Donationibus dicta sunt, pauca quidem, quæ tamen ad nostrum institu-

ſtitutum ſufficiunt Sect. IV. tit. 3. de Donation. §. 254.

TITULUS XX.

DE SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO.

Conf. Lib. 3. Decretal. tit. 27.

Succeſſio ab inteſtato

§. 523.

CAUSA Inteſtati locum habet, quando quis decedit ſine Teſtamento: eſt igitur ſucceſſio ab inteſtato, *hæreditatis legitimæ extra caſum ultimæ voluntatis defuncti acquiſitio.* Ante omnia inveſtigandum, an Succeſſio ab inteſtato debeatur Juri Naturali? Affirmant id multi, quia ſucceſſio hæc in Bona defuncti innititur præſumptæ defuncti voluntati: quos enim defunctus ordine naturæ præſumitur magis dilexiſſe, illi ſuccedunt. Cenſent igitur hi Doctores, Leges Civiles, quæ ordinem ſucceſſionis tradunt, eſſe meram declarationem Juris Naturalis.

Fundatur in

§. 524. Mihi videtur, diſcrimen faciendum eſſe inter Liberos aut Pa-

ratione naturali quoad Liberos,

rentes: & inter alios Agnatos Collaterales. Parentes jure naturali tenentur liberis ſuis pro virili procurare felicitatem hujus vitæ: quamvis autem felicitas hominis non conſiſtat in bonis fortunæ; nihilominus bonus eorum uſus plurimum conducere poteſt ad temporalem vitæ hujus felicitatem. Tenentur parentes igitur operam dare, ut liberi conſequantur Bona fortunæ: nec debent eos privare bonis, quibus eosdem augere poſſunt abſque ſuo gravi diſpendio. Major hæc eſt obligatio, ſi liberi nondum ſint educati, nec ad eum ſtatum perducti, ut ſibi ipſis proſpicere poſſint. Unde tenentur Parentes ab ipſa nativitate prolis curam gerere pro ejus educatione, etiam poſt mortem ſuam, cujus tempus ignorant, continuanda. Viliſſima animalcula educationi prolis natura magiſtra proſpiciunt, dum inſecta, quæ vitam plerumque, ante fœtus ex ovulis excluſos finiunt, ea ibi deponunt, ubi commodum alimentum ipſis obvium eſt. Eandem providentiam ratio exigit in homine, qui ſæpiſſime moritur, antequam liberi fuerint educati: unde liberi vi-

vo

vo quoque patre quodammodo domini exiſtimantur 90.) : & dicuntur hæredes non fieri, ſed apparere 91.).

Et Parentes:

§. 525. Viciſſim Liberi alere tenentur Parentes inopes, obliganturque ad beneficium oblata occaſione iisdem, etiam non inopibus, reddendum, promovendo eorum fortunam, & pro virili conferendo ea, quæ vitam illorum commodam atque jucundam faciunt. Ex his mutuis obligationibus naturaliter oritur jus Liberorum in bonis Parentum, & viciſſim jus Parentum in bonis Liberorum adhuc viventium, quod omnino perfectum redditur per mortem alterutrius, cum iſte poſt mortem Bonis non amplius indigeat; ſuperſtes autem per ea ſuam fortunam promovere poſſit : videnturque Liberi ſua retinere, & Parentes ad propria ſua reverti 92.). Hæc ratio fundat jus Aſcendentium & Deſcendentium, non tantum in primo, ſed

90.) §. 2. Inſtit. de hæred. qualit. & differ. Non tamen debet ipſis tribui verum condominium.

91.) Græci hoc bene exprimunt per verbum ἀναφαινεσθαι.

92.) L. 1. §. 12. ff. De Succeſſor. Edict.

etiam ulterioribus gradibus, si deficiant proximiores: nulla autem ratione tale jus perfectum concedi potest Agnatis Collateralibus.

Secus quoad Collaterales.

§. 526. Autores illi, qui in defectu Liberorum & Ascendentium, aliis etiam Collateralibus successionem ex Jure Naturali tribuunt, jus istud fundatum credunt in præsumpta voluntate defuncti. Sed qui ita discurrunt, non videntur attingere statum quæstionis. Quæstio & difficultas in eo est, an voluntas defuncti vel præsumpta, vel expressa, spectato solo jure naturali habeat vim & virtutem transferendi dominium Bonorum suorum pro illo tempore, quo ea Bona non habebit amplius in suo dominio. Voluntas defuncti *mihi videtur* esse pium & enixum desiderium: ut autem isti ex obligatione satisfiat, requiritur dispositio Legis positivæ. Nam spectato solo jure naturæ, plus non evincitur, quam quod Bona defuncti retineri possint ab iis, qui jam antea communi quodam jure cum defuncto illa possidebant, quales censentur filii familias respectu parentum, & parentes respectu filiorum. Consequenter non

ratio-

ratione præſumptæ voluntatis defuncti; ſed ex ſocietate quadam juris in illa Bona, retinentur iſta in familia. Hanc rationem agnoviſſe videntur Romani, qui filium emancipatum non cenſebant neceſſario inſtituendum hæredem, ſed tantum illos, qui tempore mortis paternæ, in poteſtate patris erant, & cum patre unam familiam conſtituebant. Cum autem patria poteſtas merum Juris Romani inventum fuerit, conſuetudines Germaniæ conformiores ſemper fuerunt juri naturali, dum quoad ſucceſſionem nullum faciebant diſcrimen inter filios emancipatos & non emancipatos.

§. 527. Leges Civiles communes ab inteſtato hæreditatem deferunt ratione Cognationis: hujus tres ſunt ordines, unus Deſcendentium; alius Aſcendentium; tertius Transverſalium, qui in Agnatos & Cognatos dividuntur 93.). Primo loco admittuntur Deſcendentes ipſius defuncti,

Tres ordines ſuccedentium:

93.) Sedes Aſſertionum de Succeſſionibus habetur in Novella 118. JUSTINIANI.

functi, excluſis Aſcendentibus & Transverſalibus. Veniunt hoc loco omnes Liberi naturales & legitimi ſimul, absque diſcrimine ſexus, ita ut emancipatus filius concurrat cum eo, qui in poteſtate retentus eſt. Si quis deceſſerit, relicto filio uno, & ex alio filio præmortuo nepotibus, iſti nepotes admittuntur una cum illo filio, eorum patruo, ad ſucceſſionem avi ſui, non quidem in capita, ſed in ſtirpes tantum, ita ut iſti nepotes omnes non acquirant niſi eam portionem, quæ competiiſſet eorum patri, ſi ſupervixiſſet. Et iſtud jus repræſentationis obtinet in infinitum in omnibus Deſcendentibus, ita ut nullus Deſcendentium, cujus pater jam eſt mortuus, excludatur a ſucceſſione Avi, proavi, abavi &c. Similiter ſi ſint plures Nepotes ex diverſis filiis præmortuis, & nulli exiſtant filii, ſuccedent Avo in ſtirpes, non in capita: ſi autem ſint Nepotes ex uno filio, ſuccedent in capita, niſi eſſent in gradibus inæqualibus, ſcilicet Nepotes & Pronepotes.

I. Liberorum. §. 528. Nepos ex filio ſuperſtite regulariter non ſuccedit ſuo Avo. Si filius ſit indignus ſucceſſione paterna,

terna, vel ſit deportatus, Nepos ex hoc filio ſuccedet Avo defuncto, modo Nepos conceptus ſit, antequam filius fuerit indignus aut deportatus. Si filius, ex quo extat Nepos, repudiaſſet hæreditatem patris ſui, Nepos ſuccedet Avo jure ſuo, niſi ſuperſtes eſſet alius filius hujus Avi: cum hoc enim patruo ſuo non poſſet ſuccedere, nec jure ſuo, cum gradu ſit remotior; nec jure repræſentationis, quod locum non habet, niſi pater ſit naturaliter, vel civiliter mortuus: nam ſi principalis nolit adire hæreditatem, non apparet, quomodo alius ipſius nomine, eumque repræſentando, illam adire poſſit 94.). Unde in tali caſu pars filii repudiantis adcreſceret filio, qui adivit. Ejusmodi tamen Nepos ex filio repudiante, ſuccederet cum aliis Nepotibus ex aliis filiis præmortuis 95.). Eadem eſt ratio Filiæ renuntiantis hæreditati paternæ:

94.) L. 1. §. 8. ff. de ſuis & legit. hæred.

95.) Hanc doctrinam ex parte ſequitur Menochius Vol. 1. Conſil. 91. prope initium.

ternæ: sola hæc renuntiatio matris non tollit jus liberorum, quo minus hi, non quidem repræsentando matrem, sed jure suo succedant, nisi obstet Statutum aut recepta consuetudo, quibus juribus ordinatur successio 96).

Ex eodem, §. 529.) Quæ dicta sunt de Liberis, procedunt in iis, qui ex eodem matrimonio procreati sunt. Si autem extent Liberi ex diversis Nuptiis, ut si mulier habuerit duos maritos, & ex primo unum filium, ex secundo duos; singuli in Bonis sui Patris succedunt: omnes vero æqualiter in Bonis Matris. Quænam autem censeantur inter Bona materna, lucra, donationes &c. plerumque constare debet ex Statutis aut consuetudinibus locorum. Usitatum in Germania est pactum unionis, seu parificationis prolium, quo Bona utriusque matrimonii communicantur, & liberi ex diversis matrimoniis quoad jus successionis, tanquam ex

96.) Fachineus Controv. Jur. lib. 3. c. 23. Berlich. p. 2. concl. 43. n. 14. seqq.

ex uno matrimonio nati, habentur. Validum eſt tale pactum, modo fiat cum plena cauſæ cognitione, in præſentia tutorum & Cognatorum, accedente autoritate Judicis 97.).

§. 530. Filii ſuſcepti ex putativo Matrimonio, parentibus ſuis ſuccedunt, ſi adfuit bona fides contrahentium, & adhibitæ ſint ſolennitates ſecundum morem patriæ 98.). Liberi naturales tantum, non ſuccedunt patri, niſi in defectu legitimorum, & uxoris, & tunc quidem in duabus ſolum unciis 99.). Procreati autem ex damnato coitu nequaquam ſuccedunt. Filii naturales legitimati per ſubſequens matrimonium, ſuccedunt cum aliis legitime natis. *Et juſto matrimonio.*

97.) Gaill lib. 2. obſ. 125. Valentinus Forsterus Conſil. de unione prolium, quod recenſetur inter Reſponſa illuſtr. JC.torum tom. 1. conſ. 36.

98.) Menoch. lib. 4. præſumpt. 77.

99.) Novell. 18. Conditiones, quæ a Grasso Recept. ſent. §. Succeſſio ab inteſtato. quæſt. 18. & aliis requiruntur, ut mater fuerit domi detenta tanquam concubina &c. non attenduntur rigoroſe in praxi, modo Pater agnoverit filium ſuum.

natis. Legitimati autem per Rescriptum Principis regulariter non succedunt; neque solet Legitimatio ad hunc effectum dari, nisi ex gravissimis causis, & conscIis iis, quorum interest. Nihilominus sicut Pater tenetur alere filios naturales, ac juxta Sacros Canones etiam spurios; ita etiam hæredes patris, sive filii, sive extranei, hæc alimenta præstare debent filiis naturalibus & spuriis defuncti. Filius tamen legitimati, ex justo matrimonio natus, post mortem Patris succedit Avo 100.) Matri non illustri, liberi naturales æqualiter succedunt cum legitimis, secus nati ex damnato coitu: similiter succedunt Aviæ maternæ, & aliis Ascendentibus ex linea materna, ita quidem, ut filius naturalis excludat Ascendentes defuncti a successione 1.).

§. 531.

100.) Franc. de Barry de Successione, lib. 18. tit. 1. n. 30. Rebuffus prax. Benefic. tit. de Rescript. legitim. n. 28.

1.) Surdus Decis. 249. cum aliis ibidem allegatis, natos ex damnato coitu adeo excludit a Bonis maternis, ut mater illis ne quidem donare possit inter vivos.

§. 531. Filius, ob ingratitudinem exhæredatus a Patre in Teſtamento, quod ex alio capite judicatur nullum & irritum, habet jus ſuccedendi ab inteſtato: poſſet tamen autoritate Judicis, tanquam indignus repelli, ſicut & ille, qui gravis, & exhæredatione dignæ ingratitudinis ſe reum fecit, de quo tamen notitiam non habuit Pater ante mortem. *Filius exhæredatus an ſuccedat ab inteſtato?*

§. 532. Adoptio in Germania rarum uſum habet: dato autem caſu, Adoptivi filii juxta Leges Romanas ſuccedunt Patri adoptanti ſimul cum aliis natis ex legitimo matrimonio. Stante tamen Statuto excludente fæminas exſtantibus maſculis, filius adoptivus non excludet fæminas; neque etiam ſuccedit in feudis. *Adoptivus quando ſuccedat?*

§. 533. Filius deportatus, qui civitatem exilio in perpetuum amittit, item profeſſus hæreſin non tolerata: item filius ejus patris, cujus bona ob crimen læſæ Majeſtatis vel hæreſis fiſco addicuntur, non ſuccedit in bonis paternis: ſicut etiam Peregrinus non ſuccedit incolæ in Gallia *Qui filii excludantur a ſucceſſione?*

Gallia & quibusdam aliis Provinciis 2.).

II. Ascendentium, §. 534. Si defuncto nulli supersunt Liberi, Ascendentes ei succedent, inprimis Pater & Mater æqualiter, exclusis omnibus aliis remotioribus; vel sola Mater, si Pater non supersit, & similiter solus Pater, si Mater non supersit. Si Patre jam mortuo nascatur filius, & hic quoque moriatur, mater ei superstes succedet in omnibus bonis patris: econtra si moriatur mater in puerperio, filius vivus natus ei succedit, & si ipse quoque moriatur, transfert ad patrem superstitem omnia bona materna. In defectu Patris & Matris, succedunt ulteriores æquales gradu: qui si sint numero dispares, succedunt in stirpes, non in capita. Sic Avus paternus tantum capiet, quantum Avus & Avia materna simul: semper tamen gradu proximior excludit remotiorem, nec locum habet repræsen-

2.) Recentissime quoad Successionem Albinorum, edita est in Gallia Constitutio in favorem eorum, qui navalia præstant obsequia.

ſentatio: neque diſtinguitur inter Bona, quæ ex linea paterna, vel quæ ex materna proveniunt, niſi Statuta locorum aliud velint 3.). Si Mater ad ſecundas Nuptias convolaverit, ſuccedit filio tantum in uſufructu, non autem in proprietate bonorum, niſi ſola ſupereſſet, ita ut nulli alii fratres ſimul ſuccedant 4.). Excipitur tamen, ſi Mater has Nuptias contrahat cum conſenſu Liberorum: inſuper proprietatem acquiret, ſi filius eam in teſtamento inſtituat. Quæ dicuntur de Matre, extenduntur etiam ad Patrem 5.).

§. 535. Si cum Aſcendentibus ſuperſint fratres vel ſorores, utrinque conjuncti, hi ſuccedunt ſimul cum Aſcendentibus in capita: ſi autem cum Aſcendentibus ſuperſit frater, & alterius fratris præmortui Liberi, hi

Concurrentium cum fratribus defuncti.

3.) Vid. Grassus §. ſucceſſio ab inteſtato. c. 22. n. 5. ſeq. Barry libr. 18. tit. 2. n. 10.

4.) Pœna hæc in L. 3. C. de ſecund. Nupt. ſtatuta, non cenſetur per Jus Canonicum revocata, utpote quæ cedit in bonum prolium.

5.) Vid. Brunnemann in dict. L. 3.

hi simul cum Patruo suo, & Ascendentibus succedunt; non tamen in capita, sed in stirpes, ita ut Patris sui portionem solummodo consequantur. Si vero cum Ascendentibus concurrat nullus frater aut soror, sed soli præmortuorum fratrum filii, teneri potest opinio eorum, qui tales filios a successione excludunt. Nam Novella 127. c. 1. [illegible]preſſe solum agit de casu, quo fr[illegible]is defuncti liberi concurrunt cu[illegible]atre defuncti: quia igitur est [illegible]rectoria Novellæ 118.væ ab eo c[illegible] extendi non debet ad casum, quo omnibus fratribus præmortuis, soli istorum Liberi cum Ascendentibus concurrunt 6.). Privilegium hoc repræsentationis solos fratrum Liberos complectitur: fratrum autem nepotes excluduntur, sicut etiam fratres ex uno tantum latere conjuncti, qui nullo modo succedunt cum Ascendentibus.

§. 536.

6.) Ant. Perez in Codic. ad S. C. Tertyll. n. 8. Jus Bavaricum ejusmodi fratrum Liberos admittit. Cod. Civ. P. 3. c. 12. §. 3.

§. 536. Si defunctus nullos Liberos, nec Parentes reliquerit, ſed tantum Agnatos Collaterales, primi ſuccedunt fratres (quo nomine etiam ſorores intelligimus) & quidem Germani, id eſt, utrinque conjuncti, cum quibus concurrunt in ſtirpes aliorum fratrum præmortuorum utrinque conjunctorum filii, qui præferuntur aliis fratribus conſanguineis & utefini defuncti. Tale autem jus repræſentationis non extenditur ad Nepotes fratrum præmortuorum: ſed ſolus filius repræſentat patrem ſuum, ut, licet revera ſit in gradu tertio, nihilominus fingatur eſſe in gradu ſecundo, & præponatur Patruis & Avunculis defuncti, qui ſunt in eodem gradu tertio: conſequenter locum id habet tantum, quando agitur de ſucceſſione Patrui, non autem quando agitur de ſucceſſione Propatrui, aut ſimilium ulterioris gradus. Quando frater ſuperſtes repudiat hæreditatem, ejus filii cum alio fratre ſuperſtite non ſuccedunt; ſed portio deficiens accreſcit fratri adeunti hæreditatem, quia locum non habet jus repræſentationis vi-

III. Collateratium: inter hos primi ſunt fratres Germani:

vente patre. Si vero præter filios fratris repudiantis non superſit alius frater, ſed tantum fratris prædefuncti filius, ſuccedent ſinguli horum fratrum filii proprio jure.

Eorum præmortuorum filii:

§. 537. Si ſuperſtites ſint ſoli plurium fratrum Germanorum filii, numero impares, ſuccedunt in Germania in capita 7.). Si autem præter hos Nepotes defuncti adhuc ſuperſint ejusdem defuncti frater vel ſoror uterini, aut conſanguinei, convenientius dicitur, quod illi Nepotes ſuccedant in ſtirpes, & ſic jure repræſentationis intrent in locum & gradum ſuorum parentum præmortuorum, ut cenſeantur eſſe in gradu ſecundo reſpectu defuncti, ne contra communem regulam gradus tertius, in quo revera jure ſuo ſunt iſti Nepotes, excludat gradum ſecundum, in quo ſunt fratres uterini & conſanguinei.

Fratres ex uno latere

§. 538. Si quis deceſſerit ſine ullis Deſcendentibus, Aſcendentibus, Fratribus Germanis, fratrumque germano-

7.) Juxta deciſionem Caroli V. in Comitiis Spirenſibus anno 1529. §. 31.

manorum Filiis, admittuntur Fratres ex uno tantum latere conjuncti, ſive Conſanguinei, ſive uterini ſint. In quibusdam Provinciis fit diſcrimen inter Bona paterna & materna: in aliis id non attenditur, quia illa Bona nec ſunt paterna, nec materna; ſed fraterna, unde unde provenerint. Si frater conſanguineus ſit ſuperſtes, & filius ex alio fratre conſanguineo vel uterino, a multis ſimul ad ſucceſſionem admittuntur, ſicut diximus de Fratribus Germanis & eorum Filiis: ſi autem inſiſtere velimus doctrinæ ſupra §. 535. datæ, tenendum eſſet, jus repræſentationis non habere locum in filiis fratrum uterinorum & conſanguineorum, quia Novella 127. c. 1. ſolummodo mentionem facit fratrum germanorum: proin hæc Novella, utpote correctoria Juris antiqui, extendi ultra caſum expreſſum non debet: conſequenter cum fratre conſanguineo non ſuccedet ſimul filius ex alio fratre conſanguineo præmortuo 8.). In ulterioribus gradibus nul-

conjuncti: de-mum alii remotiores:

8.) Ita ſentit Voetius ad ff. de ſuis & legit. hæred. n. 38.

nullus est locus repræsentationi, sed generalis est regula, quod gradu proximior excludat remotiorem: neque successio restringitur ad septimum vel decimum gradum, sed porrigitur in infinitum, nisi obstent Statuta loci. Succedunt autem omnes, non in stirpes, sed in capita, si plures existant ejusdem gradus: nullo discrimine, an ex una solum parte, an ex utraque conjuncti sint. Gradus autem computantur juxta regulas a Jure Civili stabilitas, ut dictum Sect. II. §. 314. Circa Collaterales illegitimos idem tenendum, quod supra dictum de Liberis illegitimis. Quando igitur Filius naturalis succedit matri, potest etiam succedere Cognatis maternis & vicissim.

Quorum schema apponitur.

§. 539. Quamvis Gradus Collateralium facile intelligantur ex Arbore Consanguinitatis Sect. II. fol. 406. posita, nihilominus juvat adjicere figuram duarum scalarum, quæ exhibent duos Fratres & eorum Descendentes: in his enim solis omnes Collaterales consistunt 9.): quia om-

9.) Figuram hanc ponit & explicat Franc. de Barry de Successionib. lib. 18. tit. 3. in fin.

omnis Collateralium agnatio a duobus fratribus initium ſumit.

Petrus	Paulus
Andreas	Philippus
Jacobus	Joannes
Simon	Thaddæus
Mathias	Matthæus

Petrus & Paulus intelliguntur fratres eſſe, & eis ſubjecti illorum Deſcendentes. In his comparantur inter ſe I. ipſi duo fratres nempe Petrus & Paulus. II. Deſcendentes ex uno iſtorum fratrum cum altero fratre. III. Deſcendentes ex uno fratre cum deſcendentibus ex altero fratre. In ſecunda comparatione perſona eadem aſſumit diverſa nomina. Sic Paulus ſi comparetur cum Deſcendentibus ſui fratris Petri, dicitur Patruus Andreæ, Patruus Magnus Jacobi, Propatruus Simonis, Abpatruus Mathiæ. Sub nomine Patrui hic intelligitur etiam Avunculus, Amita, Matertera: ſexus enim differentia nihil hac in re mutat: neque diſtinguitur inter Agnationem & Cognationem. In tertia compa-

ratione Andreas & Philippus, vocantur Consobrini: Jacobus & Philippus, propiores Sobrini: Jacobus & Joannes, Sobrinorum liberi & sic deinceps. Cum igitur juxta regulam Juris Civilis, in Cognatione collaterali, quot sunt personæ a communi stipite, tot sint gradus ipso stipite dempto, sequitur fratres Petrum & Paulum inter se comparatos, esse in secundo gradu, quia sunt duæ personæ, eorum stipite, id est patre dempto. Paulus comparatus cum Descendentibus fratris sui, erit cum Andrea in tertio gradu, cum Jacobo in quarto &c. &c. quia totidem sunt personæ, dempto stipite, qui pater est Petri & Pauli. Si comparentur Descendentes Petri cum Descendentibus Pauli, patet, consobrinos Andream & Philippum esse in quarto gradu; Jacobum & Philippum in quinto; Jacobum & Joannem in sexto, & sic deinceps.

De successione Conjugum:

§. 540. Si deficiant Descendentes, Ascendentes & Collaterales omnes, Jura Romana Virum & Uxorem vocant ad conjugis intestati hæreditatem, fisco excluso 10.). Si autem Uxor

10.) L. un. ff. & C. unde vir & uxor.

Uxor ſit inops & indotata, tunc licet extent Liberi, ſuccedet marito locupleti in quartam Bonorum partem, quando extant tres vel pauciores Liberi; & in Virilem, quando extant plures 11). Si tempore mortis facta eſſet ſeparatio thori autoritate Judicis, is qui dedit cauſam ſeparationi, non ſuccedit: alterius jus ſalvum manet: ſin absque autoritate Judicis de facto Uxor receſſerit, vel Vir eam expulerit, ſibi invicem ſuccedent. Uxor, quæ alii nupſit intra annum luctus, non ſuccedit ſuo primo marito 12.), quam pœnam non ſublatam eſſe 13.), bene dicitur 14.). Sunt autem inprimis inſpicienda pacta dotalia, his ceſſantibus conſiderandum Statutum, regulariter loci illius, in quo maritus habet domicilium, ſaltem quoad im-

11.) Auth. præterea. C. ibid.
12.) L. 1. §. omnium. C. de ſecund. nupt.
13.) Per C. penult. & ult. de ſecund. nupt.
14.) Petrus Gregorius Tholos. Syntagm. Jur. univ. lib. 45. c. 14. n. 2. cum aliis docet, ſolam infamiam mulieris intra annum luctus nubentis per allegata Capitula ſublatam fuiſſe.

mobilia: in mobilibus ſequimur locum domicilii defuncti: mobilia enim ſequuntur perſonam, immobilia territorium. Porro vix alia in re tot diverſæ conſuetudines & Statuta Legibus Romanis contraria vigent, ac in iſta materia ſucceſſionis conjugum, quæ proin ubique diligenter indaganda ſunt 15.).

Et Fiſci, ad quem trahuntur Bona vacantia;

§. 541. Deficientibus aliis legitimis hæredibus, ſuccedit Fiſcus. Ubi notandum, varias eſſe rationes, per quas Bona acquiruntur Fiſco. Ad hunc locum pertinent præcipue Bona defunctorum vacantia, & quæ Hæ-

15.) De Succeſſione Conjugum apud primos Romanos agit DIONYSIUS HALICARNASS. antiq. Rom. lib. 2. m. fol. 95. De Populis Germaniæ vid. Leges Bajuvar. tit. 14. c. 6. & 7. Wiſigothorum lib. 4. tit. 2. leg. 14. Burgundionum tit. 24. L. 1. & 2. tit. 42. L. 1. & 2. item toto tit. 74. Ripuariorum tit. 37. L. 2. Capitular. lib. 4. c. 9. & alias paſſim in Corpore Juris Germanici antiqui. GREGORIUS THOLOSANUS lib. 45. c. 14. Quid hodie juris in Bavaria, legi poteſt in novo Codice Civili p. 1. c. 6. §. 36. ſeqq. & Annotat. ad eosdem §§.os.

Hæredibus tanquam indignis auferuntur 16.). Bona vacantia dicuntur, quæ nullum legitimum dominum habent: conſequenter bona illius, qui inteſtatus deceſſit, nullo legitimo hærede relicto: quæ autem ex alia ratione vacare domino dicuntur, uti ſunt bona derelicta, vel quæ nunquam habuerunt dominum, ea non ad fiſcum, ſed ad primo occupantem pertinent. Bona ex defectu hæredis vacantia ad Fiſcum non deferuntur titulo hæreditatis: unde non eſt neceſſaria hæreditatis aditio; ſed acquiritur dominium ipſo jure: opus tamen eſt apprehenſione ad acquirendam poſſeſſionem: & competit Fiſco hæreditatis petitio 17.). Fiſcum autem excludunt omnes, quibus jus ſuccedendi in præcedentibus §§.is adjudicavimus. Bona peregrini & advenæ, absque teſtamento decedentis, cujus hæredes ignorantur, diſtribuuntur per Epiſcopum in pias

16.) II. Feudor. tit. 56. inter Regalia numerantur *Bona vacantia, & quæ ut ab indignis, legibus auferuntur.*

17.) Peregrinus de Jure Fiſci lib. 4. tit. 3. n. 24.

causas, fisco excluso 18.). De Jure communi Romano Fiscum etiam excludit Collegium, cujus membrum erat defunctus: istud autem passim est abolitum. Conveniens tamen videtur, ut Xenodochia, Orphanotrophia, vel Expositorum domus, quorum sumptibus defunctus sustentabatur, præferantur Fisco. Passim fieri videmus, ut res relictæ ab eo, qui fixas eleemosynas ex ærario piæ cujusdam fundationis perceperat, post mortem trahantur ad hoc ipsum ærarium.

Et quæ auferuntur ab indignis,

§. 542. Quæ auferuntur ab hæredibus indignis, Fiscus capit 19.): indigni autem sunt, quos Lex expresse declaravit indignos, ita ut ab eis Fiscus auferat. Ubi igitur Lex id non expresse statuit, potest quidem aliquis extra ordinem puniri, & incapax reddi, quin tamen Fiscus auferat. Discrimen in eo consistit, quod hæreditas, Legatum, vel portio

---

18.) Auth. omnes peregrini. C. Commun. de Succeff. quæ tamen Constitutio raro observatur.

19.) L. 1. ff. de Jure fisci.

tio incapacis ad alios hæredes, portio autem indigni ad Fiſcum transferatur. E. G. qui in teſtamentis ſibi adſcribunt 20.): qui facto vel culpa aliena excluduntur, uti adulterini: qui ex cauſa utilitatem certæ perſonæ reſpiciente, non admittuntur 21.): iſti habentur tanquam incapaces: & eorum portio non aufertur a Fiſco, ſed accreſcit aliis. Quibusdam autem Fiſcus hæreditatem, aut portionem aufert tanquam Indignis, ſic ſtatuentibus Legibus 22.). Talis eſt interfector defuncti 23.): qui a teſtatore poſt factum teſtamentum in-

---

20.) L. 1. & L. fin. ff. de his quæ pro non ſcript.

21.) Caſus eſt in L. 5. §. 2. de his quæ ut indignis &c. in eo, cui fuerat relictum Legatum, & præterea adjectum tutelæ onus: nam ſi tutelam adminiſtrare detrectet, amittit Legatum, quod pupillo acquiritur, non fiſco.

22.) Idem dicitur de Statutis Municipalibus.

23.) L. 9. ff. de Jure Fiſci. De dubio ſenſu hujus Legis vid. BRUNNEMANN. ibid. & PEREGRINUS de Jure Fiſci lib. 2. tit. 3.

indignus est declaratus 24.): qui non ulciscitur necem defuncti 25.): qui prohibuit aliquem testari 26.): qui testamentum impugnat tanquam nullum ex defectu personæ testantis 27.): qui est ingratus erga defunctum 28.). Ejusmodi ingratus acquirit quidem sibi possessionem & dominium rei, donec illam auferat Fiscus, qui juxta vires hæreditatis, vel pro rata portionis satisfaciet obligationibus, quæ aliis hæredibus incumbunt. Intelligenda hæc sunt de quolibet Fisco in Bonis sui territorii:

24.) Sic colligunt ex L. 12. ff. de his quæ ut indign. aufer. & L. 4. C. eod.

25.) L. 17. ff. eod. sed istud de consuetudine hodierna non servatur: esset enim hæc Lex nutritiva peccati, si per eam impediretur pax, concordia, & injuriarum remissio, ut observat Julius Clarus Sent. lib. 5. §. fin. q. 79. n. 8.

26.) L. 1. & per tot. ff. & C. si quis aliquem testari prohib. L. 19. ff. de his, quæ ut indignis &c.

27.) Hoc eruitur ex L. 16. ff. eod.

28.) L. 1. ff. eod. Ob causas ingratitudinis in vita testatoris commissas, relicta ipso jure revocantur.

rii: nam Fiſcus loci, in quo defunctus obiit, non poteſt prætendere jus ad Bona in alieno territorio ſita. Civitates autem Municipales in bonis Civium ſuorum de Jure communi non excludunt Fiſcum Principis, niſi pro ſe exhibeant ſingulare Privilegium 29.).

§. 543. Porro ad Fiſcum deferri Bona ratione criminum quorundam publicata, alio loco dicendum eſt. Hic tamen notari merentur Cautelæ a quibusdam traditæ pro excludendo Fiſco. Ad hunc deferuntur bona banniti, & propterea eidem competit jus ſuccedendi in hæreditate bannito delata, & nondum adita: pro hoc caſu cautela traditur, ut bannitus talem hæreditatem repudiet, qua ratione illa perveniet ad alios, qui proprium jus habent, excluſo Fiſco 30.). Hunc etiam excludi ajunt, ſi ipſe

Niſi cautela excludatur.

29.) L. 1. C. De Bonis vacant. Nicenſes inteſtatorum ſuorum conceſſam vindicationem bonorum ab Auguſto affirmabant, eorumque preces ad Trajanum perferebat C. Plinius lib. 10. epiſt. 87. & 88.

30.) Menochius Vol. 1. Conſ. 91. n. 4.

ipse Testator expresse in suo testamento cavit, quod si contigisset aliquem ex suis hæredibus committere delictum, quo ejus Bona essent publicanda, illa non Fisco, sed substitutis deferrentur. Imo etiam absque tali expressa voluntate Testatoris, ex sola substitutione excludi Fiscum dicunt 31.).

An quis possit excludi a successione ab intestato?

§. 544. Dictum est supra, quosdam excludi a successione testamentaria, quamvis hæreditas non deferatur ad Fiscum, quod præcipue fit ex causa ingratitudinis: dubium est, an talis exclusio locum habeat etiam ab intestato. Multi negant 32.): affirmant alii 33.). Exemplum habe, quando moriens condit testamentum, in quo cum neque Descendentes, neque Ascendentes habeat, hære-

31.) Ibid. n. 6. & 7.

32.) Bartolus & Jason in L. fratres. 27. C. de inoffic. testam. Menochius Consil. 256. n. 12. Gomez var. resol. tom. 1. c. 11. n. 37.

33.) Glossa in Novell. 22. c. 47. Salicetus in L. 27. n. 11. ff. de inoffic. testam. Corsettus in Singularib. sub voce *Ingratitudo*.

hæredem inſtituit unum ex fratribus ſuis, adjecta clauſula, ne alter frater ullum ex bonis ſuis emolumentum capiat, utpote omnino ingratus, & ſibi inviſus. Poſt mortem reperitur teſtamentum valde imperfectum, & autoritate Judicis datur locus ſucceſſioni ab inteſtato. Dubium movetur, an frater in dicto imperfecto teſtamento excluſus, aſpirare poſſit ad hæreditatem ab inteſtato cum altero fratre? Non immerito excludi videtur hic frater ingratus. Nam ſucceſſiones ab inteſtato ordinantur ex præſumpta voluntate defuncti: in hoc caſu non poteſt præſumi voluntas fratris defuncti: licet enim teſtamentum annulletur forte ob defectum ſolennitatis; nihilominus ejusmodi declaratio voluntatis non requirit omnes ſolennitates teſtamenti, ſed ſufficienter probatur per duos vel tres teſtes, aut etiam per unum, accedentibus aliis adminiculis. Salicetus id confirmat ex aliqua Lege 34.), ubi excluduntur impii nepotes, elogiis ab avia exuſtis,

34.) L. 9. C. de ſuis & legit. lib.

stis, ita ut locus fuerit successioni ab intestato. Putant aliqui, ambos fratres successuros esse, si uterque esset scriptus in testamento, non obstante ingratitudine 35.): consequenter successuros esse etiam ab intestato. Hæc instantia non bene concludit; quia per vocationem expressam in testamento, remissio ingratitudinis probatur. Neque in casu ab intestato præsumitur hæc remissio ex eo, quod quis censeatur christiane & sine odio velle decedere: nam exclusio ab hæreditate non est signum peccaminosi odii, sed tantum minoris benevolentiæ, & commeritæ castigationis. Dicunt quidem Leges 36.) quod cognatis ad successionem non obsit accusatio Cognatorum, quæ alias esset sufficiens causa ad exhæredandum fratrem. Sed sciendum, quod tempore hujus Legis nondum fuerint determinatæ causæ ingratitudinis. Dein potest hæc Lex hodie intelligi de Cognatis ulterioribus, quibus objici non

35.) Hoc desumitur ex L. 18. §. 1. ff. famil. erciſc.

36.) L. Cognatis. 6. ff. unde Cognati.

non poteſt ingratitudo in Novellis Statuta 37.).

§. 545. Similis præſumptio de contraria voluntate defuncti locum habere videtur, quando Hebræus fidem Christianam amplexus, poſt baptiſmum ſine teſtamento moritur: nam ejus fratres aut alii proximi Agnati Judæi videntur excludendi a ſucceſſione, cum præſumendum non ſit, quod ejusmodi baptizatus bona ſua relinquere velit Agnatis Hebræis, a quibus ſcit, ſe mille maledictis devoveri. Dein Judæi, utpote ſervilis conditionis, & infami macula notati, non gaudent aliis juribus inter Chriſtianos, quam quæ expreſſe indulta ſunt: inter hæc non reperitur ſucceſſio in bona Chriſtianorum 38.): quamvis viciſſim Judæus Baptizatus

An Hebræus ſuccedat Agnato baptizato?

37.) Nonnihil mutatam figuram hujus caſus reſolvit Card. DE LUCA de Succeſſ. ab inteſt. diſcurſ. 27.

38.) Vid. Diſſertatio Bambergenſis D. DITTERICH de Judæo fratri ſuo haud ſuccedente.

ſuccedat Agnatis ſuis in Judaiſmo pertinacibus 39.).

Quis Clericis ab inteſtato ſuccedat?

§. 546. Hucusque dicta potiſſimum ad Laicos pertinent. Porro Clerico inteſtato in Bonis patrimonialibus ſuccedunt Agnati, ſicut aliis Laicis 40.): in Bonis acquiſitis ex reditibus Eccleſiaſticis, de Jure communi ſuccedit Eccleſia, cui ſervivit Clericus, excluſis aliis hæredibus legitimis 41.): & quidem ſi fuit in aliquo Collegio, huic ſucceſſio competit: ſi habuit reditus a Collegio ſeparatos, ut Epiſcopus, Parochus &c. Bona cedunt Eccleſiæ, vel Succeſſori in Beneficio, cum obligatione diſtribuendi in uſus pios. In iis locis, in quibus Clericis conceditur libera facultas teſtandi etiam de Reditibus per Eccleſiam acquiſitis; plerumque etiam conceditur, ut inteſtatis ſuccedant proximi conſanguinei, etiam in Bonis Beneficialibus; quæ conſuetudo non

39.) Vid. Jodoc. Beck de Jurib. Judæor.

40.) C. 1. de Succeſſ. ab inteſt. ubi verba, *donare eis liceat, cui voluerint, dum vivunt*, intelliguntur etiam de teſtamentaria diſpoſitione.

41.) C. 1. & fin. de Pecul. Cler. C. 7. & 12. de Teſtament.

non aliter laudatur, niſi ſub iſto onere, ut ejusmodi hæredes impendant hæc bona ad eos fines, ad quos impendere tenebatur Clericus.

§. 547. Circa Bona Religioſorum obſervandum eſt I. quod Bona Novitii, qui nulla diſpoſitione facta obiit, perveniant ad conſanguineos eiusdem, qui de jure ab inteſtato veniunt. II Profeſſo, qui ante Profeſſionem de bonis ſuis non diſpoſuit, ſuccedit Religio, ſi per regulas ſuas ſucceſſionis eſt capax: ſi Religio ſit incapax, devolvuntur ad hæredes ab inteſtato venientes. Poſt Concilium Tridentinum omnia Monaſteria Regularium habent jus ſuccedendi ſuis Profeſſis, præter Domus Societatis Jeſu, & Monaſteria Fratrum Minorum de Obſervantia & Capuccinorum. Regula quidem univerſalis eſt, quod Monaſterium ſuccedat in omnibus Bonis ſui Religioſi: nihilominus aliter ſæpe ſentiendum eſt in certis juribus, feudis, bonis Emphyteuticis, Majoratibus &c. de quibus ut hoc loco fuſius loquamur, opportunum non eſt 42.). Horum autem

Quis Religioſis?

42.) Vid. P. Schmalzgruber ad Tit. de Succeſſ. ab Inteſt. n. 70. ſeqq.

autem Bonorum dominium & poſſeſſio in Monaſterium tranſit abſque nova apprehenſione, quia Monaſterium in ea Bona ſuccedit non jure hæreditario, tanquam proprie dictus hæres, ſed jure cujusdam acquiſitionis naturalis: *ingredientem namque ſimul ſequuntur omnino res* 43.). & *Ingreſſi Monaſterio ipſo ingreſſu ſe ſuaque dedicant* 44.). Bona autem, quæ Profeſſo forte per hæreditatem vel Legatum obveniunt poſt editam Profeſſionem, tranſeunt in Monaſterium per acceptationem & poſſeſſionem, non quidem mediante ipſo Profeſſo, ſed immediate per ipſum Monaſterium, etiam inſcio vel invito Profeſſo apprehenſam. Sicut enim per Profeſſionem omnia Monachi jura & Bona in Monaſterium transferuntur, ita etiam jus & voluntas adeundi hæreditatem, vel acceptandi Legatum aut Donationem. Cum igitur nemo poſſit habere jus & voluntatem adeundi hæreditatem poſt mortem ſuam; ideo etiam Monaſterium poſt mortem ſui Religioſi non habet jus ſucce-

43.) Novell. 5. c. 5.
44.) Auth, ingreſſi. C. de SS. Eccleſ.

ſuccedendi ejusdem Parentibus vel Agnatis 45.). Si tamen Profeſſus haberet Liberos, aut Aſcendentes in ſæculo, deberetur ipſis Legitima ex ejus Bonis ante Profeſſionem poſſeſſis 46.), & quidem mox poſt Profeſſionem tradenda 47.). Fatemur, quod Jus Monaſterii in Bona Profeſſi ſui proveniat ex Legibus humanis: nihilominus ejusmodi jura & Privilegia Eccleſiis legitime ab Imperatoribus conceſſa & acceptata, non poſſunt pro lubitu aufferri.

§. 548. Ut locus ſit ſucceſſioni ab inteſtato, requiritur ut is, de cujus ſucceſſione agitur, obierit, & ut inteſtatus obierit, ita ut nullum condiderit teſtamentum, vel ſolummodo invalidum, aut validum quidem, *Quando locus ſit ſucceſſioni ab inteſtato?*

45.) Ex ſimili ratione quidam, ante annos non multos renuebat admittere Monaſterium ad ſucceſſionem ex perſona ſui Profeſſi Apoſtatæ, utpote qui per Apoſtaſiam incapax eſſet ſucceſſionis, æque ac naturaliter mortuus.

46.) Novell. 123. c. 38. Auth. ſi qua mulier. C. de SS. Eccleſ. *C.* 9. XIX. q. 3.

47.) P. Schmalzgruber ad hunc tit. n. 81.

ſed tale, quod ob reſciſſionem a Judice factam, vel alia ex cauſa effectum non habuit. Ex principiis aliunde notis facile innoteſcit, cui incumbat probatio, aut pro quo ſtet præſumptio.

Spolii origo

§. 549. Opportunus hic locus eſt addendi brevem notitiam de *Spolio* in Bonis Clericorum. Spoliorum nomine his temporibus intelligimus Bona quæcunque, a quibusvis perſonis Eccleſiaſticis, intuitu Eccleſiæ acquiſita, juraque & actiones ac fructus inexacti, tempore obitus eorundem relicta, Cameræ Apoſtolicæ, vel iis, qui a Pontifice privilegium obtinuerunt, reſervata. Prima Spoliorum initia inde occaſionem ſumpſiſſe creduntur, quod Clericis, quibus ſola Beneficiorum adminiſtratio commendata fuerat, primis Eccleſiæ ſæculis, nulla prorſus teſtandi facultas, exceptis Patrimonialibus, competierit; & ideo relicta ipſorum Bona expoſita fuerint prædæ Laicorum, pauperum, Civilium Judicum, minorum Clericorum. His deprædationibus modus ponendus credebatur per Epiſcopos, Principes, Reges, & Beneficiorum Patronos, quibus incumbebat

cura

cura cuſtodiendi & conſervandi Bona Eccleſiarum vacantium: hi tamen ipſi ſæpiſſime cum ea, quæ relicta deprehendebant, tum alia, tempore vacantis Beneficii obvenientia, in ſuos uſus convertebant.

Ex injuſtis deprædationibus.

§. 550. Non tantum inferiores Clerici, ſed etiam Epiſcopi & Romani Pontifices timere hanc labem debebant. Unde jam Sæculo V. Concilium Calcedonenſe Can. 22. ſub pœna exautorationis ſtatuere debuit, *non licere Clericis poſt obitum ſui Epiſcopi, res ad eum pertinentes diripere* &c. 48.). Romæ ejusmodi deprædatio contigit poſt mortem Honorii I. Papæ 49.), ubi Imperatoris Heraclii exercitus expilavit Eccleſiam S. Joannis Lateranenſis, quod perſuaſi fuerint milites, magnam auri argentive vim ab Honorio ibi conſtipatam eſſe. Similia tum Romæ, tum alibi ſæpius attentata fuiſſe, ex Hiſtoriis Eccleſiaſticis,

48.) Plures ejusmodi Canones refert THOMASSIN. vet. & nov. Diſcipl. Eccleſ. p. 3. lib. 2. c. 51. ſeqq.

49.) Sic refert ANASTASIUS Bibliothec. ad ann. 638.

cis, & Conciliorum Decretis colligitur 50.).

Episcopi utebantur hoc Jure:

§. 551. Sacrilega hæc attentata improbabant omnes: Prælati autem Regulares jus optimum se habere censebant ad ea colligenda, quæ Prioratuum ad majus Monasterium pertinentium Administratores Religiosi per cessum, vel decessum relinquebant. Non nisi excessus improbari merebatur 51.). Imitabantur Religiosorum exem-

50.) In Concilio Romano Anno 904. cap. 11. sic statuitur: *Quia scelestissima consuetudo inolevit, ut obeunte sanctæ Romanæ Ecclesiæ Sedis Pontifice, ipsum Patriarchium deprædari soleat; & non solum in ipso sancto Patriarchio, sed etiam per totam civitatem, & suburbana ejus talis bacchatur præsumptio; nec non quia & id inultum hactenus neglectum est; adeo ut omnia Episcopia eadem patiantur uniuscujusque Ecclesiæ obeunte Pontifice: quod ne ulterius præsumatur, omnimodis interdicimus. Quod qui facere præsumpserit, non solum Ecclesiastica censura, sed etiam Imperiali indignatione feriatur.*

51.) Concil. Salmuriense Anno 1253. Cap. 21. *Statuimus, ne Abbates, cùm contingit Priores suos cedere, aut decedere, Prioratus bonis suis audeant denudare; sed*

exemplum etiam Epiſcopi, & Bona Clericorum decedentium, ac tempore vacantis Eccleſiæ obvenientia, in uſus ſuos vertebant: quod Bonifacius VIII. 52.) prohibet, *niſi de ſpeciali privilegio, vel conſuetudine jam præſcripta legitime, ſeu alia cauſa rationabili, hoc eisdem competere dignoſcatur.* Privilegium quidem nonnulli Prælati Eccleſiæ ad initium Sæculi XIV. prætendebant contra Monaſteria & alia Beneficia ſuæ Diœceſis, quos reprehendit Clemens V. in Concilio Viennenſi 53.): Vere tamen conceſſa Privile-

ſed ſaltem tantum de prædictis bonis, futuris Prioribus dimittant, quod ipſi fratres & familia, uſque ad futuram collectam, de eisdem competenter ſuſtentari valeant, & domus Prioratuum refici, & in ſtatu debito conſervari.

52.) C. 9. de Offic. Ord. in 6. quæ Conſtitutio laudata & confirmata fuit a Concilio Conſtantienſi Seſſ. 39.

53.) Clement. un. de Exceſſ. Prælat. ubi arguuntur illi, *qui injuſte Abbates, Priores, ac alios Beneficiatos beneficiis ſuis privant, ut ſic fructus beneficiorum illorum percipere valeant primo anno, prætextu Privilegii, quod aſſerunt ſe habere, quod*

vilegia ejusmodi multa legimus, Episcopo Altissiodorensi 54.): Episcopo Tullensi ab Honorio III. per biennium Anno 1223. pro relevatione oneris debitorum 55.); alteri cuidam per quinquennium a Bonifacio VIII. propter debita solvenda 56.). Antiquius & magis singulare fuit Privilegium, quod Alexander III. dedit Rogero Eboracensi Archiepiscopo, ut si Clericus suæ Jurisdictioni suppositus, agens in extremis, testamentum conficeret, & propriis manibus Bona sua moriens non distribueret, Archiepiscopus haberet facultatem injiciendi manus in Bona defuncti. Justo autem Dei judicio Bona hujus Archi-

---

quod usque ad certum tempus fructus Beneficiorum vacantium possint percipere primi anni: quibus non contenti, equos, boves, thesaurum, & alia Bona Monasteriorum & Beneficiorum vacantium illicite occupant, quæ essent futuris successoribus reservanda.

54.) C. 18. de Verb. Signif. cujus pars continetur in C. 13. de Testament. de quo mentio facta est supra §. 462.

55.) C. 32. de V. S.

56.) C. 10. de Rescript. in 6. ad initium Sæculi XIV.

Archiepiſcopi poſt mortem ſunt fiſco illata 57.). Ex eadem poteſtate Papa concedit licentiam & facultatem ad pias cauſas teſtandi, & diſponendi de rebus & fructibus per Eccleſiam acquiſitis 58.). Item reſervat aliis penſiones ſuper fructibus quorumcunque beneficiorum.

§. 552. Romani Pontifices, cum ſe ſupremos Bonorum Eccleſiaſticorum Adminiſtratores agnoſcerent, jure ſuo ejusmodi privilegia pro rerum ac temporum exigentia concedere poſſe credebant. Multo magis ſibi licere judicabant, ut in ſui ſuſtentationem, ſuarumque & Sedis Apoſtolicæ ac Romanæ Eccleſiæ neceſſitatum ſubventionem, diſponerent de fructibus & Bonis decedentium Clericorum, quæ Spolia vocantur. Tentavit id obtinere in Anglia Innocentius IV. ſed irrito conatu 59.). Gravior neceſſitas urgebat Pontifices tempore

Demum Romani Pontifices,

57.) Ita MATTHÆUS PARIS Hiſt. Angl. ad ann. 1181. m. fol. 134.

58.) C. 12. de Teſtam.

59.) Idem MATTH. PARIS ad ann. 1246. m. fol. 685. item MATTH. WESTMONASTERIENSIS ad eund. annum.

pore Schismatis Sæculo XIV. quando Pontifex unus in Italia, alter in Gallia, tertius demum in Hiſpania reſidebat, quilibet ſubſidii ad alendam Aulam ſuam indigus. Alexander V. in Concilio Piſano electus renuntiavit Juri Spoliorum 60.). Concilium Conſtantienſe declaravit, rationi fore conſentaneum, & Reip. accommodum, tales exactiones de cætero non attentari 61.). In Comitiis, in quibus electus eſt Eugenius IV. quilibet Cardinalis ſe obſtringebat, quod, ſi eligatur in Papam, bona decedentium nullo modo occupaturus, vel occupari paſſurus, ſed permiſſurus ſit fieri executiones juxta voluntatem decedentium, relinquendo conſcientiis eorum diſtributionem bonorum &c. 62.). Hoc tamen ſtatutum, prout & Jura alia ſequentium temporum, ſolummodo loquuntur de Bonis Cardina-

60.) Concil. Piſan. ann. 1409. Seſſ. 22. apud HARDUIN. tom. 8. col. 23.
61.) Conc. Conſt. ann. 1417. Seſſ. 39. apud HARD. tom. 8. col. 860.
62.) RAINALDUS ad ann. 1431. n. 6.

dinalium, aut Prælatorum in Curia decedentium 63.).

§. 553. Circa alios extra Curiam Romanam decedentes, ac præcipue minores Clericos in diverſis locis & Provinciis introductum eſt Jus Spolii Pontificii, vi cujus Bona Clericorum ex Reditibus Eccleſiæ collecta, item illicite & contra formam Sacrorum Canonum, forte per negotiationem vel per confidentias Beneficiorum prohibitas, a Clericis acquiſita, tanquam Spolia nomine Cameræ Apoſtolicæ per Collectorem poſt eorum obitum percipiuntur 64.); exceptis ornamentis Eccleſiæ, quæ ipſi

Sub certis restrictionibus.

63.) Plura exempla refert THOMASS. p. 3. l. 2. c. 57.

64.) Conſtitutiones formam huic Spolio deſignantes, PAULI III. JULII III. PAULI IV. PII IV. & PII V, exhibet NAVARRUS tom. 1. in Comment. de Alienat. rer. Eccleſ. ubi de Spoliis Clericor. Item GUILIELMUS REDOANUS tract. de Spoliis Eccleſiaſticorum. Modum eludendi exactores Spoliorum ſuggerit BARONIUS ad ann. 397. n. 54. ſi ſcilicet Clerici bona Eccleſiæ, quæ ſuperſunt, non congregarint, ſed in pauperes erogarint.

ipsi Ecclesiæ remanent; & supellectile domestica, licet ex reditibus Ecclesiæ acquisita, ut sunt scamna, mensæ, arcæ, dolia vacua &c. quæ iis in locis, ubi constiterunt, relinquenda sunt; item quæ a Clerico ex beneficiis vel pensionibus Ecclesiasticis, majorem reditum, quam triginta ducatorum de Camera non habente, relicta sunt; hæc enim Spoliorum nomine non continentur, ac proinde ad hæredes Clerici defuncti transmittuntur. Cum autem in Germania nostra solvi non soleant Spolia Clericorum Sedi Apostolicæ, ac proin Constitutiones Pontificiæ de illis usu receptæ non sint 65.): hinc opus non est, ut plura addantur. Nescio tamen, an ex singulari privilegio, an ex consuetudine proficiscatur, ut quidam Episcopi & Prælati Germaniæ hoc

65.) Henr. Canisius *Commentar.* ad Lib. III. Decretal. tit. 27. n. 50. Etiam in Hispania Juri Spoliorum renuntiavit Benedictus XIV. data aliunde compensatione per singularia Concordata inter Pontificem & Regem Catholicum inita.

hoc jus Spolii exercuerint, & adhuc exerceant in Bona Clericorum sibi subjectorum 66.).

TITULUS XXI.

GENERALIA PRINCIPIA DE PRÆSCRIPTIONIBUS.

Conf. lib. 2. Decretal. tit. 26. Sext. tit. 13.

§. 554.

Pro conservanda tranquillitate Reipublicæ

VARIOS hucusque recensuimus Contractus, & modos, quibus acquiruntur, vel alienantur Bona aut Jura Ecclesiarum. Frequenter contingit, dominium Bonorum his modis non transferri, forsan quod ipse, qui

66.) De Diœcesi Spirensi supra dictum tit. de Testamentis. §. 458. Not. 65. Pro Diœcesi Trevirensi consuetudinem Spolii anno 1397. abrogat Bonifacius Papa IX. apud Rev.mum De Hontheim Hist. Trevir. tom. 2. docum. 763. fol. 302. In Diœcesi Constantiensi exhibetur Bulla Martini V. anno 1420. data, per quam damnatur consuetudo, vel potius corruptela Spolii, per aliquos Beneficiorum Patronos in illa Diœcesi, exerceri soliti.

qui transferre constituit, dominus non fuerit: frequenter etiam, toto negotio rite peracto, post longiora temporis intervalla probationes deficiunt, quæ obtentum jus possint etiam in foro contentioso stabilire. Unde nullus litium finis, nec unquam obtinetur securitas contra importunos impugnatores. Provident igitur Leges de remedio, quo tuti reddantur possessores, etiamsi forte olim in acquisitione rei defectus aliquis intercessisset, vel saltem, etiamsi ad justam acquisitionem ostendendam, legitimis probationibus destituantur.

Introducta est Præscriptio.

§ 555. Remedium hoc venit sub nomine Usucapionis & Præscriptionis, quæ hodie ferme confunduntur. *Usucapio* apud Romanos dicebatur, qua quis rem capit & acquirit per usum, seu possessionem. Pertinebat hæc tantum ad fundos Italicos, in quos Dominium Quiritarium seu Legitimum cadebat, id est, qui tenebantur jure Romanorum. In supplementum inventa est *Præscriptio*, quæ se porrigeret ad prædia etiam Provincialia, in quibus solummodo dabatur Dominium natura-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

turale, seu Bonitarium, id est, quale Gentes omnes jure Quiritum non gaudentes, in suis prædiis obtinebant. Si quis utrumque dominium, scilicet naturale & legitimum habebat, is *pleno jure* dominus dicebatur 67.). JUSTINIANUS *antiquæ subtilitatis ludibrium* expulsurus, hanc differentiam sustulit 68.), eo solum discrimine relicto, quod Usucapionem proprie tantum de rebus corporalibus usurpemus: Præscriptionem autem etiam de incorporalibus & liberationibus.

Ejus Definitio:

§. 556. Usucapio juxta Leges Romanas 69.) est *adjectio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti.* Ut autem definitio accommodetur etiam Præscriptioni, dici solet, *modus acquirendi a Jure approbatus, quo per possessionem debito modo & tempore continuatam obtinetur jus aliquod,*

67.) THEOPHILUS Paraphras. græc. Instit. l. 1. tit. 5. §. 4. item Ex Corpore Ulpiani tit. 1. §. 16.

68.) L. un. C. de nudo jure Quirit. toll. item L. un. C. de Usucap. transform.

69.) L. 3. ff. de Usucap.

Finis: *vel liberatio aliqua* 70.). Finis ejus est tranquillitas Reipublicæ, scilicet ut dominia rerum sint certa, & lites finiantur. Istud enim obtinetur, si quis acquirat firmum jus antea non habitum; vel liberetur ab aliqua obligatione, ita ut nemini liceat, illud jus posthac in dubium vocare, vel obligationem imponere.

Origo: §. 557. Nihil hac in re contra naturalem æquitatem fieri, fatentur omnes; cum æquissimum sit, ut commoda privatorum cedant tranquillitati publicæ. Unde sunt, qui originem Præscriptionis *Juri Naturali* tribuunt, alii *Juri Gentium*: ego convenientius tribuendam censeo Legibus positivis. Æquitati Juris Natura-

70.) Quando nominamus *Possessionem*, nolumus præjudicare illis, qui, ut infra apparebit, ad Præscriptionem privativam, seu ad obtinendam liberationem ab aliqua obligatione, nullam possessionem, sed solius cursum temporis requirunt: nam Possessionis vocem hoc loco non stricte sumimus pro rei detentione; sed pro aliquo, quod veræ possessioni æquivalet, ut suo loco dicetur.

turalis satisfit, dicendo, Legislatoribus & Populorum Moderatoribus competere potestatem stabiliendi modos illos, quibus obtineatur tranquillitas Reipublicæ: ut autem hic ipse modus, quem Præscriptionem seu Usucapionem vocamus, Jure Naturali, vel saltem ex mutua Gentium conventione ante Leges positivas viguisse dicatur, verosimile non videtur. Nam opinio, quæ in Jure Naturali originem Præscriptionis quærit, fundatur potissimum in præsumpta derelictione: præterquam autem, quod plerumque derelictio rei suæ prudenter præsumi non possit; notum etiam est, quod modus acquirendi dominium per derelictionem, omnino diversus sit a Præscriptione: derelictio enim fundatur in propria voluntate abdicante & deferente rem suam; proin locum non habet in ignorante, qui sicut non habet consensum, sic neque animum derelinquendi: præscriptio autem contra invitum ex dispositione legum procedit, & plerumque contra ignorantem, qui male existimatur derelinquere rem suam. Nec ad Jus Gentium confugere possumus. Om-

nes fatentur, tempus, titulum, poſſeſſionem & alia ad Præſcriptionem requiſita, determinari a Legibus Civilibus cujusvis populi: qua fiducia igitur una gens contra alteram ſtabiliet Præſcriptionem ſuam ex propriis Legibus, quas alter populus non agnoſcet? quid emolumenti jus Gentium pro tranquillitate afferet, allegando Præſcriptionem, de cujus requiſitis quivis populus proprias Leges ſtatuendi poteſtatem habet? Inter Judæos Præſcriptio nullum habebat uſum 71.): aliæ quædam Gentes admittebant quidem Præſcriptionem inter Cives ſuos; negabant autem,

71.) Jephte Judic. C. 11. *non opponit* Ammonitis Præſcriptionem; ſed Regionem Amorrhæis ereptam dicit jure belli: Ammonitis autem jus omne negat ex *præſumptione*, trecentorum annorum ſilentio confirmata. Imo Præſcriptio, quæ daret jus perpetuum, erat contra Legem Moſaicam, quæ Levit. XXV. 8. ſeqq. omnes poſſeſſiones, etiam optimo titulo alienatas, jubebat anno quinquageſimo, ſeu Jubileo reverti ad antiquos poſſeſſores ſuos.

tem, & adhuc hodie negant exteris contra se 72.).

§. 558. Præscriptio I. alia est *Positiva*, qua res aut jus antea non habitum acquiritur: alia *Privativa*, qua alterius jus perimitur. II. *Memorialis*, quæ non excedit memoriam hominum viventium, scilicet *longi temporis*, decem annorum inter præsentes, viginti inter absentes; *longissimi temporis*, triginta aut quadraginta annorum: *Immemorialis*, cujus contrarii memoria in viventibus hominibus non extat. *Centenaria* non- *Divisio.*

72.) Antiqua Romanorum *Lex usum & autoritatem fundi jubet esse biennium.* Fragm. XII. Tabul. tit. 23. Nihilominus *adversus hostem* (id est, peregrinum) *æterna autoritas esto.* Ibid. §. 5. Sic hodie inter Galliæ Cives, sicut & inter Austriacos vigent Præscriptionis Leges: & tamen nec Gallia, nec Austria ab exteris contra se præscriptionem allegari patitur. De Hispania, testis est Ferd. Vasquius Illustr. Controv. lib. 2. C. 51. n. 38. Gallorum sensa prodit *Reunionum* Camera in Alsatia priori sæculo erecta, de qua vid. Pufendorf Rerum Brandenburgic. lib. 18. §. 14. seqq. Struv. Corpus Histor. Germ. Period. 10. sect. 11. §. 50.

nunquam refertur ad memorialem, nonnunquam ad immemorialem Præscriptionem. III. *Ordinaria*, quæ in præscribendis rebus mobilibus completur triennio; in immobilibus decennio aut vicennio; adversum actiones personales tricennio: *Extraordinaria*, quæ in certis casibus longius tempus requirit.

Quis & contra quem præscribere possit?

§. 559. Præscribere possunt omnes illi, qui juris activi sibi quærendi, vel juris passivi, aut obligationis, a qua liberentur, capaces sunt: ex communi consuetudine, non tamen ex Legibus Romanis, etiam pupilli, infantes, furiosi, per tutorem, Curatorem, Procuratorem, negotiorum gestorem subsecuta ratihabitione. Similiter præscribi regulariter potest contra omnes, qui capaces sunt juris activi, modo a Legibus non impediantur agere 73.).

Ob

73.) *Quis enim incusare eos potuerit, si hoc non fecerint, quod etsi maluerint, minime adimplere Lege obviante valebant?* L. 1. §. fin. C. de annali except. Regula generalis est: contra non valentem agere non currit præscriptio. Ubi non est nata actio, non currit præscriptio.

Ob tale impedimentum *juris* contra filiumfamilias quoad bona adventitia ordinaria; adversus uxorem stante matrimonio in bonis dotalibus ab alio possessis; contra eos, qui jus habent sub conditione vel die, antequam conditio aut dies extiterit, initium capere non potest Præscriptio. Impedimenta autem *facti* persecutionem jurium plerumque non prorsus impossibilem, sed difficiliorem reddunt; & si justa sunt, Prætor succurrit per Restitutionem in integrum, & Actionem rescissoriam. E. G. Si quis Reipublicæ causa absit: quamvis etiam in multis locis ob ejusmodi impedimentum Præscriptio non currat.

§. 560. Ad legitimam Præscriptionem requiritur I. Bona Fides. II. Justus Titulus. III. Possessio. IV. Tempus. V. Res non vitiosa. *Requiritur ad Præscriptionem*

§. 561. I. *Bonam Fidem* habet, qui sincere existimat, se nihil agere contra jus alterius. Sic sentire videtur INNOCENTIUS III. in Concilio Generali, ubi definitur, *ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ* 74.). Nam quam- *I. Bona Fides.*

74.) C. fin. de Præscript.

primum alicui innoteſcit, ſe rem tenere alienam, mox conſtituitur in mora, & absque ulla interpellatione obligatur eam reſtituere: id ſi negligit, juris favorem non meretur. Nec attendendæ ſunt Leges Civiles, quæ admittere videntur Uſucapionem, modo ab initio bona Fides adfuerit 75.): in eo tamen obſervandæ & laudandæ, quod præter Fidem *Theologice bonam*, qua quis ſine peccato poſſidet, requirant etiam Fidem *Juridice ſeu civiliter bonam*, quando ſcilicet Jus Civile Præſcriptionem vel Poſſeſſionem non prohibet, ſed potius ratam habet 76.). Dubium antecedens, vel ſuperveniens non tollit bonam Fidem, ſi dubitans, adhibita ad veritatem inquirendam morali

75.) L. 48. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. L. 44. §. 2. ff. de Uſurpat. & Uſucap. L. un. v. hoc tantummodo obſervando. C. de Uſucap. transform.

76.) L. 24. pr. ff. de Uſurp. & Uſucap. Exemplum Fidei civiliter malæ datur in L. 41. ff. ibid. ſic etiam poſt litis conteſtationem cenſetur quis pro foro externo eſſe malæ Fidei poſſeſſor. L. 25. §. 7. ff. de Hæred. petit.

rali diligentia, non potuerit alium dominum comperire, & aliquo principio reflexo suam conscientiam possit tutam reddere, ut rem accipiat, aut retineat. Error *facti* regulariter malam fidem non inducit, quia ad Præscriptionem etiam Titulus existimatus sufficit 77.). Error autem Juris liquidi, non tam ob defectum bonæ Fidei, quam ob defectum Tituli impedit Usucapionem: nonnunquam tamen mala Fides præsumitur, quia Error Juris liquidi non est verosimilis.

§. 562. Mala Fides possessoris nocet successori universali, ut etiam hic ordinario tempore non possit præscribere, etsi sit in bona fide Theologica: non enim censetur esse in bona fide Juridica, quia fictione Juris repræsentat defunctum. Præscribit tamen ejusmodi successor longissimo tempore, & in iis circumstantiis, in quibus juxta Leges Civiles potuisset præscribere defunctus, scilicet

Nam mala unius nocet sæpe etiam alteri.

77.) Error in facto proprio non toleratur. L. 7. ff. ad SC. tum Vellejan.

licet si mala fides ei solummodo superveniſſet: nam in tali casu non obstat Jus Canonicum successori, utpote qui absque peccato possidet. Cum tamen successor universalis solummodo *fictione Juris Romani* repræsentet personam defuncti; hæc mala fides ficta passim, præsertim de Jure Canonico non attenditur, modo successor semper sit in bona fide, & præscriptionem inchoet a seipso, computato etiam tempore hæreditatis jacentis, cujus adita possessio retrotrahitur ad tempus mortis. Successor singularis, rem ex empto, legato, aut simili particulari titulo accipiens, non repræsentat personam Autoris, a quo accepit; unde etiam ob hujus malam fidem non impeditur præscribere 78.). Si Communitas rem acquirat, & potiora ejus membra esse alienam agnoscant; vitium hoc purgabitur, si successores bona fide continuent possessionem lon-

78.) Ad res immobiles præscribendas tricennale tempus in successore particulari requirit Novella 119. c. 7. quando Autor fuit in mala fide.

longissimo tempore; cum isti habeant solummodo fidem malam fictam, ad quam non attendit Jus Canonicum: Jus autem Civile longissimi temporis præscriptionem etiam cum mala fide admittit. Si ex duobus eandem rem communiter possidentibus, unus in bona, alter in mala fide sit: iste quidem nullo modo præscribit; prior autem non quidem totaliter præscribit, sed saltem quatenus possidet. Si Tutor aut Procurator mala fide capit possessionem; magis placet opinio, quod non possit usucapere Pupillus aut Dominus: licet enim dolus tutoris aut Procuratoris his non noceat, attamen nec debet prodesse 79.): si tamen Pupillus bona fide emat consentiente Tutore, aut Dominus mandatum de re emenda Procuratori dederit; mala fides Tutoris aut Procuratoris non obest Usucapioni. Si Prælatus Ecclesiæ rem comparavit, ejus mala fides nocet Ecclesiæ, nisi hæc post mortem Prælati longissimo tempore pergat bona fide possidere; si vero communi Ecclesiæ consensu res com-

79.) L. ult. §. 1. ff. de eo, per quem factum erit &c.

comparata sit, mala fides Prælati non obest Præscriptioni Ecclesiæ. In judicio regulariter nec probari, nec allegari debet bona Fides, quia hæc præsumitur: hinc qui dolum allegat, eum probare debet. Possunt tamen occurrere aliquæ conjecturæ, ex quibus mala fides detegi ac probari potest 80.).

II. Justus Titulus,

§. 563. II. Secundo loco ad Præscriptionem requiri justum Titulum diximus. *Titulus* est causa, ex qua rem habemus: habemus autem vel ex Titulo *translativo dominii* aut juris realis, qui scilicet suapte natura, nisi quid aliud obstet, habilis est ad transferendum tale jus, uti Emptio, Donatio, Legatum &c. vel *non translativo dominii*, uti Locatio, Commodatum &c. Titulus translativus dominii, *verus* est, quo vere & actu transfertur dominium vel jus reale: *non verus*, seu *apparens*, per quem videtur jus translatum, cum tamen trans-

80.) Ejusmodi conjecturæ recensentur apud Menoch. de Arbitr. cas. 225. Mascard. de Probat. Vol. 3. Lit. M. concl. 1004.

translatum non sit. Hic vel est *fictus*, qui mere simulatur, uti cum res donatur, & simulatur Emptio Venditio: vel *Coloratus*, uti si rem emam a non domino: vel *Existimatus*, qui erronea opinione creditur interceſſiſſe: vel *Præsumptus*, quem ipsæ Leges ex possessione longissimi temporis interveniſſe præsumunt. *Verus* Titulus ad Præscriptionem non requiritur 81.), nisi forte, quando verum dominium probari non potest, confugiendum sit ad possessionem diu continuatam. Reliqui Tituli sufficientes ad Præscriptionem, vocantur *justi*. Talis est Titulus *coloratus*, qui ex suapte natura esset translativus dominii; sed actu non transfert ob aliquod impedimentum, præcipue ob defectum dominii in transferente. Huc pertinent multæ Rubricæ in Corpore Juris, *pro Emptore*, *pro Donato*, *pro Legato &c.* Titulus *existimatus* plerumque censetur sufficere ad Præscriptionem, modo sit rationabi-

81.) *Quia quod proprium est, amplius ejus fieri non potest.* §. 10. Inst. de Legatis.

nabilis, & fundatus in errore facti alieni 82.). Titulus *præsumptus* regulariter sufficit ad Præscriptionem temporis extraordinarii, nisi præsumptio malæ fidei stet contra præscribentem, aut Jus resistat, & possessionem rei præscribendæ positive prohibeat: in Præscriptione autem immemoriali nullus titulus probari debet, etiamsi Jus resistat. Qui igitur longissimo tempore possidet, consultius nullum allegat titulum, quam malum & jure invalidum, nam nullo allegato præsumitur quilibet optimus: allegato autem invalido, suspicio est de mala fide. Imo si probari possit, rem intra triginta vel quadraginta annos possessam aliquando esse titulo vitioso, forte ex locatione, non facile præsumitur alius melior, nec poterit pro tali casu allegari tempus immemoriale.

§. 564.

82.) L. 33. §. 1. ibi: *si justam causam habuerit existimandi &c.* ff. de Usurp. & Usucap. L. 11. Pro Emptore. L. ult. §. un. Pro suo.

§. 564. Tituli justi singillatim sunt α) *Pro Emptore.* Sic usucapit, qui rem ab alio non domino, vendendi tamen jus habente, bona fide absolute emit, aut emptam probabili errore existimat. β) *Pro Hærede*, qui vel continuat Titulum, quo defunctus jam possederat: vel cum vere hæres non esset, res hæreditarias tanquam ad se hæreditario jure pertinentes possidet, quod refertur ad Titulum existimatum: vel *rem aliquam ex hæreditate esse putat, quæ non sit* 83.). γ) *Pro Donato*, qui possidet rem sibi a non domino donatam, modo donatio non ipso jure sit prohibita, vel annullata 84.). δ) *Pro derelicto*, qui occupat rem pro derelicto habitam a non domino. Non tamen facile existimare quis potest, rem vere esse derelictam, cum nemo præ- *Cujus variæ sunt species.*

83.) L. 3. ff. Pro hærede.

84.) Donatio inter conjuges non præbet titulum præscribendi contra donatorem: si tamen res aliena fuisset donata, unde donans conjux non fit pauperior, præscriptio curreret contra verum rei dominum. L. 1. §. 1. & 2. l. 3. ff. pro Donato.

præsumatur rem suam jactare. ε) *Pro Legato*, cui res aliena legata ac tradita fuit, vel qui non traditam rei possessionem ipse sine vitio ingressus est: item cui res propria defuncti legata est, ex imperfecto tamen testamento, vel legato per Codicillum revocato, modo Legatarius per justum facti errorem ignoraverit vitium testamenti, vel legati ademptionem. ζ) *Pro Dote* usucapit maritus, qui in dotem accepit res alienas, aut cum alio communes. Emolumentum autem usucapionis soluto matrimonio redit ad uxorem. η) *Pro Soluto* specialiter usucapit, cui res aliena traditur in solutionem ex generali titulo debendi, non assignato ullo titulo speciali: currit autem hæc brevioris temporis præscriptio tantum contra verum dominum istius rei; debitor enim, qui solvit rem indebitam, sive propriam, sive alienam, habet condictionem indebiti per 30. annos. ϑ) *Pro suo*, quatenus hic est Titulus specialis, usucapit, qui rem alienam bona fide possidet ex justa causa ad conferendum dominium apta, quæ tamen ad speciales Usucapionis Titulos jure non

fuit

fuit relata. *Hoc enim modo possidemus omnia, quæ mari, terra, cælo capimus, aut quæ alluvione fluminum nostra fiunt: item quæ ex rebus alieno nomine possessis nata possidemus, veluti partum hæreditariæ aut emptæ ancillæ pro nostro possidemus: similiter fructus rei emptæ, aut donatæ, aut quæ in hæreditate inventa est* 85.). Ad hunc igitur Titulum referri possunt omnes alii modi, quorum specialis mentio non fit in Legibus, uti pro transacto, pro judicato, pro noxæ dedito, pro cesso &c.

§. 565. Tertium requisitum ad legitimam Præscriptionem est *Possessio*. De hac alibi fusior occurrit tractatio: prout autem ad Præscriptionem *positivam* requiritur, potest dici detentio alicujus rei, vel usus alicujus juris, animo illam rem vel jus sibi habendi, juris adminiculo concurrente. Rerum corporalium est *Possessio vere talis*, Incorporalium dicitur *quasi possessio*. Sic *vere* dicor *possidere* agrum, ædes, supellectilem, si hæc detineo, animo ea mihi habendi: *III. Possessio.*

85.) L. 2. ff. pro suo.

quasi possidere jus venandi per actus venationis bona fide tanquam jure meo exercitos. *Privativam* Præscriptionem supra diximus esse, qua alterius jus perimitur: omni autem juri alterius respondet mea obligatio: dum igitur alterius jus perimitur, simul ego ab aliqua obligatione liberor. Duplicis generis est hæc obligatio: nam aliquando obligor mere ad aliquid patiendum E. G. ut alter pecora agat per meum fundum, ut in muro suo fenestram aperiat versus hortum meum. Aliquando obligor ad aliquid præstandum vel agendum, E. G. ad solvendum debitum, ad restituendum Mutuum, etiamsi alter non exigat: quamvis enim non tenear solvere hoc die, nihilominus hoc die teneor, quocunque demum tempore solvere.

Etiam in Præscriptione privativa

§. 566. Ab ejusmodi obligationibus ut per Præscriptionem me liberem, requiritur toto ad præscribendum necessario tempore aliquid Possessioni æquivalens. Et quidem ut præscribam obligationi ad patiendum, requiritur, ut dum alter jure suo vult uti, ego bona fide illi resistam, & ille acquiescat: hac enim ratione con-

constituor in quasi possessione libertatis, in qua si quiete pergam per debitum tempus, ego omnino liberor ab obligatione, & alter privatur jure suo. Sæpe obtinemus ejusmodi libertatem ab aliqua obligatione, non ex vera præscriptione, sed ex præsumptione, quod alter renuntiet juri suo: & hanc præsumptionem nonnunquam faciunt ipsæ leges, ita ut nulla admittatur probatio in contrarium. Sic perdit Civitas jus Nundinarum a Principe concessum, si per decennium eo non utatur: sic perduntur servitutes rusticæ, quibus quis per decennium non est usus; & prædium serviens fit omnino liberum, non quidem per Præscriptionem vere dictam, sed ob præsumptionem a Legibus factam, quod possessor prædii dominantis jus istud parum æstimet & negligat. Has autem præsumptiones juris non possumus pro arbitrio nostro extendere ad alias materias non expressas. Leges enim solent id præsumere in quibusdam materiis, ubi non ex jure omnibus communi, sed ex speciali concessione facultas agendi tribuitur, & ad certum tempus restringitur.

Ad tollendam obligationem.

§. 567. Si vero obligatio sit non ad aliquid mere patiendum, sed ad aliquid præstandum & agendum, loco possessionis ad præscribendum requisitæ, necessaria est sincera opinio, me nihil debere. Per Præscriptionem enim privativam deberem obtinere imunitatem a debito; proin toto illo tempore, quod ad præscribendum requiritur, debeo bona fide quasi possidere hanc immunitatem & libertatem a debito; id est, debeo sincere opinari, me alteri nihil debere: sicut in Præscriptione positiva rei vel juris, debeo sincere credere, me nihil habere aut agere contra jus alterius. Hac ratione verum universim est: *sine possessione præscriptio non procedit* 86.). Desumitur hæc Regula Juris Canonici ex Legibus Civilibus 87.), ubi dicitur: *sine possessione usucapio contingere non potest.* Sicut Usucapio est proprie rerum corporalium, ita etiam hæc Lex intelligi potest de possessione rei corporalis: sicut autem Usucapio & Præscriptio

86.) C. 3. de Reg. Jur. in 6.
87.) L. 25. ff. de Usurpat. & Usucap.

scriptio ad incorporalia jura & liberationes se extendens hodiernis Legibus confunduntur, ita etiam requisita ad Usucapionem, accommodari debent cum proportione ad Præscriptionem, ita ut solum triginta annorum silentium, & non usus ad veram *Præscriptionem* sine aliis requisitis non sufficiat, quamvis sufficere possit ad *præsumptionem* derelicti juris sui in illis materiis, ubi Leges expresse volunt, ut id præsumatur. Unde omnino provide Pontifex in allegata Regula loco Usucapionis ponit Præscriptionem, ut Regula conveniat omni Præscriptioni, etiam rei incorporalis, & liberationis.

§. 568. Possessio, ut effectum Præscriptionis operetur, non debet solummodo esse *naturalis*, qua quis rem detinet, sine animo eam sibi habendi. Sic Commodatarius detinet librum, creditor detinet pignus, non tamen habet animum sibi habendi; sed potius verus dominus hæc possidet per Commodatarium vel Creditorem. Debet igitur esse *Civilis*, qua quis rem detinet, animo eam sibi habendi. Hæc vel est *bonæ fidei*, quando quis credit, rem esse suam, vel se

Hæc debet esse Civilis: bonæ fidei: justa:

jure agere, aut jure alterum prohibere: vel *malæ fidei*, si quis sciat, se non habere jus. Requiri possessionem bonæ fidei, ex supra dictis constat. Alia est possessio *justa*, quæ acquiritur titulo ad transferendam proprietatem de se habili, licet forte id mala fide fiat: alia *injusta*, quæ ejusmodi titulo caret. Possessionem justam in Ordinariis Præscriptionibus requiri, patet ex dictis de Titulo §. 563.

Continua. §. 569. Possessio debet esse continua, nimirum vel continuata ab una persona, vel a pluribus sibi succedentibus: Leges enim permittunt conjungi tempora possessionis inter defunctum & hæredem, inter venditorem & emptorem, aliosque successores universales aut particulares, modo prior possessor in bona fide fuerit. Hæreditatis jacentis possessio censetur continuari, adeo ut cœpta a defuncto Usucapio, etiam ante aditam hæreditatem impleri possit, si forte tempus Usucapioni præstitutum ante aditionem finiatur. Si probetur Possessio illius temporis, quo inchoari oportebat Præscriptionem; præsumitur Possessio hucusque continuata,

tinuata, nisi clare probetur interruptio: interrumpitur autem etiam per Possessionem mala fide ab alio præreptam. Regula igitur universalis est, *tantum præscriptum, quantum possessum.* Si res conjuncta ex pluribus partibus, E. G. domus, possideatur tantum quoad unam partem, forte quoad unum aut alterum cubiculum, etiam Usucapio procedit tantum quoad hanc partem, reliquis partibus apud dominum priorem manentibus. Imo qui ædes possederit & usuceperit, non censetur usucepisse singulas partes, puta lapides, ligna &c. proin diruta domo vindicari nequeunt hæ partes singulæ, nisi post demolitionem speciali Usucapione acquirantur 88.).

§. 570. Quartum requisitum ad *IV.* Præscriptionem est *Tempus.* Antiqua *Tempus* Jura Germanica plerumque triginta *Præscri-* annos præstituunt 89.). Jure Ro- *ptionis*

88.) L. 23. ibid.

89.) In Decretione CHILDEBERTI Regis data circa Annum 595. n. 3. quoad res ad Ducem vel Judicem pertinentes constituuntur decem, in causa orphanorum

ordinarie: mano olim Usucapio quoad res mobiles anno, quoad immobiles biennio circumscriptum erat: jure novo annus in mobilibus in triennium; in immobilibus vero biennium in decennium inter præsentes, vel in vicennium inter absentes conversum fuit. Triennio igitur præscribitur res mobilis, cujuscunque valoris, nulla habita distinctione inter præsentes vel absentes. Si pignus in re mobili fuerit constitutum, potest quidem dominium ejus rei usucapi a tertio intra triennium, Creditor tamen retinet in ea jus pignoris. Quoad res immobiles distinguitur inter absentes & præsentes. Præsentes censentur, qui in eadem Provincia domicilium habent, hodie sub eodem Duce, Principe &c. Absentes, qui in diversis Provinciis domicilium habent

---

rum viginti, in omnibus aliis causis triginta anni. Leges Wisigothorum lib. 10. tit. 2. leg. 3. & 4. post triginta annos nullas causas moveri patiuntur: annis incarcerationis aut relegationis non computatis. ibid. leg. 6. Idem tempus præfigunt Capitularia Regum Francorum lib. 7. c. 248.

bent 90.): nec attenditur ad locum rei sitæ, ubicunque res posita sit, & in quacunque Provincia: nec attenditur ad personarum corporalem commorationem, si unus forte per longius tempus a loco domicilii absens sit: sed respicitur solum domicilium, quod uterque, scilicet ille, qui præscribit, & ille contra quem præscribitur, in eadem, vel in diversa Provincia obtinet 91). Clerici censentur præsentes, qui in eadem Diœcesi Beneficia, vel domicilia obtinent. Inter præsentes igitur requiritur

90.) L. fin. C. de Præscript. longi temp.

91.) Ad actualem personarum commorationem debere attendi, ex Novell. 119. C. 8. colligit P. Placidus Böckn in Appendice part. 1. Differt. 6. art. 1. n. 9. Sed decisio cit. Legis finalis, quæ est inter quinquaginta, adeo præcisa & clara est, ut Justinianus non videatur voluisse ab ea recedere, cum voces *absentes* & *præsentes* in dicta Novella æque possint intelligi de iis, qui domicilium in eadem, vel in diversa Provincia habent. Nec æquitas aliud exigit, cum ille, qui ex justa causa quoad personam suam longius abfuit, possit petere in integrum restitutionem.

ritur decennium; inter absentes vicennium ad Præscriptionem. Si rei præscribendæ dominus, in dicto sensu partim absens, partim præsens, fuerit, semper duo anni absentiæ reputantur pro uno anno præsentiæ, seu anni illi, quibus ex decennio absens quis fuit, debent duplicari 92.). Unde si octo annis fuerit præsens, & duobus absens, requiruntur adhuc duo anni, ut intra duodecim annos præscribatur contra illum, ac si per decem annos fuisset præsens. Hæ Præscriptiones per triennium, decennium aut vicennium, semper requirunt titulum.

Contra Ecclesias;

§. 571. Singulare quid statutum est ratione Fisci & ratione Ecclesiæ. Qui aliquid acquirit a Fisco, vel Ærario Augusti aut Augustæ, statim obtinet dominium, ita ut a nullo inquietari super ea re, ipse autem a quocunque vindicare eam possit 93.): ille autem, qui Jus in illa re sibi

92.) Clare hoc statuitur in cit. Nov. 119. c. 8. *alios tantos ei annos super decennium adjici, quantos ex ipso decennio absens fuit.*

93.) §. ult. Inst. de Usucap.

sibi competere censet, contra Fiscum intra quadriennium experiri poterit. Quod attinet res & jura Ecclesiarum, contra Romanam quidem Ecclesiam non præscribitur, nisi centum annis. De inferioribus Ecclesiis idem statutum erat 94.), sed postea correctum, ac tempus quadraginta annorum præfixum 95.), cui consentiunt recentiores Sacri Canones 96.). In hac quadragenaria Præscriptione regulariter non requiritur Titulus, sed is præsumitur, nisi Jus commune graviter resistat præscribenti, in quo casu desiderantur quadraginta anni cum titulo, & tempus immemoriale sine titulo, E. G. ad præscribendum jus decimandi adversus Ecclesiam Parochialem, Jus Patronatus adversus Ecclesiam liberam. Privilegium hoc quadragenariæ Præscriptionis extenditur ad Monasteria, Hospi-

94.) L. 23. pr. C. de SS. Eccles.
95.) Novell. 111.
96.) C. 4. 6. 8. de Præscript.

Hospitalia, aliaque loca Sacra & Causas pias.

Contra actiones reales: §. 572. Actiones reales, natæ ex jure in re, extinguuntur eo tempore, quo præscribitur ipsa res. Actio quod metus causa, quæ quidem est personalis in rem scripta, quatenus in simplum, & contra tertium rei possessorem instituitur, durat per triennium vel decennium, prout agitur de re mobili vel immobili: adversus eum autem, qui metum intulit, perpetua persecutio est. Hæreditatis petitio durat ad triginta annos, uti etiam actio hypothecaria contra malæ fidei possessorem; contra tertium bonæ fidei possessorem, aliis actionibus realibus æquiparatur: contra ipsum debitorem, ejusve hæredem quadraginta annis moveri potest, a die, quo debitum erat solvendum.

Et Personales. §. 573. Actiones personales rei persecutoriæ, sunt perpetuæ, hoc est, triginta annis competunt. Actiones Prætoriæ, quæ ex sua natura erant annales, ex Edicto D. Hadriani effectæ sunt perpetuæ, si mere contineant persecutionem: si vero

sint

sint rescissoriæ & dentur ad impugnandum actum jure Civili validum, sunt temporales, eisque communiter annuo spatio præscribitur Biennio præscribitur actioni de dolo: actioni redhibitoriæ intra sex menses: æstimatoriæ, seu *quanti minoris* & aliis restitutionibus in integrum, anno utili, qui nunc mutatus censetur in quadriennium. Querelæ inofficiosi, præscribitur quinquennio, a tempore hæreditatis aditæ currente. Actiones personales pœnales, si sint civiles ex delictis privatis, sunt perpetuæ. Actiones Ecclesiæ competentes extinguuntur centum, vel quadraginta annorum spatio, sicut de rebus Ecclesiæ diximus. Accusationi criminum regulariter præscribitur viginti annis, quoad crimina carnis per quinquennium. Exceptiones perpetuo durant, juxta vulgatam regulam, quod quæ temporalia sunt ad agendum, sint perpetua ad excipiendum, & quidem perpetuitate naturali, ita ut exceptio etiam post centum & plures annos opponi possit 97.). Hos diversos

97.) L. 5. seqq. C. de Exception. L. 5. §. ult. ff. de Doli mali except.

ſos temporum terminos ſub nomine Præſcriptionis referre placuit, quamvis non juxta Præſcriptionum Leges præfigantur; ſed potius juxta præſumptionem, qua quis renuntiaſſe juri ſuo, quod ad agendum habuerat, exiſtimatur. Nam præter enumerata, ſunt inſuper alia varia negotia, quibus certa momenta, horæ, dies, menſes, anni in Jure præfixi ſunt: ea autem hoc loco referre, libelli ratio non permittit 98.).

§. 574.

98.) Accurate hac de re ſcripſerunt EUSTATHIUS Anteceſſor græco idiomate περι χρονικων διαστηματων, quem tractatum JACOBUS CUJACIUS græce ſubjunxit ſuo Libro de Diverſis temporum Præſcriptionibus & terminis: LEUNCLAVIUS autem cum latina verſione edidit tomo 2. Juris Græco-Romani. Simili ordine id præſtitit JOAN. OLDENDORPIUS de Uſucapionum & Præſcriptionum temporibus. JOAN. CAROLUS ANTONELLUS de Tempore Legali. SAMUEL STRYCKIUS de Actionib. Forenſ. Sect. 4. Breviter hæc negotia & præfixa iisdem tempora recenſet P. BÖCKN in Append. de Præſcript. part. 1. Diſſert. V. Art. III. Huc referri utiliter poteſt ALBERICUS GENTILIS de diverſis temporum Appellationibus.

§. 574. Quinto loco ad Præscri- *V. res*
ptionem requiri diximus *rem aptam apta*
præscribi, seu *non vitiosam.* Regula *præscri-*
riter præscribi potest res omnis, cor- *bi.*
poralis, & incorporalis, mobilis ac
immobilis, publica vel privata. Præ-
scribi non possunt 99.) res sacræ,
sanctæ, publicæ, quatenus in com-
mercio humano non sunt, item li-
beri homines, aut res, quæ inex-
hauſtum usum præstant, uti Mare,
cujus dominium non potest præscri-
ptione obtineri 100.). Cum tamen
Ecclesia & Persona Ecclesiastica Ca-
licis consecrati, Laicus etiam rerum
sacrarum, Reliquiarum, Ceræ be-
nedictæ possessionem aliquam & pro-
prie-

99.) Juxta L. 9. ff. de Usurp. & Usucap.

100.) Si quis in diverticulo fluminis publici aliquot annis piscatus fuerit, an possit prohibere alterum in hoc diverticulo piscari? negare videtur L. 45. pr. ff. de Usurp. & Usucap. affirmare videtur L. 7. ff. de diversi. temporal. præscript. Aliqui in hac ultima Lege particulam *non* omissam putant: alii censent, eum, de quo loquitur Lex 45. non fuisse in actuali possessione, bene autem illum, cujus mentionem facit Lex 7. allegata. Vid. Cujacius ad cit. L. 45. Operum tom. 2. fol. 282.

prietatem habeat, eo modo res istæ sunt objectum Præscriptionis, sicut sunt objectum vindicationis. Fines Jure Civili præscribuntur triginta annorum spatio 1.): Jure autem Canonico a Præscriptione immunes sunt limites Provinciarum, Diœcesium, Parochiarum, quos legitima probatione, vel alias indubitata fide constiterit Ecclesiastica ordinatione statutos 2.). Si autem Fines incerti fue-

---

1.) L. ult. C. Fin. regund. an autem TRIBONIANUS huic Legi vim intulerit, prout putat GERARDUS NOODT ad eundem titulum Pandectarum, cum in L. 5. Cod. Theod. eod. tit. ex qua illa desumpta fuit, nulla triginta annorum mentio fiat: an vero *Autoritate* Justiniani Imperatoris aliquam mutationem fecerit, hujus loci non est judicare. Certe Imperator JUSTINIANUS in Decisione L. 1. §. 1. C. de Annali except. &c. in Causa *Finium regundorum* aperte approbat Præscriptionem triginta annorum.

2.) C. 4. de Paroch. C. 4. seqq. XVI. q. 3. Si tempore immemoriali quis obtineat fines alienæ Diœcesis, præsumitur ordinatio Summi Pontificis, cujus est determinare terminos Ecclesiarum.

fuerint, locus erit quadragenariæ Præscriptioni 3.). Res alienari prohibitæ, Præscriptioni subjacent, quamvis enim hæc sit species alienationis, censetur tamen esse alienatio in Legibus permissa. Si tamen alienatio sit singulariter prohibita in bonum Principis & Reipublicæ, uti Bonorum Domanialium & Fiscalium; ad præscriptionem requiritur tempus immemoriale. Jura Ecclesiastica non possunt præscribi a Laicis, utpote qui eadem possidere non possunt. Actus meræ facultatis non sunt obnoxii Præscriptioni: in explicatione autem horum actuum non conveniunt interpretes. Nos intelligimus facultatem pro libitu aliquid agendi, absque læsione alieni juris, non ex singulari concessione, sed ex communi omnibus jure eousque competentem, donec nos ipsimet cuiquam alteri, utilitatis suæ causa prohibenti, vel oppositum agenti acquieverimus,

3.) C. volumus. 2. XVI. q. 4. C. 9. de Præscript.

aut verosimilibus indiciis animum nos obligandi monstraverimus. His actibus meræ facultatis *res juris* opponuntur, quando facultas agendi per circumstantiam aliquam extrinsecam impeditur, scilicet Lege, Privilegio, Præscriptione &c. Sic potestas ducendi aquam per alterius fundum cuidam pro lubitu competens, transit in rem juris, quia Leges longo non usu amitti hanc servitutem statuunt. Item Jus Nundinarum, præsentandi ad Beneficium Ecclesiasticum, eligendi Prælatum, adeundi hæreditatem &c. non sunt actus meræ facultatis, quia competunt ex singulari concessione, quæ eorum usum ad certum tempus restringit. Insuper præscribi ordinario tempore non possunt res vitiosæ: tales sunt res furtivæ 4.), vi occupatæ 5.), contra Legem Juliam repetundarum acceptæ 6.). Si talis

res

4.) §. 2. Inst. de Usucap.
5.) L. 33. §. 2. ff. de Usurp. & Usucap.
6.) *Lex Julia repetundarum pertinet ad eas pecunias, quas quis in Magistratu, vel quo alio officio publico cepit.* L. 1. princ.

res ad possessorem bonæ fidei perveniat, extraordinaria solum Præscriptione, & longissimo tempore obtineri potest ejus dominium, nisi re furtiva in potestatem prioris domini reversa, vitium purgatum sit. *Unde in rebus mobilibus non facile procedit, ut bonæ fidei possessoribus Usucapio competat. Nam qui sciens alienam rem vendiderit, vel ex alia causa tradiderit, furtum ejus committit 7.).*

§. 575. Effectus Usucapionis aut Præscriptionis *positivæ* est acquisitio dominii, vel alterius juris: *Privativæ* effectus est, quod in altero jus perimatur, & præscribens liber evadat: idque fieri non tantum ope *Effectus Præscriptionis,*

princ. ff. de Leg. Jul. repetund. *Quod contra Legem repetundarum donatum est, non poterit usucapi.* L. 8. pr. ibid.

7.) §. 3. Inst. de Usucap. Statuta Bavariæ tit. 9. art. 7. admittunt præscriptionem ordinariam illius, qui bona fide emit rem furtivam, modo annos præscriptionis inchoet a seipso, non computando possessionem Autoris. Huic Statuto inhærent Annotationes in Codic. Civil. Maximil. p. 2. c. 4. §. 3. n. 2.

exceptionis, sed obligationem ipso jure cessare, videntur velle Leges, quæ triginta annorum jugi silentio vivendi ulterius facultatem actionibus negant, illasque extingui statuunt, ita ut alter sit liber, & plenissima munitione securus 8.). Cum tamen Præscriptio in Jure annumeretur Exceptionibus, & fini Legum abunde satisfiat, modo actio prioris domini per exceptionem elidi possit, humanius plane sentiunt, qui Præscriptionem dicunt esse Exceptionem Juris, quæ supponit aliquod jus, saltem naturale in Actore. Certe si Cajus rem suam mobilem casu aliquo perditam, post triennium rursus reperiat, repertamque sibi gratuletur; audiat tamen, illam per hoc triennium a Titio bona fide, & justo titulo possessam, consequenter præscriptam fuisse: difficulter Cajo, ceteroquin viro timorato, persuadebimus, ut Titium facti hujus ignarum, sponte accedat, remque illam, utpote cujus dominium per triennalem Præ-

8.) L. sicut. 3. & seq. C. de Præscript. 30. vel 40. annor.

Præscriptionem Titius acquisivit, restituat. In foro autem externo habet præscribens rei vindicationem, non tantum si casu res ad priorem dominum redeat, sed etiam si ipse præscribens, ex opinione, quod dominium non acquisiverit, restituisset priori domino.

§. 576. Unde jam surgit quæstio, an Præscriptio effectum suum habeat etiam pro foro conscientiæ, ita ut ille, qui rem alterius legitime præscripsit, eam tanquam suam, bona conscientia retinere valeat, etiamsi illi postea certo innotescat, rem hanc fuisse cujusdam alterius, a se autem colorato solum titulo acquisitam. Communis Interpretum sententia securum in conscientia jubet esse talem præscribentem. Difficile creditu est, Imperatores voluisse aut potuisse, Leges has suas extendere ad obligationem vel liberationem in foro conscientiæ. Negant omnem actionem contra præscribentem, hoc est, negant jus persequendi rem suam in judicio: quæ Legum dispositio solum respicit forum externum, sicuti in multis aliis negotiis non admittitur actio, licet maneat obligatio. *Etiam pro foro conscientiæ,*

tio in conſcientia. Facile enim per Leges Civiles tolli poſſunt actiones, quæ totam ſuam originem trahunt a Jure Civili 9.). Intendunt Leges tranquillitatem publicam & extinctionem litium: finis iſte pleniſſime obtinetur, modo poſt Præſcriptionem completam non admittatur actio, vel ſaltem per exceptionem facile elidi poſſit. Si quis autem habita rei alienæ notitia, ſe obligatum in conſcientia reputet ad reſtitutionem; per hoc neque turbatur Respublica, nec lis ulla oritur. Volunt Leges, ut dominia rerum ſint certa: prudentiſſimus hic legum finis eſt: atqui dominium rerum per longos annos ea certitudine ſtabilitur, quam Leges dare intendunt pro conſervanda Reipublicæ tranquillitate, ſcilicet ut nemini liceat pro vindicanda re litem intentare; cui Legum intentioni non obſtat obligatio reſtituendi in conſcientia, ſi obtineatur certa notitia de re non vero titulo acquiſita.

§. 577.

9.) L. 2. §. 6. ff. de Origine Juris.

§. 577. Quis enim sibi persuadeat, *Quem* Christianos Imperatores voluisse, ut *dare vo-*
mala etiam fide præscribens, secura *luit Jus*
conscientia rem alienam retineat, *Civile*,
quando Præscriptionem longissimi temporis cum mala etiam fide permiserunt, & Pontifices non nisi post multa sæcula reprobarunt. Iisdem verbis utuntur, dum disponunt de effectu præscriptionis cum bona, vel superveniente mala fide per longissimum tempus continuatæ: eosdem intendunt fines in admittenda utraque Præscriptione, tranquillitatem publicam, finem litium, dominii certitudinem: injuria Justinianum afficere viderer, si crederem, eum a peccato in conscientia absolvisse detentorem rei alienæ cum mala fide. Cum autem Ecclesia post plurium sæculorum lapsum deprehenderet, a multis male intelligi Leges, & conscientias relaxari; apertis verbis in Concilio Lateranensi non tam ipsi Constitutioni, quam *Consuetudini* ex siniſtra interpretatione ortæ derogatum est, atque definitum, *ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ* 10.). Igitur non so-

10.) C. fin. de Præscript.

ſolum conſcientiæ & æquitati, ſed etiam Legibus conformius videtur, ſi dicatur, in priore domino remanere dominium naturale, & præſcribentem obtinere dominium civile. Confirmari hoc exinde poteſt, quod autoritas tollendi dominium & jus quæſitum non niſi ſummo Principi ex cauſis publicis & graviſſimis competere cenſeatur 11.): & tamen autoritatem removendi præſcriptionem, & conſequenter tollendi jus per Præſcriptionem acquiſitum, ſibi ſumit Prætor, reſtituendo in integrum juxta arbitrium ſuum, *ſi qua mihi juſta cauſa eſſe videbitur* 12.). Sicut credibile non eſt, tantam poteſtatem conceſſam eſſe Judici inferiori: ita veroſimile non eſt, per Præſcriptionem ex intentione Legum transferri omne dominium tam naturale, quam Civile, etiam pro foro conſcientiæ.

§. 578.

11.) Vid. Petrus Anton. de Petra de Jure quæſito non tollendo per Principem.

12.) L. 1. §. 1. ff. Ex quib. cauſ. majores &c.

§. 578. Fateor, pro opposita o- *Et Ca-*
pinione non leve argumentum duci *noni-*
ex iis Juris Canonici decisionibus, *cum.*
quæ motas lites absque ulla limitatione juxta Legès Civiles terminant, nec ullam unquam mentionem obligationis in foro interno faciunt. Sed mirum non est, quod Romani Pontifices in materia Præscriptionis, quam a Legibus Civilibus originem suam trahere bene agnoverant, easdem Leges verbotenus sequi maluerint; cum nullam iniquitatem in iis apprehenderint, donec a nonnullis nimis liberali interpretatione non solum actiones extingui, sed etiam jus plenissimum acquiri, traditum animadverterent: & proin se obstrictos crederent ad præscriptionem cum mala fide apertius reprobandam, quam reprobationem etiam Tribunalia sæcularia pro foro externo hodie sequuntur. Id facile permitto, præsumptionem semper stare pro præscribente, consequenter hunc posse rem sibi retinere, nisi prorsus certo & liquide constet de alterius jure. Præsertim si res possessa fuerit immemoriali tempore; tunc non arguendum est ex Legibus Præscri-

ptionum, sed ex præsumptione justi & legitimi ac simul veri tituli, per quem ipsum dominium sit translatum absque ope Præscriptionis. Si igitur res per Præscriptionem acquisita, ad priorem dominum bona ratione redeat, difficile erit illum in conscientia condemnare ad restituendam rem illam præscribenti.

Impedimenta Præscriptionis.

§. 579. Si quis Præscriptionem impugnare velit, duo ipsi probanda sunt: primo, vitiosam esse præsentis possessoris possessionem: secundo, sibi jus aliquod in re controversa competere. Si prius illud probetur, nondum quicquam juris exinde nascitur Adversario; quippe cui adhuc obstat exceptio, *tua non interest*, removenda per Juris sui deductionem. Posterius probari nequit, nisi simul præsentis possessionis vitium indicetur. Nam etiamsi alter ipsum dominium sibi esse quæsitum probaverit, id tamen saltem evincet, quod dominium olim habuerit, non autem, quod adhuc eodem gaudeat; eum enim illud amisisse, indicio est præsens alterius possessio. Post hanc generalem observationem, notandi veniunt particulares modi Præscriptio-

ptionem impedientes I. Ut omnino non inchoetur. II. Ut suspendatur & dormiat. III. Ut interrumpatur. IV. Ut completa rescindatur.

§. 580. I. Mox initio Præscriptionem, ut inchoari non possit, impedit defectus bonæ fidei, tituli, possessionis, aut etiam vitium rei, uti ex dictis colligitur. Similiter obstat Præscriptioni Renuntiatio E. G. si venditioni additur pactum de retrovendendo, cum clausula, non debere facultatem reluendi aut revendendi ea, qua alias perimitur, præscriptione extingui. Licet enim Præscriptio introducta dicatur ob bonum publicum, immediate tamen cedit in bonum privatorum, qui proin illi renuntiare possunt, sicut de Senatus-Consulto Vellejano, & aliis beneficiis Juris dicitur. *I. Ut non inchoetur;*

§. 581. II. Suspendi & dormire Præscriptio dicitur, quando ejus initium, vel tempus jam elapsum, subducto medio, connectitur cum tempore futuro, quod fit tempore belli 13.), in quantum scilicet arbitrio Judi- *II. Ut suspendatur,*

13.) C. 10. de Præscript. Autores pro hac assertione passim allegant Recess. Imp.

Judicis impedita fuit facultas agendi. Extenditur id etiam ad tempus graſſantis peſtis. Intuitu Eccleſiæ dormit Præſcriptio, quando hæc viduata eſt ſuo Rectore 14.); aut quamdiu vivit Prælatus, qui læſit Eccleſiam, quia iſte non facile cenſetur revocaturus ſuum factum: *vel qui* ob excommunicationem, ſuſpenſionem, aut exilium defendere non poteſt: nam *juxta communem modum loquendi illa dicitur Eccleſia viduata, quæ licet Epiſcopum habeat, inutilem tamen perhibetur habere* 15.). Dormit etiam & ſuſpenditur Præſcriptio omnis contra Pupillos; Præſcriptio autem longi temporis contra Minores: ita ut anni ætatis pupillaris ad nullam 16.);

anni

Imp. de Anno 1654. §. 172. ſed illa Conſtitutio ſolummodo attingit debita, tempore belli Suecici contracta, ubi peculiares rationes pugnabant. Unde hæc ipſa Conſtitutio male allegatur pro aliis etiam caſibus circa uſuras, dilationem ſolutionis &c.

14.) C. 4. 14. 15. de Præſcript.

15.) C. 2. V. ſed neque illud. de Translat. Epiſc.

16.) *Pupillari ætate duntaxat huic eximenda ſanctioni.* L. 3. C. de Præſcript. 30. vel

anni autem ætatis minoris, non quidem ad longi temporis, bene tamen ad longissimi temporis præscriptionem computentur 17.).

§. 582. Neque audiendi sunt, qui putant, tempore minoris ætatis non inchoari quidem, sed tamen continuari jam contra alium inchoatam Præscriptionem decennalem vel vicennalem 18.): nam nova Decisio Justi-

Præcipue tempore minoris ætatis,

---

vel 40. annor. Jure Bavarico idem privilegium competit ætati minori, quod Jus Civile concedit Pupillari.

17.) *Humanius est, latius eandem legis interpretationem extendere, in omnibus casibus, in quibus vetera jura currere quidem temporales Præscriptiones adversus minores concesserunt, per in integrum autem restitutionem eis subveniebant, eas ipso jure non currere; melius etenim est, intacta eorum jura servari, quam post causam vulneratam, remedium quærere; videlicet exceptionibus 30. vel 40. annorum in suo statu remanentibus.* L. 5. C. in quibus caus. in integr. rest. necess. non est.

18.) Non audiendus Joan. Petrus Surdus Decis. 4. n 16. Dominicus Galesius de Restit. in integr. c. 2. n. 203. Zangerus de Except. p. 3. c. 10. n. 163. Card. de Luca de Judiciis discurs. 21. n. 38.

Justiniani nullum facit discrimen inter inchoandam, vel continuandam Præscriptionem; sed aperte statuit, Præscriptiones temporales, qualis est etiam Præscriptio decem vel viginti annorum, ipso jure non currere contra Minores in iis casibus, in quibus vetera Jura permiserunt quidem præscriptionis cursum, sed per in integrum restitutionem Minoribus subveniebant, cum melius sit intacta eorum jura servari, quam post causam vulneratam, remedium restitutionis quærere. Consequenter vult Justinianus, ut Præscriptio decem vel viginti annorum neque inchoari, neque continuari tempore minoris ætatis possit: at potius, etsi antea jam cœpta fuerit, interim dormiat & suspendatur, donec ille, contra quem præscribitur, attigerit majorem ætatem: tunc enim præscribens prioribus annis conjungit annos sequentes, donec compleatur numerus decem vel viginti annorum, qui contra Majorem fuissent requisiti 19.).

§. 583.

19. Sic statuit L. 3. C. quib. non obijc. long. temp. Præscript. quæ nunquam fuit correcta.

§. 583. Pro exemplo ponamus, rem immobilem patris bona fide & justo titulo possideri a Titio per quinquennium inter præsentes, adeo ut ad complendam Præscriptionem requiratur adhuc alterum quinquennium: mortuo autem patre succedit hæres impubes filius: in hoc casu suspenditur & dormit Præscriptio contra hunc filium, donec iste elapsis annis impubertatis & minorennitatis pervenerit ad annum vigesimum quintum ætatis: tunc enim pergit contra filium currere Præscriptio, contra patrem jam inchoata, eamque Titius complebit computando sequentes quinque annos, qui conjuncti quinquennio jam ante mortem patris elapso, conficiunt decennium, quod in casu proposito etiam contra Majorem fuisset necessarium. Ubi autem Præscriptio etiam contra Majores complenda esset triginta vel quadraginta annorum spatio, uti fit in possessione rei sine titulo: tunc sola dempta ætate pupillari, computantur anni minorennitatis, & post adeptam Majorennitatem pergitur computando usque ad annos triginta vel quadraginta. *Quod exemplo declaratur.*

ginta. In Priori casu fingamus, rem immobilem patris absque justo titulo, bona tamen fide a Titio possessam fuisse per quinquennium, adeo ut ad complendam Præscriptionem requirantur adhuc viginti quinque anni. Mortuo patri succedit filius impubes: contra hunc non curit Præscriptio tempore impubertatis: post annum autem decimum quartum ætatis progredietur Titii Præscriptio, computando annos minoris & majoris ætatis, donec compleantur anni triginta, quod fiet, quando dictus filius hæres attigerit annum quadragesimum ætatis suæ.

III. Ut interrumpatur Naturaliter,

§. 584. III. Interrumpi dicitur Præscriptio, quæ legitime inchoata, sed nondum completa, ita tollitur, ut præscribens necesse habeat, eam de novo inchoare, nec possit tempus præteritum conjungere cum futuro, *Naturaliter* interrumpitur, quando unum ex substantialibus requisitis cessat, ut bona fides, titulus, possessio; cum enim requiratur *continuata* possessio, infertur, præscriptionem omnibus illis modis interrumpi, quibus interrumpitur possessio: hæc autem vel *volentibus nobis* amittitur,

rem

rem derelinquendo, aut alteri tradendo, animo amittendæ possessionis: vel *nobis invitis*, si vi dejiciamur de possessione fundi, nec in continenti recuperemus; aut si mobilium possessio nobis per furtum aut rapinam intervertatur 20.). Quamvis autem per Judicis sententiam possessio postea recuperata fuerit, non computabitur prius tempus, sed post restitutam possessionem de novo usucapiendum erit 21.). Idem est, si fortuita amissione possessio interrumpatur, velut si *pecus aberraverit, aut vas ita exciderit, ut non inveniatur* 22.). Similiter certum est, *desinere me possidere eum locum, quem flumen aut mare occupaverit* 23.), scilicet inundatione diuturna, & non ex consuetudine, ut in Ægypto. Pariter etiam quasi possessio jurium interrum-

20.) L. 5. ff. de Usurpat. & Usuc.

21.) L. 7. §. 4. ff. pro Emptore. *Cum semel amissa fuerit possessio, initium rursus recuperatæ possessionis spectari oportet.*

22.) L. 3. §. 13. ff. de acquir. vel amitt. possess.

23.) Cit. L. 3. §. 17.

rumpitur per prohibitionem, cui possidens acquieverit; vel si iste per vim, aut facta contraria ab usu possessi juris impeditus fuerit. Id tamen utilitatis causa constitutum est, ut successor seu universalis, seu particularis continuare censeatur possessionem sui antecessoris, quamvis hæc revera abrupta sit 24.).

Vel Civiliter. §. 585. *Civilis* interruptio Præscriptionis est, quæ fit ex Juris autoritate, etsi nullum ex requisitis Præscriptionis deficiat. Quidquid sit de Jure antiquiore, recentiori Jure interrumpitur per citationem ad partis instantiam, a Judice competente decretam, & parti adversæ una cum submisso libello insinuatam 25.). Si tamen Conventus absolvitur, vel Actor a lite desistat, non intelligitur interrupta Præscriptio etiam intuitu Actoris: nam intuitu tertii hæc Civilis interruptio nihil operatur, modo possessio continuetur. Si secuta esset litis contestatio, regulariter requiruntur quadraginta anni ad præ-

24.) §. 12. seq. Inst. de Usucap.
25.) L. ult. C. de annal. except.

præscribendum contra Actorem, a die intermissæ litis. Extrajudicialis interpellatio, ac Protestatio, si judicialis fieri non potest 26.), aut quæ ex adductis verosimilibus rationibus merito malam fidem inducit, interrumpit Præscriptionem 27.).

§. 586. IV. Denique Præscriptio *rescinditur* per Restitutionem in integrum Majoribus concessam; Minor ætas secura est a Præscriptione ordinaria, ut dictum: quoad Præscriptionem autem longissimi temporis *IV. Ut rescindatur.*

26.) L. 2. C. ibid.

27.) Titulus solus, Insignia & Nomen, quod quis a quodam Regno, Provincia, vel prædio retinet, Præscriptionem alterius non impedit: nec possessori injuriam facit, qui alteri talem titulum aut nomen tribuit. Leyser. ad Pandect. specim. 463. med. 4. & seqq. de Neumann tom. 4. de Reali Principum Jure lib. 4. tit. 4. §. 525. cui doctrinæ consonat Pontifex Clement. ult. de Sent. Excom. *Si quem sub titulo cujuslibet dignitatis, ex certa etiam scientia, verbo, constitutione, vel literis nominet, honoret, seu quovis alio modo tractet: per hoc in dignitate illa ipsum approbare non intelligitur, aut quicquam ei tribuere novi juris.*

Minores comparantur Majoribus. Cum autem hæc in integrum Restitutio etiam quoad alia negotia frequentem usum habeat, de eadem subjiciemus seperatum Titulum.

TITULUS XXII.

TRADITA DE PRÆSCRIPTIONIBUS PRINCIPIA AD CAUSAS PARTICULARES APPLICANTUR.

§. 587.

Ex traditis principiis

UT generalia Principia de Præscriptionibus tradita, rite intelligantur, non alia occurrit aptior ratio, quam si eadem ad Causas particulares decidendas applicentur. Ex innumeris, quæ vasta Volumina implent, paucas seligimus.

Aliqui tenent, scientiam Juris alieni non obstare Præscriptioni:

§. 588. Inter prima Præscriptionum principia relatum est, ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ. Unde quæstio oritur, an sicut scientia rei alienæ, ita etiam scientia juris alieni inducat malam fidem, & impediat Præscriptionem privativam, qua

qua jus alterius perimitur, & præscribens ab obligatione liberatur. E. G. an is, qui ex Mutuo alteri se debere scit, possit contra hunc præscribere, seque immunem ab obligatione solvendi existimare, si per decursum triginta aut plurium annorum interpellatus non fuerit? Præscriptionem ejusmodi admittunt multi Autores, quia ex solo silentio triginta vel quadraginta annorum omnes actiones extinguuntur: & id quidem ita liquide statutum videtur, ut Jus Civile hac in re videatur indubitatum. Jure autem Canonico id non reperitur correctum; imo nec ratio fuit corrigendi, quia scientia Juris alieni non continet peccatum: unde ex Legibus clarum, & in utroque foro receptum est, quod Servitutibus rusticis præscribatur solo non usu per decennium.

§. 589. Opposita sententia, quod scientia juris alieni e. g. in Mutuo indefinite contracto impediat Præscriptionem, videtur æquitati conformior. Quamvis in ejusmodi privativis Præscriptionibus nec detur, nec requiratur Possessio proprie dicta, nihilominus debet dari aliquid

Majori æquitate eam obstare dicimus.

possessioni æquivalens, ut verificari possit illud commune principium: *tantum præscriptum, quantum possessum, & sine possessione Præscriptio non procedit.* In casu posito, Præscriptione acquiri deberet immunitas a solvendo debito; consequenter toto priori tempore quasi possideri debet hæc immunitas a solvendo debito: ista autem nulla temporis parte possidetur, cum singulis horis debitor se sciat & fateatur debitorem: consequenter neque obtineri ullo tempore potest. Etsi enim bona fide crediderit, se non teneri, hoc tempore solvere; hoc tamen tempore sciebat, se esse debitorem 28.): nullo igitur totius temporis tricennalis momento bona fide credidit, se esse immunem a solvendo *debito*:

proin

28.) *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur.* L. 14. ff. de R. J. Ad hanc quæstionem notanda est doctrina Antonii Massæ Gallesii tract. ad Formul. Cameral. Obligat. part. 2. ad quart. particul. quæst. 3. n. 12. seq. quod Romæ ex statuto Urbis, creditor negligens in petendo debitum per sedecim annos, non audiatur ulterius, sed inducatur præsumptio solutionis, contra quam præsumptionem admittitur probatio creditoris.

proin hanc immunitatem obtinere non potuit lapsu temporis. Non peccavit quidem, non solvendo hoc anno; peccaret autem si crederet se non esse debitorem hoc anno. Servitutes rusticæ extinguuntur per non usum toto decennio continuatum: hoc autem non eruitur ex regulis Præscriptionis; sed quia Leges his servitutibus certum temporis spatium proponunt, uti etiam Privilegio habendi Nundinas, intra quod censetur quis renuntiare juri suo ad servitutes vel nundinas. Idem in plurimis aliis negotiis certo temporis, nonnunquam etiam brevissimi lapsu præsumendum Leges statuunt, quæ extendi nostro arbitrio non possunt ad non expressa, prout omnes fatentur de servitutibus urbanis, quæ solo non usu non amittuntur; & de aliis Privilegiis, quibus conservandis non est præfixum decennium more Nundinarum. Sicuti igitur negavimus, præsumendum esse, quod dominus, rem suam per longissimum tempus ab alio possessam, dereliquerit, in qua præsumptione aliqui fundant Præscriptionem in Jure naturali: ita etiam præsumendum non est, quen-

quam renuntiasse juri suo per solum non usum, nisi id Leges expresse præsumendum statuant. Ratio id statuendi in una potius materia est, quia jura quædam non videntur esse multum æstimabilia, uti servitutes rusticæ; vel dependent ex speciali concessione ad certum tempus restricta, uti Jus nundinarum. Unde dicendum, similia per non usum extingui, non quidem juxta communes Præscriptionum regulas, sed ex singulari præsumptione Juris; nunquam enim id erueremus ex Legibus Præscriptionum, nec aliquis auderet id affirmare, nisi esset in Legibus expressum, sicut nemo id audet affirmare de Servitutibus urbanis. Similiter non debemus præsumere, quod qui per triginta annos mutuum non repetit, censeatur renuntiare juri suo ad repetendum mutuum, non ex singulari concessione, sed ex æquitate naturali sibi competenti.

Præstationes annuæ absolutæ

§. 590. Annectimus aliam quæstionem majori jure controversam de Præstationibus annuis. Ad has acquiritur jus, si quis per longissimum tempus singulis annis præstatio-

tionem uniformiter tanquam ex debito exhibitam recipiat, etiam absque titulo, aut per longum tempus cum titulo. De Præstationum annuarum extinctione diversæ sunt opiniones: quidam existimant, si præstationes per triginta annos bona fide omittantur, & ab altero non exigantur, extingui totam obligationem circa præteritas & futuras præstationes: alii solas præteritas præscriptione sublatas putant, non autem futuras: & etiam de præteritis censent, ad eas tantum obligationem cessare, quæ ante triginta annos solvi debuissent, ita ut singularum præstationum cessatio requirat lapsum triginta annorum. Alii distinguunt inter præstationes ex ultima voluntate, vel ex conventione debitas.

Unica Præscriptione extinguuntur.

§. 591. Censeo inprimis considerandum, an obligatio ad ejusmodi præstationes sit absoluta, an vero conditionata: multæ autem sunt conditionatæ, quæ ex ultima voluntate debentur, cum in dubio censeantur legari ad alimenta, quæ primo anno absolute debentur, reliquis annis sub conditione, si Legatarius

vivat 29.). Præstationes absolutæ, sive ex ultima voluntate, sive ex actu inter vivos debeantur, tam pro præterito, quam pro futuro, unica triginta annorum præscriptione tolluntur; quia præscriptio cadit in primævam obligationem, qua sublata, exspirant omnes præstationes, sicut excisa arbore pereunt fructus tam pendentes, quam futuri 30.). Non enim agitur de singulis præstatio-

---

29.) Huc pertinet L. cum notissimi 7. §. ult. C. de Præscript. 30. vel 40. annor. ubi dicitur, *tempora præscriptionum non ab exordio talis obligationis, sed ab initio cujusque anni, vel mensis, vel alterius singularis temporis computari.* Et clarius id exprimitur in L. 4. ff. de annuis legat. ubi *si in singulos annos alicui legatum sit, plura legata esse* dicuntur, *& primi anni purum, sequentium conditionale: videri enim hanc inesse conditionem, si vivat; & ideo mortuo eo, ad hæredem legatum non transire,*

30.) Sic intelligitur L. 1. §. 1. C. de annal. except. juxta quam *nemo audeat cujuscunque actionis personalis vitam longiorem esse triginta annis interpretari, sed ex quo ab initio competit, & semel nata est, & non iteratis fabulis sæpe recreata, post memoratum tempus finiri.*

stationibus, sed potius de illa obligatione, ex qua singulæ præstationes debentur. Hanc sententiam aperte tradunt Summi Pontifices Alexander III. 31.), & Innocentius III. 32.), qui Juris Civilis erant peritissimi, nec aliud circa Præscriptionem voluerunt emendare, nisi quæ ad bonam fidem pertinent. Neque dicas, actionem ad præstationes futuras nondum esse natam, consequenter nec locum habere Præscriptionem. Nam mox ab initio contractus vel legati, nascitur actio pro tuendo hoc jure, ex quo præstationes futuræ debentur, consequenter contra illud jus datur præscriptio: illo autem jure per Præscriptionem sublato, cessant omnes & singulæ præstationes.

Res mobiles Ecclesiæ præscribuntur per 40. annos.

§. 592. Dictum est priori Titulo, Res mobiles præscribi per triennium: dictum etiam est, Res Ecclesiarum præscribi non nisi per quadraginta annos. Dubium igitur movetur, an rebus

31.) C. 4. & 6. de Præscript.
32.) C. 13. & 15. ibid. item C. 20. de Censib.

rebus mobilibus Ecclesiarum aque præstitutum sit triennium, sicut rebus mobilibus privatorum: an vero spatium quadraginta annorum, sicut rebus immobilibus Ecclesiarum. Censeo, nullam quoad tempus differentiam statuendam esse inter Res mobiles & immobiles Ecclesiarum, *proin* utrobique requiri tempus quadraginta annorum, vel etiam centum annorum, si res pertineat ad Ecclesiam Romanam. Nam nec Jus Canonicum 33.), nec Jus Civile distinguit: hoc jure primum 34.) expresse etiam circa res mobiles dabatur centenaria temporis prærogativa: dein 35.) quoad inferiores Ecclesias reductum est id tempus ad quadraginta annos in illis negotiis, in quibus prærogativa centum annorum constituta fuerat, consequenter etiam in Præscriptione rerum mobilium. Quando igitur in Auth. quas actiones, C. de SS. Eccles. dicitur, *usucapione triennii vel quadriennii in suo robore*

33.) C. 8. & 13. seq. de Præscript.
34.) In l. 23. pr. C. de SS. Eccl.
35.) In Novell. 111. c. un.

bore durantibus, hæc verba non respondent fonti suo, scilicet Novellæ CXI. consequenter nihil probant, utpote ab IRNERIO, aut quocunque alio Authenticarum collectore ex proprio arbitrio adjecta. Nec major autoritas illis accedit ex Decreto Gratiani 36.), cum ibi non referatur Constitutio Pontificia, sed doctrina dictæ Authenticæ interpolatæ. Unde etiam idem tempus quadraginta annorum requiritur, quando Ecclesia rem mobilem alterius Ecclesiæ præscribit: male enim huc applicatur illud axioma, quod privilegiatus contra privilegiatum communi jure utatur. Habent quidem Ecclesiæ privilegium, ut res ipsarum non minori tempore, quam quadraginta annis præscribantur; nullum autem habent privilegium, ut minori, quam aliis Laicis permissum sit, tempore res alienas præscribant. Dein dictum axioma locum non habet, quando unus certat de lucro captando, alter de damno vitando.

§. 593.

36.) C. jubemus. 16. XVI. q. 3.

An detur Præscriptio contra Jura reservata Pontificis.

§. 593. Ad Præscriptionem requiri diximus *rem aptam præscribi*. In Ecclesiasticis autem nulli Præscriptioni subjacere censentur Jura aliqua reservata Majestatis Pontificiæ, quæ ob maximum suum momentum inferioribus concedi aut non possunt, aut non solent, utpote a Deo Dignitati Papali specialiter annexa. Huc referuntur Causæ majores 37.), quales sunt autoritas infallibilis decidendi Controversias Fidei; declarandi Sanctos; potestas generalis dispensandi in Jure communi Ecclesiastico, vel etiam cum subditis in negotiis summe arduis, e. g. in Matrimonio rato; ferendi Leges pro tota Ecclesia; inferendi Censuras quibuslibet Fidelibus; judicandi causas totius orbis Christiani; instituendi Episcopatus; determinandi limites Diœcesium; erigendi Ecclesias Cathedrales &c. Alia jura Pontificis non adeo stricte sunt reservata: unde & Præscriptione obtineri possunt. Quænam autem in particulari censeantur reservata, vel non, desumendum est ex natu-

37.) C. 3. de Baptismo.

natura negotii, ejusque relatione ad universalis Ecclesiæ damnum, vel emolumentum. Res vel jura ad Romanam Ecclesiam spectantia, non præscribi, nisi centum annis, diximus, & quidem deducto tempore schismatis, si quod fuerit 38.). Prælati exempti, Sedi Romanæ immediate subjecti, non gaudent privilegiis Ecclesiæ Romanæ quoad alia sua iura; quoad ipsam autem exemptionem privilegio suo utitur Ecclesia Romana: proin ut Archiepiscopus præscribat contra exemptionem Episcopi cujusdam, requiruntur centum anni. Quamvis enim per quadraginta annos perimatur jus Ecclesiæ exemptæ, non tamen perimitur jus Ecclesiæ Romanæ in Ecclesiam exemptam 39.), quæ saltem indirecte & ex jure alieno se tuetur per centum annos, Sedi Romanæ concessos 40.).

§. 594.

38.) C. ult. XVI. q. 3. C. 13. seq. de Præscript. C. 2. eod. in 6. Novell. 9.

39.) C. cum dilecta. 4. de Confirm. utili vel inut. C. ad audientiam. 13. de Præscript.

40.) C. suborta. 21. de sent. & re judic.

Nominatim quoad Concordata Germaniæ?

§. 594. Contra Concordata Germaniæ cum Pontifice inita, Præscriptionem procedere, suadetur ex eo, quod ab universali lege Præscriptionis in hac materia, nulla legatur exceptio, præsertim quando per Concordata restringitur primæva potestas Episcoporum; quælibet enim res facile ad pristinam suam naturam revertitur. Multæ Ecclesiæ obtinuerunt recentius varia privilegia Concordatis contraria, præsertim circa Beneficia in mensibus Papalibus vacantia; circa dignitates primas post Pontificatum Pontifici reservatas; sicut vicissim Romana Curia utitur novo jure circa servitia Consistorialia mox ante Confirmationem Electionis solvenda, quæ vi Concordatorum, non nisi intra biennium præstari deberent: non igitur occurrit ratio, cur ejusmodi innovationes non possint introduci via Præscriptionis 41.). Nec censeri debet quis agere mala

41.) Beneficia quædam mense Papali vacantia, a Sereniſſimo Duce Bavariæ vi Præscriptionis concedi, dicitur in Concordatis Bavariæ Tit. 4. *Pontificii mensis*

mala fide, cum Concordata sint omnibus nota: nam quod ab Antecessoribus suis actum quis deprehendit, bona fide potest credere, quod justo titulo actum fuerit. Clausulæ irritanti Concordatis adjectæ per Præscriptionem derogatur, sicuti aliis Conventionibus; tum sub generali locutione non intelligantur ea, quæ notam specialem merentur, qualis præcipue est usus immemorialis. Opponi solet Clementis VII. Bulla *Admonet*, data Anno 1534. ubi annullantur collationes contra Concordata factæ. Verum Pontifex hanc Bullam edidit occasione quarundam Collationum *post miserabilem Urbis direptionem* factarum, & irritas declarat quascunque dispositiones de Beneficiis Ecclesiasti-

sis jus præscriptum &c. Quando passim in aliis materiis dicitur, posse etiam præscriptione obtineri, quod obtinetur per privilegium: hoc axioma universim verum non est, nisi intelligatur de Præscriptione immemoriali, sub hac enim præsumitur titulus quiscunque optimus, & consequenter etiam Privilegium.

cis, *a tempore dictæ direptionis* contra tenorem Concordatorum factas. Urbis autem Romanæ direptio contigit Anno 1527. a quo tempore usque ad Annum 1534. nulla Præscriptio prætendi poterat. Curia Romana pronuntiat quidem in Causis controversis juxta Concordata: exceptio tamen Præscriptionis non excludetur, si legitime probetur. Licet Concordata sint inita pro bono ac tranquillitate totius Germaniæ: id tamen non obstat, quo minus in loco aut causa particulari aliud observetur, uti contingit in omnibus Legibus universalibus 42.). Si quem offen-

42.) Præscriptionem Germanorum *contra* Pontificem in materia Concordatorum non admittit GEORGIUS BRANDEN super concordatis quæst. 2. m. *fol.* 18. LAURENT. NICOLARTS prax. Benefic. tit. 3. fol. 211. seqq. PIRHING ad tit. de Præbend. n. 363. REIFFENSTUEL ad eund. tit. n. 541. LEURENIUS *For.* Benef. part. 2. q. 593. *Contra hos* eandem admittit D. CASPARUS BARTHEL tom. 2. Opusc. 3. Dissert. gener. de Concord. German. c. 3. sect. 2. n. 14. seqq. ZYPÆUS ad tit. de Præbend. Consult. 3. n. 38. P. PLACIDUS BŒCKN ad tit. de Concess. Præb. n. 63. seqq. & alii apud hunc citati.

offendit nomen *Præscriptionis*, cum non videantur adesse omnia ad Præscriptionem requisita; Germani non multum tricantur de voce, sed obtendunt usum immemorialem, in quo æque confidunt, ac in Præscriptione, omnibus suis requisitis munita. Omnibus bene perpensis, censeo, locum non esse Præscriptioni, nisi immemoriali, quæ non tam habet vim Præscriptionis, quam Indulti Pontificii, quod in tempore immemoriali præsumitur.

An quoad Jura Episcopalia,

§. 595. Hucusque de Juribus Pontificiis. Quoad Jura Episcopalia, conveniunt omnes, præscriptione obtineri non posse facultatem agendi ea, quæ requirunt Ordinem Episcopalem, velut jus conferendi Ordines, aut Sacramentum Confirmationis &c. cum Prælati Episcopo inferiores hanc potestatem Ordinis possidere non possint 43.). Ex eo enim, quod Summi Pontifices frequenter ejusmodi Privilegia indulserint, inferri non potest, quod Prælati Ecclesiastici universim habilitati sint ad hæc jura possidenda.

43.) C. 4. de Consuetud.

Et actus Jurisdictionis Episcopalis?

§. 596. Multæ identidem oriuntur controversiæ de actibus Jurisdictionis Episcopalis: hujus varia jura particularia regulariter obtineri posse per Præscriptionem quadraginta annorum saltem cum titulo, sacri Canones demonstrant 44.): titulus autem requiritur, ubi jus commune præscribenti resistit, vel quando contra eum stat præsumptio 45.), etsi antiquiores Canones talis titulimentionem non faciant 46.). Concilium Tridentinum volens dignitati Episcoporum consulere contra inferiores Prælatos, quoad aliquos speciales actus Episcopales exclusit consuetudinem, proin etiam Præscriptionem, nisi possessio immemorialis ita probetur, ut præsumi possit Privilegium Apostolicum. Sic Episcopis reservavit causas Matrimoniales & Criminales; facultatem approbandi Sacerdotes ad audiendas Confessio-

44.) C. 15. & 18. de Præscript. in quo ultimo capitulo varii recensentur actus, in quibus Abbas præscripsit contra Episcopum.

45.) C. 1. de Præscript. in 6.

46.) C. 4. & 15. de Præscript.

fessiones sæcularium, & Monialium; concedendi Dimissorias; conferendi Ordines Minores Sæcularibus; dandi Institutionem autorizabilem & Curam animarum &c.; extrahendi reos ab Ecclesia ob delicta excepta &c. Hæc intelliguntur de Prælatis ita exemptis a Jurisdictione Episcopi, ut tamen maneant in ejus Diœcesi.

Nominatim quoad qualitatem Nullius?

§. 597. An autem & quomodo Prælatus inferior acquirere valeat præscriptione qualitatem propriam Diœcesis *Nullius*, cum vero separato territorio, operose disceptatum est Romæ ad initium hujus sæculi. Rota Romana in quadam famosa Causa decidebat, ad Jurisdictionem præscriptivam pro inducenda vera qualitate *Nullius* cum territorio separato, sufficere quadragenariam cum titulo. Contra hanc Decisionem plures Italiæ & Germaniæ Episcopi deferebant querelas ad Pontificem Clementem XI. Hic igitur deputavit Congregationem particularem, quæ 3. Januarii Anno 1721. censuit, pro acquisitione Territorii separati, Jurisdictionis Ordinariæ & quasi Episcopalis in Clerum & populum cum ipsius Episcopi exclusione, non suffi-

cere quadragenariam Præscriptionem cum titulo colorato, sed omnino requiri aut clarum & undequaque subsistens Apostolicum Privilegium, aut consuetudinem immemorialem, cum suis omnibus requisitis rite probatam, per quam Apostolicum Privilegium de Jure præsumi valeat. Hanc sententiam Congregationis approbavit Pontifex, & Decretum illi conforme publicari mandavit 47.).

Clericus ex errore subiens onus an vi præscriptionis teneatur in posterum?

§. 598. Si Clericus per multos annos subit aliquod onus, ad quod se obligatum credit, forte ad legenda certa sacra; postea autem deprehendit ex fundatione sui Beneficii, non esse tale onus impositum, movetur quæstio, an vi Præscriptionis teneatur in posterum ad tale onus? Id cer-

47.) Totam seriem actorum in hac causa, & rationes hujus Decisionis refert Card. Vincentius Petra, qui erat membrum in dicta Congregatione, tom. 5. Comment. ad Const. IV. Callisti III. sect. 3. Franc. Maria Pitonius Discept. Eccl. 112. qui erat inter Advocatos Cels.mi Episcopi Herbipolensis, videantur Impressa Fuldensia, Herbipolensia & Moguntina.

certum est, ex longitudine temporis præsumi tale onus etiam post primam fundationem quocunque modo, aut tempore esse impositum. Si autem cesset Præsumptio, & de errore constet, solent distinguere, an aliqui, forte hæredes, Agnati, Successores Fundatoris id hucusque tanquam debitum exegerint, vel an nemine exigente, ex erronea conscientia, hucusque id factum fuerit. In priori casu admittunt Præscriptionem, sicut in aliis juribus profanis, seu jus talem actum postea quoque exigendi: in altero casu negant Præscriptionem, quia nemo est in possessione exigendi talem actum: sine possessione autem non currit Præscriptio positiva.

Vicissim an liberetur ab onere, cui diu non satisfecit?

§. 599. Alia quæstio est, an talia onera extinguantur Præscriptione, si scilicet Clericus longissimo tempore non legisset certas Missas, ad quas se obligatum ignorabat, nunc autem ex repertis Fundationis Literis impositam obligationem deprehendat? Præsumptio quidem datur plerumque in tali casu, quod ejusmodi obligatio intra longissimi temporis spatium legitimo modo sublata fue-

rit, nisi interceſſerit aliqua negligentia Clerici, qui Literas Fundationis antea non inſpexit, vel in obligationes ſuas non ſolicite inquiſivit; hac enim ratione deeſſet fides ſaltem juridice bona. Præſcriptionem admittunt nonnulli. Mihi autem, ut fatear quod ſentio, Præſcriptio hæc videtur omnino exotica. Leges ſtatuentes Præſcriptionem, paſſim arguunt negligentiam domini, voluntque cautiorem & magis ſolicitum de rebus ſuis reddere, dum longiſſimi temporis præſcriptionem introducunt *propter vitandam miſerorum ſegnitiem* 48.), & indulgent aliquid impeditis, ut *ſit aliqua inter deſides & vigilantes differentia* 49). An igitur Deus, vel Animæ Defunctorum arguentur negligentiæ, quod celebrationem Miſſarum a Clerico non exegerint? Dicunt, Epiſcopum debuiſſe urgere. Sed talis Præſcriptio non currit contra Epiſcopum: Epiſcopus potius præſcribit; nam Beneficium complet Præſcriptionem,

&

48.) C. 5. de Præſcript.
49.) L. 2. C. de annali except.

& liberatur onere: Beneficium autem administrat Clericus sub cura Episcopi, proin Beneficium magis pertinet ad Episcopum, quam ad Clericum. Non video igitur, quid aliud ad tollendam obligationem adsit, nisi sola præsumptio. Nempe ad ejusmodi assertiones pietati plane non conformes ducit ea opinio, quod solus temporis lapsus sufficiat ad Præscriptionem privativam, & tollendam obligationem.

§. 600. Quoad res & Jura profana Principum, ac publica, passim traditur, præscribi non posse Jura Majestatis intrinseca, uti jus ferendi Leges publicas, jus obstringendi subditos vinculis homagii, dominium eminens in bona civium &c. Cum enim Præscriptio vires suas habeat a Legibus, summi Legislatores non sunt censendi has tulisse contra supremam suam Majestatem. Quamvis enim Principes Germaniæ utantur communibus legibus, & ex illis agant etiam cum suis subditis, consequenter etiam debeant admittere præscriptionem contra se: id tamen intelligi solum debet in materia habili: Regalia autem majora non sunt

An præscribi possint Jura profana Principum?

compatibilia cum ſubjectione: hac ſublata poſſet locus eſſe Præſcriptioni immemoriali. Affirmant aliqui, non raro aliquid ex Majeſtate deperdi quaſi tacita derelictione, vel ab uno ſupremo Principe contra alium jura quædam uſurpari. *Verum* hæc juxta Leges Præſcriptionis communes nequaquam fieri exiſtimo, uti mox infra dicetur. Jura autem Majeſtatis extrinſeca, & Regalia minora, uti jus vectigalium, fodinarum metallicarum, Salinarum &c. præſcriptione obtineri poſſe, vulgo admittitur, cum JUSTINIANUS 50.) tempus quadraginta annorum etiam contra jus *publicum* prævalere ſtatuat: non

50.) L. 4. C. de præſcript. 30. vel 40. annor. Regalia minora, uti jus venandi, Jurisdictio &c. præſcribuntur a ſubdito contra ſubditum, cum *titulo per tempus* ordinarium; ſine titulo *per tempus* longiſſimum. Si ſubditus præſcribat contra Principem, tunc non niſi utile jus & exercitium Regalis acquiritur: ipſum autem radicale jus eminenter manere videtur apud Principem. vid. Illuſt. B. de ICKSTATT de liter. Reverſal. Princip. §. 26.

non est autem ratio, cur hæ leges in Germania nostra observari non debeant.

§. 601. Imo ipsam Superioritatem Territorialem, cui ejusmodi jura sunt intrinseca, posse præscriptione saltem immemoriali obtineri, docent. Non erat quidem tempore Justiniani talis Superioritas territorialis cognita; nihilominus quo minus Leges Justinianeæ, in Imperio nostro receptæ, ad istam Superioritatem accommodentur, nihil obstare videtur, cum Controversiæ inter Principes Imperii, enatæ, ex Jure Justinianeo in Camera Imperiali, non minus, quam privatorum dissidia decidi soleant, nisi Constitutiones Imperii aliud exigant: hæ ipsæ autem Constitutiones Imperii approbant immemorialem Præscriptionem ejusmodi Jurium publicorum, E. G. circa præstationes ordinarias Imperii 51.): circa Regalia, vectigalia, privilegia collectandi, aliaque jura, longo usu possessa & exercita 52.): circa

Nominatim Superioritas Territorialis?

51.) Recess. Imp. Augustæ Ann. 1548. §. 56. & 64.

52.) Instr. Pac. Osnabr. Art. 8. §. 4.

ca telonia usu diuturno introducta 53.): circa Jura Domus Saxonicæ a tempore immemoriali possessa 54): circa Votum & Sessionem in Comitiis, aliaque Jura Statuum hucusque exercita 55.). Certe ipsa Superioritas Territorialis Statuum, vix aliunde, quam per longævum usum promereri potuit confirmationem Pacis Westphalicæ 56.). Sive igitur dicamus Præscriptionem, sive longævum

53.) Ibid. Art. 9. §. 2.

54.) Ibid. Art. 15. §. 2.

55.) Capitulationes Imperatorum, & quidem hodierna FRANCISCI I. Art. 1.

56.) Art. 8. §. 1. Hoc Articulo *antiqua* Jura statuum Imperii & liberum superioritatis territorialis exercitium adeo illimitate firmatum fuit, ut non admissa fuerit clausula, quam Legati Cæsarei annecti petierant, *salvis iis, quæ ad Imperatorem & Collegium Electorale solum pertinent &c.* Responsiones Cæsareorum referuntur in Actis Pac. Westph. part. 1. fol. 620. Replicæ Suecorum habentur ibid. part. 2. fol. 195. De superioritate Territoriali tractat HENNIGES ad specimen IV. Medit. in Instrum. Pac. Mantissa I. NICOLAUS HERTIUS Opusculor. Vol. 1. tom. 2. Dissert. de Superioritate Territor.

vum usum Legibus Imperii firmatum, eundem effectum habebimus. Ea sæpe movetur quæstio satis ambigua, an negligentia, qua Præfectus aut Officialis Præscriptionem contra Principem inchoari permisit, aut inchoatam interrumpere omisit, Principi nocere existimetur? Non idem est sensus omnium Doctorum 57.): cum libellus hic jam ultra metas suas excrescat, abstineo a pluribus, ac breviter dico, non iniquam videri sententiam, quæ Principem facta Ministri in Officii administratione commissa vel omissa præstare jubet. Ideo etiam longius tempus præscriptioni contra Principem complendæ legibus est definitum: & vicissim possessio per Officiales continuata prodesse Principi judicatur. Dein possessio jurium Principis, vel bonorum fiscalium, si sit immemorialis, non censetur obtenta

57.) Mylerus ab Ehrenbach Hypar-cholog. cap. 10. §. 16. seqq. censet, negligentiam officialium nocere Principi, refertque Autores in utramque partem.

ta ex negligentia Officialium, sed præsumitur volente Principe concessa.

Unde Possessiones Summorum Principum

§. 602. Dictis superaddere aliquid lubet de Præscriptione inter summos Principes & Respublicas, quæ Superiorem non agnoscunt. Diximus, Præscriptionem habere firmitatem suam a Legibus Civilibus, scilicet inter eos, qui his Legibus subjecti sunt: cum autem Summi Principes ejusmodi Legibus inter se non constringantur; & nihilominus pro tranquillitate publica necessarium videatur, ut Provincias suas plena securitate teneant; inquirenda est ratio quædam, quæ eos absque vi & armis ab aliorum ejusdem conditionis Principum impetitionibus immunes præstet. Hæc aliunde peti non potest, quam ex Sapientiæ *Divinæ* ordinatione, quæ transfert Regna, atque constituit. Istam nobis in hac Providentia manifestat, ex *parte* unius Principis longæva, *quieta* ac præsentanea possessio; ex parte alterius defectus contrariæ probationis, qua vitium arreptæ possessionis ostenderetur. Si hoc medium tuendi jura sua vocare libeat Præscriptionem,

nem, lis movebitur de vocibus: mihi Præsumptionis nomen præplacet: ita ut legitimo modo acquisita possessio censeatur; aut si vitium injustæ invasionis olim intervenerit, istud Omnipotentis Dei, in cujus manu sunt omnia Regna terræ, sapientissima Dispositione, & communi subjectorum populorum consensu, purgatum judicetur. Cœlestis Providentiæ gubernantem manum, cujus plurima specimina in Sacris Literis reperimus, mortales penetrare non possunt, plerique agnoscere nolunt: necesse igitur est, ut in hominum mentes & oculos incurrat aliquod Divinæ Ordinationis argumentum, quod extra Leges Civiles, quibus Summi Principes inter se ligari non creduntur, firmitatem Possessoribus Regnorum præstet. Vix poterit aptius & convenientius reperiri, quam longæva & præsentanea possessio, ac quieta subditorum subjectio.

§. 603. Certe si summos Principes Jus suum in Regna & Provincias non ex dicta possessione metiri posse judicemus, plurima turbari Regna necesse erit. Carneades Legatus Athenienſis,

Firmitatem obtinent?

nienſis, Romæ de Juſtitia diſputans, fidenter aſſerebat 58.), *omnibus populis qui florerent Imperio, & Romanis quoque ipſis, qui totius orbis potirentur, ſi juſti velint eſſe, hoc eſt, ſi aliena reſtituant, ad caſas eſſe redeundum, & in egeſtate ac miſeriis jacendum.* MARCIUS CORIOLANUS 59.) ajebat: *Si unusquisque populus partem ſuam ſibi per vim contra jus & fas ereptam velit repetere ac recipere, nihil erit tam parvum, tam debile, tam egenum, quam Reſpublica Romana.* Recentiora exempla non adduco. LUDOVICUS GONZAGA Nivernenſium Dux, quando in Aula Gallica agebatur de Pinarolio & Savilliano Sabaudis reſtituendo, in libello Regi porrecto, non inconcinne ſcribebat 60.), *nec vero Principes ſi rogentur, quo titulo tot Provincias poſſideant, aliud, quod reſpondeant, habere, quam eos ita a Parentibus accepiſſe &c.* Allatis dein pluribus exem-

58.) Apud LACTANTIUM Divin. Inſtit. lib. 5. cap. 17.

59.) Apud DIONYS. HALICARNASS. Antiquit. Roman. Lib. 8.

60.) Apud THUANUM Hiſtor. tom. 2. lib. 59. ad ann. 1574. m. fol. 25.

exemplis concludit, *si lex sit, ut Principes, quæ a Majoribus usurpata possident, restituere teneantur, ad summas angustias plerosque, qui nunc late regnant, redactum iri.* Ad hanc igitur Regnorum eversionem, & Populorum turbationem evitandam, censeo, Summorum Principum Jura per dictas Præsumptiones eandem certitudinem, ac firmitatem obtinere, quam obtinent Jura privatorum per Præscriptionem a Legibus ordinatam 61.).

61.) Argumenta Bodini de non præscribenda Majestate lib. 1. de Republ. c. 10. fol. 234. non quadrant huic nostræ quæstioni, suntque aliunde inefficacia.

De Præscriptione agunt omnes, qui Commentaria scribunt in Libros Juris Canonici vel Civilis, aut de Justitia & Jure. Singulares Tractatus de hac re ediderunt Franc. Balbus, Cravetta, Bovius, Cucchus, Mandosius, Pulvæus, Arnoldus rath, P. antonius Söll, P. Placidus Bœckn, aliique plurimi in variis Dissertationibus.

TITULUS XXIII.

DE SOLUTIONIBUS, & ALIIS MODIS TOLLENDI OBLIGATIONEM.

Conf. Decretal. lib. 3. tit. 23.

§. 604.

Solvere

PEr eos modos, quibus acquiri vel alienari res Eccleſiæ diximus, contrahitur Obligatio, a qua liberare ſe Debitor ſuo tempore tenetur. Variis rationibus id fieri poteſt: præcipua eſt *Solutio*, ſeu *naturalis præſtatio ejus quod debetur*. De qua ſciri oportet I. Quis; II. Cui recte ſolvatur. III. Quid & IV. Quantum ſolvendum ſit. V. Quomodo: VI. Quo tempore, VII. Quo loco ſolutio fieri debeat: demum VIII. Quis ſit effectus Solutionis.

Quis poſſit ac teneatur?

§. 605. Solvere poteſt tum *ipſe* Debitor, tum ipſius Procurator, tum alius loco debitoris, *etiam* ignorantis, etiam prohibentis, qui non obſtante prohibitione ſua, per alterius ſolutionem liberabitur ab obligatione. Debitore defuncto ſolvendi neceſſitas

ceſſitas incumbit ejus hæredi: hic autem beneficio Inventarii *in tantum hæreditariis Creditoribus tenetur, in quantum res ſubſtantiæ ad eum devolutæ valeant* 62.). Succeſſor in Prælatura, vel Beneficio Eccleſiaſtico tenetur ad ſolvenda debita, contracta ab Anteceſſore pro neceſſitate vel utilitate Eccleſiæ: ad quam fuiſſe converſa, præſumitur, ſi debita cum conſenſu Capituli, vel Superioris legitimi fuerunt contracta: ſi autem a ſolo Prælato, vel Beneficiato contractus obligatorius fuit initus, Creditor tenetur probare verſionem in utilitatem Eccleſiæ. Idem cum proportione teneri poteſt de Principibus, vel aliis qui Bona Feudi, vel Fideicommiſſi nomine poſſident, & magna debita contrahunt. Niſi enim pro neceſſitate vel utilitate Provinciæ, Ditionis, Fideicommiſſi vel Feudi ſe oneraverit Anteceſſor, non facile adſtringi debet Succeſſor ad expungenda debita, cum maximo onere ſubditorum, ſeu illorum, qui jus ad Fideicommiſſum, vel Feudum non

62.) L. 22. §. 4. C. de Jure deliber.

ab immediato Anteceſſore, ſed a Majoribus & primo Acquirente habent: præſertim cum ipſi Creditores occaſionem & cauſam præſtent nimii luxus, profuſionis & prodigalitatis; unde pœnam potius, quam ſolutionem merentur.

Cui? §. 606. Recte ſolvitur Creditori ipſi, Majori & ſanæ mentis, aut ejus Procuratori; item Tutori, Curatori, & cui Creditor hoc nominatim mandaverit. Si quis ſolvat per errorem, quod & cui nec naturaliter nec civiliter debebat, poteſt ſolutum repetere per condictionem indebiti, modo probet errorem & indebitum (ſupra Tit. XIV. §. 375.).

Quid? §. 607. *Aliud pro alio invito Creditori ſolvi non poteſt* 63.): Unde præſtari debet illud ipſum in ſpecie, ſi fieri poſſit. Si res debita perierit, vel ſit aliena, vel alias absque magno incommodo haberi nequeat; Creditor debebit eſſe contentus, ſi alia ſubſtituatur. Quod aliud ſolvi non poſſit, regulariter etiam obtinet in obligatione *faciendi*, niſi forſan ipſum factum

63.) L. 2. §. 1. ff. de Reb. Cred.

factum præstari amplius nequeat; vel debitor fuisset in mora: nam in hoc casu moræ etiam Creditor non tenetur amplius præstationem facti admittere, sed potest agere ad interesse. Qui debet pecunias, non tenetur ejusdem speciei nummos, quales accepit, restituere, nisi aliter conventum sit: facienda tamen est solutio in ea Monetæ specie, quæ juxta valorem publica autoritate tempore solutionis impositum, respondet summæ tempore contractus debitæ. Quamvis enim bonitas monetæ intrinseca circa pondus & æstimationem metalli 64.) forsan imminuta sit; iste tamen defectus compensatur per augmentum bonitatis extrinsecæ, scilicet per impositionem majoris valoris; modo hæc impositio fiat publica autoritate, & habitura credatur stabilitatem. Valor autem extrinsecus monetarum in Germania computari solet per florenos, quorum singuli æstimantur sexaginta crucigeris. Si autem sit im-

64.) Nos Germani vocamus *Schrot und Korn.*

mutatio valde magna, quæ privata ſolum autoritate invaluit, Judicis prudenti arbitrio determinari debebit ſolutio 65.). Id per Conſtitutiones Imperii ordinatum eſt, ut nullus compellatur acceptare ſolutionem ultra viginti quinque florenos in nummis minutis, quorum valor non aſcendit ad quinque Crucigeros : minimos autem denariolos (Pfenning) omnino nullos teneatur accipere Creditor majoris ſummæ 66.). Similiter nemo cogitur admittere in ſolutionem ſortes nummorum ad uſum ſuum ineptas 67.). Si autem circa reſtitutionem certæ Monetæ conventio fiat, caveri ſumopere debet, ne id contingat alterius grave præjudicium, & alterius uſurarium lucrum. Si Debitor pecu-

65.) Ita contigit poſt finitum bellum Suecicum, quo tempore circa modum ſolvendi multa ſunt edita Conſilia & Reſponſa Juris-Conſultorum.

66.) Ordin. Monetar. Ferdinandi Imper. Auguſtæ Anno 1559. §. 11. & 33.

67.) L. 99. ff. de Solut. *Paulus reſpondit, Creditorem non eſſe cogendum in aliam formam nummos accipere, ſi ex ea re damnum aliquod paſſurus ſit.*

cuniæ probet, sibi pecunias non suppetere, potest offerre Creditori fundum quem habet meliorem, quem Creditor debet acceptare facta æstimatione, si velit sibi satisfieri. Si autem Creditor præstet emptorem, compellitur Debitor agrum distrahere, ut se liberet a debito. Si autem ipse Creditor loco pecuniæ fundum accipiat; illumque meliorem faciat, aut majori pretio vendat; hæc industria, & hic eventus proderit Creditori, sicut viciſſim non nocet Debitori, si Creditor acceptum agrum minoris distraheret 68.).

§. 608. Regulariter oportet solvere integrum, quod debetur: nec Creditor tenetur acceptare solutiones partiales, nisi aliter conventum, vel debitum per partes, aut ex diversis causis contractum sit 69.). Nihilominus æquitas nonnunquam suadet, ut partialem solutionem Cre- *Et quantum solvendum?*

68.) Auth. Hoc nisi. & L. penult. C. de Solution.

69.) L. 3. ff. Famil. erciſc. ubi ratio datur, *quia ſæpe ſolutio partium non minima incommoda habet.*

ditor acceptet, & Judex ad acceptandam compellat 70.). Nec alienum hoc est a Judicis partibus; penes Judices enim est potestas dandi dilationes, non tantum circa terminos actuum Judicialium, sed & quoad illa, quæ in condemnationem venerunt, & eorum executionem 71.). Justa ratio potest esse, si Debitori integri solutio impossibilis sit, aut ea incidant tempora, in quibus nummorum copia haberi nequit 72.).

Quan-

70.) Humanius facturus videtur Prætor, si actorem compulerit ad accipiendum id, quod offeratur: cum ad officium ejus pertineat, lites diminuere. L. 21. ff. de Reb. cred. L. fin. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. L. 4. §. 6. ff. de Statu liberis. Fachinæus Controvers. lib. 10. c. 59.

71.) Vid. Colerus de Process. Execut. p. 3. c. 6. n. 12. seqq. Fridericus *Mindanus* de Mandatis &c. lib. 2. cap. ult. ubi agit de Processu Executionis debiti liquidi. *Juxta* §. 2. Inst. de Offic. Jud.

72.) Hanc causam approbavit Const. Imperii Recess. Ratisb. §. 172. Anno 1654. Fiscus etiam partiales pensiones jubetur acceptare in L. 4. C. de Collat.

Quando Creditor a debitore ſuo aliquot vicibus partem quandam crediti acceperat, hic de ſolido reliquo conventus, male excipit, ſe tantum ad partialem ſolutionem teneri, nec audiendus eſt, cum partem offert; nam humanitas Creditoris non debet verti in ipſius injuriam & incommodum. Si tantum partem debitæ quantitatis accepit Creditor, apocham nihilominus dedit, quaſi totum debitum acceperit, non prohibetur reſiduum petere, quoniam Apocha vim acceptilationis non habet 73.): audiendus igitur eſt Creditor, ſi probet, ſe ex errore falſum ſcripſiſſe 74.); vel ſpe futuræ numerationis 75.). Habent etiam aliqui *Beneficium competentiæ*, vi cujus nec cedere de-

---

lat. fund. patrim. Alia exempla & praxin Judiciorum atteſtantur MATTH. DE AFFLICTIS deciſ. 377. n. 1. BOERIUS deciſ. 349. n. 8. MEVIUS p. 3. deciſ. 236. p. 5. deciſ. 103. p. 6. deciſ. 384.

73.) L. 6. C. de Solution.

74.) *Figmento veritatis extingui non potuit obligatio,* L. 13. C. ibid.

75.) L. 21. & 23. C. ibid.

bent bonis, nec incarcerari, nec conveniri queunt ultra id, quod salva sustentatione congrua solvere possunt, recepta tamen idonea cautione, ut si ad pinguiorem fortunam devenerint, debita persolvant: quale privilegium communiter tribuitur Clericis 76.), & aliis respectu personarum conjunctarum. Huc etiam pertinet *Rescriptum Moratorium*, quo nomine intelligitur Beneficium debitoribus, citra suam culpam, adversa fortuna, facultatibus lapsis, Superioris Rescripto concessum, ne intra certum tempus, debita sua Creditoribus solvere compellantur 77.).

Prohibetur Alienatio in fraudem Creditoris.

§. 609. Ex obligatione Creditoribus omnibus integre satisfaciendi, fluit obligatio, ne quis dolo vel culpa sua se inhabilem reddat ad solutionem integram singulis præstandam.

76.) C. Odoardus. 3. de *Solut.* Vid. LAUTERBACH Dissert. de Beneficio Competentiæ. Vol. 1. Disp. 13.

77.) LAUTERBACH de Beneficio Rescripti Moratorii. Vol. I. Disp. 16. STRYCKIUS Vol. 7. Disp. 8. de Abusu Rescriptorum Morator. LEYSER. Medit. ad Pandectas specim. 12.

dam. Unde Edicto cavet Prætor, *Quæ in fraudem Creditorum facta sunt, ut restituantur* 78.); quod locum habet tam contra eum, qui sciens recepit, quam contra illum, qui quocunque modo in fraudem Creditorum aliquid alienavit, sive acceptilatione vel pacto aliquem liberavit, sive non est usus servitutibus, aut rem suam pro derelicto habuit. Quodcunque igitur fraudis causa factum est, revocabitur. Pertinet autem Edictum ad diminuentes patrimonium suum, non ad eos, qui id agunt, ne locupletentur. Unde qui repudiavit hæreditatem, huic Edicto locum non facit: noluit enim acquirere, nec suum patrimonium diminuit 79.).

§. 610. Si omnibus debitis expungendis non sufficiant bona Debitoris, qui forte jam est mortuus, vel *Decretæ subhastationes*, sal-

78.) Sub hac Rubrica refertur & declaratur Edictum Lib. 42. ff. tit. 8.

79.) De æquitate naturali harum Legum, quatenus tolerant repudiationem lucri in fraudem debitoris, dubitat Brunnemann in L. 6. ff. Quæ in fraud. Creditor.

saltem spem non habet ad meliorem fortunam perveniendi, solet decerni subhastatio, & fieri concursus Creditorum, ubi ante omnes reliquos jure separationis gaudent, qui habent dominium in rebus quibusdam defuncti, vel subhastati, quales sunt res commodatæ, depositæ, in dotem datæ, si adhuc physice extent: vel quando Creditores petunt, ut bona Debitoris defuncti separentur a bonis hæredis ejusdem, ne forte misceantur cum Creditoribus hujus hæredis. Hac separatione facta, collocantur Creditores ordine vel Legibus, vel consuetudine locorum designato, juxta quem solutio ipsis præstanda erit. Alicubi in Statutis Provincialibus aut Municipalibus constituuntur certæ classes, ad quas referuntur omnes Creditores, & solutio præstatur primum illis, qui continentur in prima, dein aliis qui sunt in secunda classe, & sic deinceps, donec exhauriatur tota massa 80.). Ubi plurium Classium ordo præ-

80.) In Codice Judiciario Bavariæ Cap. 20. ponuntur undecim Classes.

præfixus non est, ibi ex variis Legum Civilium dispositionibus eruitur, quis præferri alteri debeat. Hujus loci non est, ut de Privilegiis Creditorum, aut de variis eorum Classibus fusius loquamur. Primum locum obtinent debita singulariter privilegiata, uti sunt sumptus Judiciales occasione hujus ipsius Processus Edictalis præstandi 81.): Impensæ funerales moderatæ pro conditione hominis obærati: impensæ in Medicos, Chirurgos, Pharmacopæos ratione ultimi morbi: salaria fa-

81.) Communiter hi sumptus ex tota massa, antequam hæc dividatur, desumuntur. Unde collocandi in primis Classibus obtinent totum debitum sine ullo onere sumptuum Judicialium: illis vero, qui in ultimis Classibus collocantur, incumbit totum onus sumptuum Judicialium, quia ob horum detractionem nihil obtinebunt. Alicubi primum designatur, quid & quantum ex tota massa attribui singulis Creditoribus possit: dein autem cum debita proportione singulis detrahuntur sumptus Judiciales: pro utravis consuetudine potest stare aliqua æquitatis ratio.

famulorum pro ultimo anno &c. Dein veniunt, qui habent Hypothecam ſingulari prærogativa gaudentem, qualis eſt uxor reſpectu dotis, non amplius phyſice exiſtentis. Poſt hos Hypothecarii ſimplices, expreſſam vel tacitam hypothecam habentes, qui ordinem inter ſe ſervant ſecundum ætatem Hypothecæ. Demum Chirographarii, inter quos præferuntur, qui perſonali privilegio muniti ſunt: reliqui in unum computum conjiciuntur, & ſi quid ſuperſit, ſinguli accipiunt aliquid pro rata juxta proportionem debiti & reſiduæ quantitatis 82.).

§. 611.

82.) De Proceſſu Edictali & Concurſu Creditorum ſcripſerunt plurimi ſingulares tractatus; inter quos Vid. FRANC. SALGADO Labyrinthus Creditorum. BEUTHER de Jure Prælationis. BERLICHIUS Concluſ. Practicab. p. 1. Concl. 63. & ſeqq. LEYSER ſpecim. 473. & multis ſequentibus. BRUNNEMAN de Proceſſu Concurſus Creditorum. In Bavaria ſingulariter conſulendi ſunt duo Illuſtres Commentatores in Jus Patrium D. Baro de Schmid, & D. Baro de Kreitmayr.

§. 611. Si quis bene gnarus, omnibus ſuis Creditoribus non poſſe ſatisfieri, ſolvat integrum debitum uni, prætermiſſis aliis, variæ pro ejusmodi caſu aſſignari ſolent cautiones ac limitationes. Si ſinguli Creditores æquale jus habeant; unus autem ex iis ſibi ſingulariter vigilaverit, & aliis interim non petentibus, debitum in judicio vel extra judicium exegerit, melior erit talis Creditoris conditio, & ſolutio ipſi facta manebit firma, nec injuria cenſetur illata reliquis, etſi debito ſuo fruſtrentur 83.). Quando vero Debitor proprio motu quosdam Creditores vocaret, ut illis ſolveret cum aliorum jactura, hac ratione injuria afficeret reliquos: & ejusmodi Creditores non quidem tenerentur propria

An liceat ſoltisfieri uni præ alio magis, vel æquæ privilegiato?

83.) Hæredes Debitoris *eis ſatisfaciant, qui primi venient creditores: & ſi nihil reliquum eſt, poſteriores venientes repellantur.* L. 22. §. 4. C. de jur. deliber. *Vigilavi: meliorem meam conditionem feci: jus civile vigilantibus ſcriptum eſt: ideo quoque non revocatur id quod percepi.* L. 24. ff. quæ in fraud. credit.

pria ſponte aliis reſtituere; a Judice tamen ad reſtituendum compelli poſſent 84.). Eandem ſortem mererentur Creditores, qui minis, aut aliis moleſtiis cogerent Debitorem ad ſolutionem ſibi præ aliis præſtandam. Hæc omnia ſunt intelligenda, *quando* omnes Creditores æquale *jus habent*, uti contingit inter Chirographarios non privilegiatos. Si qui autem jure vel pignore potiores ſint, ſine injuria Debitor cum horum jactura non poteſt ſatis facereminus privilegiato, niſi exacta cautione 85.).

Modus: §. 612. *Modus* & forma *Solutionis* conſiſtit in reali præſtatione debiti, quando Debitor rem ipſam Creditori debitam, præſentem illi ſiſtit, ejusque poteſtati ſubjicit, atque in eo differt

---

84.) *Si per gratificationem acceperit.* L. 24. ff. cit. tit.

85.) Unde ad cit. Leg. 22. v. *repellantur.* mox addit Gloſſa: *niſi poſteriores potiores ſint in pignore.* Vid. NAVARRUS Manual. Cap. 17. n. 53. MOLINA de J. & J. tr. 2. diſp. 536. n. 46. LAYMAN Theol. Moral. tom. 1. lib. 3. tr. 2. c. 11. n. 7.

differt Solutio a ceteris dissolvendæ obligationis modis.

§. 613. Quoad *Tempus* Solutionis, si nihil a contrahentibus fuit determinatum, potest solutio differri, donec Creditor exigat, vel sciatur indigere, si forte ex reverentia, aut alia causa exigere vereatur. Si dies solutioni est præfixa in gratiam Debitoris, solutio præstanda est eo tempore determinato, quia dies interpellat pro homine; vel potest etiam Debitor prævenire terminum. Si in gratiam Creditoris tempus sit præfixum, tunc neque Debitor prius potest solvere; nec Creditor habet jus antea exigendi absque pœna plus petitionis. Si conventum sit de prævia denuntiatione per aliquot menses, neuter potest ab hac denuntiatione recedere, invito altero. Qui tenet rem alienam mala fide, vel ex delicto; mox tenetur restituere, quantum moraliter fieri potest. *Tempus:*

§. 614. Quoad *Locum* Solutionis, si debitum ortum sit ex delicto, solutio impensis debitoris præstanda est in loco, ubi moratur creditor, *Locus:*

vel ubi iſte extra delictum rem poſſideret: niſi ad talem reſtitutionem neceſſariæ eſſent impenſæ immodicæ ultra proportionem debiti. Si debitum ſit ortum ex actu gratuito, res redditur in loco, ubi tempore donationis vel legati exiſtit: ſi ex contractu utrinque oneroſo, & utrinque utili, puta ex Emptione, ſolutio facienda eſt in loco, ubi res, pro qua fit ſolutio, fuit tradita: ſi in utilitatem ſolius debitoris, forte ex Commodato, res redditur, ubi fuit accepta; & quidem expenſis Creditoris, ſi in utilitatem hujus ſolius cedat, uti fit in depoſito. Si locus ſolutionis fuiſſet in contractu deſignatus, obſervari is debet quantum fieri poteſt: juſta enim eſſet cauſa ſolutionem in alio loco præſtandi, vel exigendi, ſi ad illum locum tuto accedi non poſſit. Si res debita vel pecunia pereat in via, liberabitur debitor, ſi creditor deſignavit viam & bajulum. Si debitor *malæ fidei* eligit viam & bajulum, tenebitur ad iteratam ſolutionem: ſi debitor bonæ fidei, forte ex contractu debet rem in ſpecie ſeu in individuo, quæ

ſine

ſine ipſius culpa 86.) perit in via, liberabitur a debito, ad quod porro reſtituendum nec ex re accepta, nec ex injuſta acceptione tenetur 87.). Si autem res in genere fuit debita, forte pecunia, tenetur ad iteratam ſolutionem, quia res in genere debita non periit, ſed eſt adhuc in dominio debitoris, conſequenter perit debitori.

§. 615. *Effectus* Solutionis eſt, quod Debitor liberetur ipſo jure ab obligatione: & quod rei dominium transferatur in Creditorem, ſi debitor ſit rei dominus; alioqui transferatur uſucapiendi conditio. Si Major rem aliam pro alia ſolverit; hæres ejus revocare non poteſt: ſi Minor aliud *Effectus Solutionis.*

86.) Culpam committit, qui non tam idoneum hominem elegerit, ut recte id perferri poſſit. L. 11. ff. Mandati.

87.) *Argentum commodatum ſi tam idoneo ſervo meo tradidiſſem ad te perferendum, ut non debuerit quis æſtimare futurum, ut a quibusdam malis hominibus deciperetur: tuum, non meum detrimentum erit, ſi id mali homines intercepiſſent.* L. 20. ff. Commodati.

pro alio solverit; vel Solutio rei immobilis nulla est, vel consequitur ætatis beneficio restitutionem in integrum. Major etiam poterit habere actionem ex L. 2. C. de Resc. Vend. si duplo plus solvat, quam deberet.

Ab obligatione liberatur etiam Debitor I. per Acceptilationem,

§. 616. Cum præcipuus effectus Solutionis sit liberatio Debitoris; breviter subjungendi sunt alii modi, quibus pariter ab obligatione liberatio obtinetur. I. *Acceptilatio* est imaginaria solutio, & liberatio Civilis, qua Creditor, cui quid solennibus verbis promissum est, rogatus a promissore, an *quod ei promisit, habeat acceptum? respondet, se habere acceptum,* liberandi ejus causa, etiamsi nihil acceperit. Cessat hodie solennitas interrogationum, sicut in stipulatione, ita etiam in Acceptilatione: unde sicut stipulatio hodie convenit cum pacto promissorio, ita Acceptilatio cum pacto liberatorio, seu de non petendo 88.). Jure Romano opponitur

88.) Exemplum habemus in Epistolis Plinii lib. 2. epist. 4. ubi scribit ad Calvinam: *quidquid mihi pater tuus debuit, acceptum tibi ferri jubeo.*

nitur ſoli ſtipulationi: ſi igitur his Legibus inniti, & tamen ab obligatione reali liberari velimus; deberet obligatio realis, interveniente Novatione in ſtipulatum deduci, & ſic per Acceptilationem diſſolvi. E. G. *quidquid te mihi ex cauſa mutui, aut ex vendito debere conſtat, dare ſpondes? ſpondeo.* Hoc ex ſtipulatu debitum proin tollitur: *Quod tibi debeo, acceptum fers? acceptum fero* 89.).

II. Per oblationem rei debitæ.

§. 617. II. *Oblatio* rei debitæ, quam Debitor competente tempore & loco Creditori realiter repræſentat; hoc autem nolente accipere, eam obſignat & deponit: quæ depoſitio apud Magiſtratum, vel ejusmodi loco tuto facta, vim habet ſolutionis, periculum transfert in Creditorem, & ſiſtere facit curſum uſurarum, ſi tamen deponatur tota ſumma debita 90.). Si autem Judex per ſuperius tradita æquum eſſe cenſeret, ut partialis ſolutio acceptetur, etiam

89.) Hujus Aquilianæ, a Gallo Aquilio ſic dictæ ſtipulationis formula videri poteſt in §. 2. Inſt. quib. mod. toll. oblig.

90.) L. 41. §. 1. ff. de Uſur.

obsignatio sisteret usuras quoad partem depositam.

III. Per Confusionem. §. 618. III. *Confusio*, cum jus Debitoris & Creditoris in unam eandemque personam devenit, veluti si Creditor Debitori, vel Debitor Creditori, aut tertius utrique successerit. Unde si Fiscus succedat tam Debitori, quam Creditori, Fideijussores liberantur 91.).

IV. Per Compensationem publicam, §. 619. IV. *Compensatio*, seu debiti & crediti inter se contributio 92.), modo debitum sit liquidum 93.), purum, in re fungibili; & petitio non possit repelli exceptione 94.). Tributa etiam, item debita ex furto, vel depositio &c. omnem compensationem respuunt. *Publica* Compensatio est, quæ fit publice, in judicio, & effectum suum habet etiam in foro externo: ubi scilicet extinguit debitum, seu totaliter, si debitum utrinque sit æquale; partialiter vero,

---

91.) L. 2. *C.* de Solution.
92.) L. 1. ff. de Compensat.
93.) L. fin. §. 1. *C.* eod.
94.) *Quæcunque per exceptionem perimi possunt in compensationem non veniunt.* L. 14. ff. eod.

vero, si sit inæquale: quando alia ratione conveniente facile obtineri nequit debitum reciprocum, ac sufficienter probatum, vel notorium: habet enim Compensatio rationem Exceptionis, Creditori solutionem petenti oppositæ. Confundi non debet Compensatio cum *Retentione*, quæ facultatem tribuit rem alienam tamdiu retinendi penes se, donec integre fuerit satisfactum ratione Debiti, quod non tollitur.

§. 620. *Occulta* Compensatio, quæ fit occulte inscio debitore, & pro foro tantum interno, requirit, ut alterius debitum sit certum, contractum ex justitia, alio modo aut sine magnis incommodis non recuperandum, & quoad fieri potest, compensandum per rem ejusdem speciei cum re debita; & quidem absque Præjudicio alterius innocentis, qui forte in suspicionem furti venire, & ad resarciendum pretium compelli posset; vel qui jure prælationis aliis Creditoribus præferri deberet. Caveri etiam debet, ne oriatur damnum vel incommodum ipsi debitori, qui forte pergit mala fide solutionem negare; *Seu occultam.*

vel obligationis ſuæ conſcius alio tempore ſolutionem debitori, aut ejus hæredibus præſtabit. Licentiam occultæ Compenſationis cum dictis circumſtantiis & cautelis negare non audeo: ſemper tamen Compenſationem occultam eſſe periculoſam, & raro dictas circumſtantias concurrere exiſtimo; cum frequenter ejusmodi homines debitum ſuo arbitrio exaggerent, vel absque ſufficienti ratione ſibi adjudicent. Unde nunquam deberent ſuo proprio judicio fidere: & merito INNOCENTIUS XI. damnavit propoſitionem 37. quæ ſic ſonat: *Famuli & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt* 95.).

V. Per Reſtitutionem Chirographi.

§. 621. V. *Reſtitutio Chirographi* a Creditore facta Debitori, hunc liberat, non quidem ipſo jure, ſed potius ob inductum tacitum pactum de non petendo, ex quo datur Debitori

95.) Exempla, ubi Autores admittunt compenſationem in caſu tantum probabili, quamvis alias in theſi requirant debitum certum ad compenſationem, affert P. PICHLER ad tit. de Solutionib. n. 43. & 44.

bitori exceptio. Si autem Chirographum esset redditum contra voluntatem Creditoris, ei non nocebit.

§. 622. VI. *Pacto* expresso tollitur ea obligatio, quæ consensu contrahitur: quod si aliter fuerit contracta, naturaliter duntaxat perimitur obligatio, quando & ubi Pacta non pariunt actionem 96.). *VI. Per Pactum.*

§. 623. VII. *Interitu* rei liberatur Debitor, quando absque ejus culpa res in rebus humanis esse desiit. Intelligitur hoc si res in specie & determinate debeatur: at cum duæ res sub alternatione promittuntur, perempta una, nihilominus altera peti potest. Si res in genere debetur, forte pecunia, genus perire non censetur. *VII. Per Interitum rei.*

§. 624. Per Stipulationem aliosve Contractus inducitur obligatio: per Solutionem, ut hucusque vidimus, eadem tollitur. Sunt autem aliqui modi mixti obligationum tam inducendarum, quam tollendarum, scilicet *Novatio* & *Delegatio*. *Novatio* est prioris debiti in aliam obligationem *VIII. Per Novationem.*

96.) Vid. L. 95. §. 4. ff. de Solution.

transfusio atque translatio. Præcedere igitur debet & sequi obligatio, sive Civilis, sive Naturalis, *ut puta, si pupillus sine tutoris autoritate promiserit* 97.). Novationis finis non est, perimere omnino obligationem, sed tantum mutare. Novatio vel est *Voluntaria* per stipulationem consentientium: vel *Necessaria* per Judicium, quando Debitor a suo Creditore conventus condemnatur. Hæc enim condemnatio facit, actionem pristinam converti in actionem judicati 98.).

IX. Per Delegationem.

§. 625. Novationis species est *Delegatio*, cum Creditori meo vice mea reum delego. Novatio fit manente eodem Creditore & Debitore: in Delegatione novus accedit Debitor, per stipulationem, qua Debitor meus Creditori meo, vel alii cui jusserim, rem mihi debitam promittit: quorum omnium requiritur consensus. Fit hoc etiam per Litis contestationem, si quis pro reo convento judicium subeat, & litem contestetur, non invito actore. Effectus Delegationis est, quod habeatur pro justa præ-

97.) L. 1. §. 1. ff. de Novation.

98.) *Novatur judicati actione prior contractus.* L. ult. pr. C. de Usur. rei jud.

præstatione debiti, & solutionis vicem obtineat, quia obligatio semel extincta non reviviscit, quamvis delegatus postea appareat non esse solvendo. Porro Exceptio, quam poterat deleganti opponere delegatus, cessat in persona Creditoris, cui est delegatus. Sic Cajus ad stipulandum dolo inductus a Titio, posset Titio petenti debitum, opponere exceptionem doli: hac exceptione non potest uti contra Sempronium Creditorem Titii, cujus Sempronii Cajus per delegationem fit Debitor. Servatur hoc in illis Exceptionibus, quæ dantur ejus causa, cum quo agitur, qualis est Exceptio pacti conventi, rei judicatæ, quod metus causa, jurisjurandi, item quæ ex SC.to Macedoniano competit filiofamilias: hic enim Exceptione SC.ti non potest uti contra Creditorem Creditoris sui, a quo mutuas pecunias acceperat. Nihilominus mulier se tueri potest Exceptione SC.ti Vellejani contra secundum Creditorem, cui delegata est a Creditore suo; sicut etiam Minor, qui si circumscriptus promiserit, delegatus se tuebitur adversus

versus eum, cui delegatur, quia durat circumscriptio 99.).

TITULUS XXIV.
DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE.

Conf. lib. 1. Decretal. tit. 41. Sext. tit. 21. Clement. tit. 11.

§. 626.

Ad Restitutionem obtinendam

CUM in Acquisitione, vel Alienatione Rerum, de quibus per hanc Sectionem egimus, facile lædi possit Ecclesia, remedium subministrant Leges ad reparandum damnum, scilicet Restitutionem in integrum. Per hanc intelligitur repositio in pristinum statum. Fit hæc nonnunquam per ipsas Leges: e. g. si quis conspiratione adversariorum, & testibus pecunia corruptis oppressus fuit 100.): *si nova instrumenta se invenisse dicat, quibus nunc solis usurus sit*, postquam adversarius præstito juramento absolutus fuerat 1.): si quis

99.) Vid. L. 19. ff. de Novation.
100.) L. 33. ff. de re judic.
1.) L. 31. ff. de Jurejur.

quis ultra dimidium læſus ſit 2.). Nonnunquam fit a Principe, qui ſolus a pœna, ad quam Judex condemnavit, poteſt reum liberare 3.). Hoc loco præcipue agimus de Reſtitutione, quam Prætores contra Jus Civile ſtrictum, æquitatis obtentu dare ſolebant. Hæc quatenus a Prætore petitur, eſt redintegrandæ rei vel Cauſæ actio: quatenus datur, eſt Cauſæ jure ſtricto amiſſæ ob læſionem redintegratio. Intuitu negotiorum Reſtitutio vel eſt Judicialis, vel extrajudicialis: intuitu Perſonarum vel competit Minoribus XXV. annis, vel Majoribus.

§. 627. Ad petendam & obtinendam Reſtitutionem requiritur I. ut negotium ipſo jure ſit validum. II. Ut probetur læſio notabilis; minima enim non curat Prætor: quæ autem in particulari caſu cenſenda ſit læſio modica, *Requiſita.*

2.) L. 2. C. de Reſcind. vend.

3.) L. 9. §. 11. L. 27. pr. ff. de Pœnis. L. 2. & 4. ff. de ſentent. paſſis & reſtit. L. 1. C. eod. ubi Antoninus Imperator quendam in Inſulam deportatum Provinciæ ſuæ in integrum reſtituit, *& adjecit, ut autem ſcias, quid ſit in integrum reſtituere, honoribus & ordini tuo, & omnibus ceteris te reſtituo.*

dica, vel gravis, arbitrio Judicis relinquendum est. III. Ut non supersit remedium civile ordinarium: conceditur tamen Minoribus, ut eligant beneficium Prætoris, si istud sit pinguius & facilius remedio ordinario: unde possunt eligere Restitutionem ob faciliorem læsionis qualiscunque probationem præ remedio Legis 2. C. de Resc. Vend. in quo probanda est læsio ultra dimidium 4.). IV. Ut fiat Causæ cognitio.

Causæ justæ restituendi sunt I. Metus;

§. 628. Causæ justæ Prætori videbantur Metus, Dolus, Ætas, Absentia, Alienatio judicii mutandi causa, Capitis diminutio 5.). Igitur I. *Metus* gravis injuste incussus, quando stricto jure actus haberetur pro va-

4.) Covarruv. variar. lib. 1. C. 3. n. 11. vers. *tertio.* censet, restitutionem in integrum pinguius esse, quam ordinarium ex L. 2. C. de resc. vend. quia reus actione hujus Legis conventus, electionem habet vel ad supplendum justum pretium, vel ad restituendam rem: conventus autem ex Edicto Prætoris, præcise rem cogitur restituere. Huic rationi aliam addit Gama Decis. 212. quia per remedium Leg. 2. fructus minori non restituuntur.

5.) Restitutio ex causa diminutionis Capitis hodie in usu non est.

valido, dat locum Reſtitutioni: *quod metus cauſa geſtum erit, ratum non habebo* 6.). II. *Dolus* malus: quando autem & quibus ex cauſa doli detur actio, vel re adhuc integra concedatur exceptio, ſatis patet ex ipſis Prætorii Edicti verbis: *quæ dolo malo facta eſſe dicuntur, ſi de his rebus alia actio non erit, & juſta cauſa eſſe videbitur, judicium dabo* 7.). *II. Dolus:*

§. 629. III. Tertia & præcipua Reſtitutionis Cauſa eſt lubricum *Ætatis*. Verba Prætoris ſunt: *quod cum minore, quam viginti quinque annis natu, geſtum eſſe dicetur, uti quæque res erit, animadvertam* 8.). Probata igitur ætate minore, & læſione, ſuccurrit Prætor, cum conſtet, fragile eſſe juventutis conſilium, multisque expoſitum captionibus, modo negotium ex natura ſua ſit reſcindibile. Ampliſſimum eſt hoc beneficium competens minoribus, ſive eo tempore, quo lædebantur, nati, ſive in utero; ſive patresfamilias, ſive filiifamilias fuerint: *III. Ætas minor,*

6.) L. 1. ff. quod metus cauſa &c.
7.) L. 1. §. 1. ff. de dolo malo. ubi plena habetur Edicti hujus interpretatio.
8.) L. 1. §. 1. ff. de Minorib. XXV. annis.

rint : ſive contraxerint , ſive aliud negotium in judicio aut privatim; ſive cum fiſco, ſive cum privato geſſerint: ſive pauperiores facti ſint, ſive aliud ſenſerint incommodum: ſive id quod habuerunt, amiſerint, aut quod acquirere emolumentum potuerunt , omiſerint , aut ſe oneri, quod non ſuſcipere licuit, obligaverint 9.). E. G. reſtituuntur adverſus emptionem venditionem, transactionem, rerum communium diviſionem, permutationem , locationem conductionem, ſocietatem, mutuum, omnesque contractus oneroſos , donationem, aditionem hæreditatis vel repudiationem ejus, ſolutionem factam vel acceptatam. In judicialibus adverſus lapſum termini, adverſus ſententiam , quando Curator per imprudentiam vel negligentiam aliquid omiſit 10.) , adverſus fatalia appellationis , adverſus propriam confeſſionem , etiam adverſus tres conformes ſententias, prætextu erroris cum imprudentia ætatis

9.) L. 44. ibid.

10.) Ex eo ſolo, quod quis per ſententiam condemnatus ſit, non competit Reſtitutio.

tis conjuncti, & quotiescunque in Processu aliquid neglectum fuit in grave minoris præjudicium. Nec doctrina, nec Officii dignitas obstat Minoribus, quo minus petere possint Restitutionem, etiamsi Tutoris, Curatorisve autoritate & consensu, aut interveniente Decreto Magistratus aliquid gestum sit 11.).

§. 630. Cessat hoc beneficium, si adolescens major factus 12.) rem ratam habuerit; si pubes jurejurando, quod gestum est, confirmavit; si minor se ipsum læserit delinquendo 13.). *Sub certis tamen limitationibus.*

11.) Aliqua negotia minorum, ut alienatio bonorum immobilium, absque decreto Magistratus omnino nulla sunt, in quibus proin non opus est Restitutione: hæc autem locum habere potest contra alienationem validam, id est, cum decreto Magistratus factam.

12.) Completo anno vigesimo quinto ætatis, vel impetrata a Principe venia ætatis, quæ tamen non confert potestatem alienandi vel hypothecandi immobilia sine decreto Magistratus. L. 2. §. 1. & L. 3. C. de his qui ven. ætat. impetr.

13.), val majorem se dolose dicendo 14.), vel omittendo persecutionem pœnalem 15.); si post actum prudenter gestum læsio fato vel vi divina contigerit 16.); si læsus dicatur a parente vel patrono 17.); si minor cum minore habuerit negotium: & quidem si ex his unus agit de lucro captando, alter de damno vitando, prior ille non restituitur: si par sit utriusque causa, ille potiori jure gaudebit, qui possidet, vel consumpsit 18.). Non datur Restitutio, si negotium ex sua natura rescindi non possit, quale est Matrimo-

13.) *Malorum mores infirmitas animi non excusat.* L. 1. C. si adverſ. delict.

14.) *Errantibus, non etiam fallentibus minoribus publica Jura subveniunt.* L. 2. C. si minor se major. &c.

15.) *Ideoque injuriarum judicium semel omissum repeti non potest.* L. 37. pr. ff. de Minorib.

16.) *Nec enim eventus damni restitutionem indulget, sed inconsulta facilitas.* L. 11. §. 4. ibid.

17.) *Nam personarum reverentia omnem ei excludit restitutionem.* L. 2. C. qui & adverſ. quos &c.

18.) L. 11. §. 6. L. 34. pr. ff. de Minorib.

monium, Professio Religiosa 19.), & ex communiore opinione, etiam Præscriptio longissimi temporis.

§. 631. IV. *Absentia* ex loco domicilii, Reipublicæ causa, ob metum aut necessitatem, sine dolo, sufficienter probata & cognita, facit, ut etiam Majoribus absentibus contra præsentes, & his contra illos Restitutione in integrum subveniatur, quando absente altero, dum non est conveniendi copia, jus alterius per usucapionem vel præscriptionem læsum fuit: impetrata autem restitutione, fingitur, eum qui usucepit, non usucepisse, nisi Procuratorem reliquisset, a quo rem salvam habere possit. *IV. Absentia Reipublicæ,*

§. 632. Subjicit Prætor clausulam: *Item si qua alia mihi justa causa esse videbitur, in integrum restituam, quoad ejus per leges, plebiscita, Senatuscon-* *Vel alia justa causa.*

19.) Potest tamen dari Restitutio contra lapsum quinquennii, quod a Tridentino conceditur ad reclamandum, modo probetur justa causa, vel impedimentum, quo minus fuerit actum intra quinquennium.

ſulta, edicta, Decreta Principum licebit 20.). Paſſim Cauſarum Patroni ex hac clauſula petunt Reſtitutionem, quandocunque cauſa æquitatis eam mereri ſibi videtur. Prætoris autem verba videntur ſolummodo intelligenda eſſe de *juſta cauſa* abſentiæ, qualem prætexere poſſunt *ſtudiorum cauſa* abſentes; *teſtimonii, cognitionis, vel appellationis gratia* evocati aut peregrinati, *legatione pro civitate functi* 21.).

V. alienatio Judicii mutandi cauſa.

§. 633. V. *Alienatio* Judicii mutandi cauſa. Nam *omnibus modis Proconſul* (idem de Prætore Urbis) *id agit, ne cujus deterior cauſa fiat ex alieno facto*: proſpexit igitur, *ut ſi quis alienando rem, alium nobis adverſarium ſuo loco ſubſtituerit, idque data opera in fraudem noſtram fecerit, tanti nobis in factum actione teneatur, quanti noſtra interſit, alium adverſarium nos non*

20.) L. 1. §. 1. ff. ex quib. cauſ. major.

21.) L. 26. §. 9. & L. 28. princ. ibid. iſtis exemplis Ulpianus explicat clauſulam Prætoris, & tandem concludit: *generaliter quotiescunque quis ex neceſſitate, non ex voluntate abfuit: dici oportet, ei ſubveniendum.*

non habuisse 22.). In Edictum igitur incidit, qui eo consilio alienavit, ut causam nostram redderet duriorem: non autem, qui in solutum dedit; rem vitiosam redhibuit; ob verecundiam & odium litis 23.), vel valetudinem, senectutem, vel occupationes in alium transtulit; nec qui jus nostrum alienando non reddidit deterius.

§. 634. Restitutio hæc datur a Magistratu Ordinario, vel Delegato cum Jurisdictione 24.); non ab Arbitro, vel Judice Pedaneo, vel mero Executore. Debet autem esse Judex competens respectu illius, contra quem petitur, vel in loco domicilii, vel in loco rei sitæ, vel ubi hæret causa principalis. Magi-

A quo detur Restitutio?

22.) L. 1. ff. de alienat. judic. mut. caus.

23.) Verecunda cogitatio ejus, qui lites exsecratur, nen est vituperanda. L. 4. §. 1. ibid.

24.) *Qui vel certæ administrationi, cui & Jurisdictio adhæret, præpositi sunt, vel ab his fuerint dati, & multo magis, si a nostra Majestate delegata eis sit causarum audientia.* L ult. C. ubi & apud quem. &c.

ſtratus autem reſtituere poteſt contra ſuam, vel deceſſorum, inferiorumque Magiſtratuum, non adverſus Superiorum ſententiam 25.). Clericus a Laico in bonis patrimonialibus læſus, reſtitutionem petit a Judice lædentis Laici: læſus in Beneficialibus, aut Eccleſiaſticis a Laico, dicitur convenire eum poſſe etiam coram Eccleſiaſtico 26.). Petitur autem Reſtitutio vel per modum Exceptionis, vel per modum actionis adverſus lædentes, & adverſus malæ fidei poſſeſſores, ad rem, reſciſſo negotio, in priſtinum ſtatum reducendam. Id autem peti ſolet uno eodemque judicio, & una eademque ſententia a Prætore indulgetur, ut non opus ſit pervulgata

25.) In Bavaria non datur Reſtitutio contra Sententiam niſi ex novis repertis, vel emergentibus, quæ negotium principale in facto notabiliter alterant. Unde cum nulla arguatur negligentia Judicis, petitur Reſtitutio apud Judicem primæ inſtantiæ contra ſententiam Judicis Superioris.

26.) Id deſumuut ex C. 11. de reb. Eccleſ. alien.

gata illa divisione Judicii in *Rescindens* & *Rescissorium*, sed cum Restitutione simul agatur de negotio principali.

§. 635. Petenda olim erat Restitutio intra annum utilem a tempore remoti impedimenti, quo tempore durabant Actiones Prætoriæ rescissoriæ. Justinianus vero eum annum utilem, cujus difficilis erat computatio, in quadriennium continuum mutavit, excepta actione doli & ex causa metus: illa enim biennio, hæc anno continuo exspirat. Minori computatur hoc quadriennium a tempore, quo Minor esse desinit, scilicet ab anno vigesimo quinto completo 27.): iis, qui veniam ætatis impetrarunt, computatur a die obtentæ & intimatæ veniæ contra læsionem tempore minor- *Quo tempore peti debeat?*

27.) In Bavaria ab anno vigesimo primo completo. Et quidem si petatur Restitutio contra sententiam, petenda ea est intra quatuor menses a tempore adeptæ majorennitatis, vel si sit Major, a tempore repertorum novorum.

norennitatis factam: Majori autem, quando Restitutio competit, numeratur tempus a die factæ læsionis, & remoti impedimenti, vel quo cessat absentia. Quamvis enim quadriennium in decursu sit continuum; utile tamen est in suo initio, ita ut non incipiat currere, si major vel minor factus major, dolo, vi, vel alio justo impedimento ab agendo impediatur. Restitutio contra lapsum fatalium, vel termini præjudicialis datur ad illud tempus, quantum supererat re adhuc integra, & quidem a Judice, qui præfixit terminum. Quæ pars gravatam se sentit ob concessam vel negatam Restitutionem, potest appellare.

Effectus Restitutionis.

§. 636. Effectus Restitutionis est, ut omnia reducantur ad statum priorem. Unde ea petita, nihil est innovandum: ea autem impetrata, omnia in priorem statum redeunt, ut sic læsio plane aboleatur. Alter tamen, contra quem datur, non debet habere damnum. E. G. qui restituitur contra venditionem ædium suarum, debet reddere pretium; Minor autem deberet solum red-

reddere, in quantum factus est ditior 28.). Conceditur Restitutio de jure communi etiam hæredibus minoris 29.): non autem majoribus

28.) Bene monet MOLINA de J. & J. tr. 2. disp. 575. n. 1. Non ita severe esse agendum hac in parte cum emptore, sicut cum eo, qui mutuum dedit minori, eaque de causa mutuanti indistincte solum esse reddendum, quod de mutuo superfuerit, aut in quo minor factus fuerit locupletior: emptori vero integrum suum pretium esse reddendum, nisi illud eo tempore minori solverit, ut credendum fuerit, dissipaturum, perditurumve illud. An autem concessa Restitutione, debeant cum re simul restitui fructus, longior est disputatio, quam ut hoc loco decidatur. Vid. MOLINA loc. cit. SFORTIA ODDUS p. 2. q. 99. art. 14. FACHINEUS Controv. lib. 1. c. 38. GALESIUS Tract. de Restitut. C. 10. n. 36. seqq. P. SCHMALZGRUEBER ad hunc tit. n. 49. seqq.

29.) Si hæres sit major, habet quadriennium ab adita hæreditate: si hæres sit minor, restituitur ex propria persona, ita ut computetur illi tempus juxta propriam ætatem. L. 19. §. ult. & L. 20. ff. de Minorib. &c. Vid. BRUNNEMAN

litis consortibus, nisi res sit individua, ne quidem fidejussoribus & mandatoribus, nisi dolo læsus sit minor, vel illi debitorem Minorem esse ignoraverint.

Minoribus æquiparantur Ecclesiæ &c.

§. 637. Minoribus in hac Restitutionis causa æquiparantur Ecclesiæ, Respublicæ, Civitates, Loca pia, iisque quadriennium a tempore gesti negotii, vel factæ læsionis currit 30.). Clericis Majoribus idem non competit ratione bonorum patrimonialium, cum nullibi hoc expresse concessum reperiatur 31.). Ecclesiæ longius tempus indul-

---

MAN ad has Leges. item DONELLUS lib. 21. Cap. ult. & ibi HILLIGERUS Lit. e. seq.

30.) C. 1. & 2. de Restit. in 6. In Bavaria etiam Ecclesiis conceduntur solummodo quatuor menses ad petendam Restitutionem contra sententiam, aut alios actus Judiciales.

31.) Bonis Clericorum concessum censetur privilegium Immunitatis, quia istud concessum est personis Clericorum: beneficium autem Restitutionis nullibi conceditur personis Clericorum; proin neque

dulgetur, ſi caret Prælato vel vere vel moraliter 32.): *ſi rationabilis cauſa ſubſit, quæ ſuperiorem movere debeat ad idem beneficium concedendum, ſi aliquid rationabile appareat, quod iſtud ſuaſerit agendum* 33.).

§. 638.

---

neque illorum bonis conceſſum exiſtimatur, niſi quatenus etiam competit Laicis. COVARRUV. lib. 1. variar. c. 4. n. 3.

32.) C. 4. de Præſcript. *niſi forte interim paſtoralis ſedes caruiſſet paſtore.* Ex C. 11. de reb. Eccl. alien. colligunt aliqui, longius etiam tempus concedi Eccleſiæ, ſi læſio fuerit enormiſſima. Sed COVARRUV. loc. cit. C. 3. poſt longam diſputationem tandem concludit, deciſionem dicti Capituli non proveniſſe ex cauſa reſtitutionis in integrum propriæ & ordinariæ, ſed impropriæ & extraordinariæ, quæ potius habebat ſpeciem gratiæ: & ideo cenſet, ibi non imperatam fuiſſe reſtitutionem fructuum ſimul cum villa, qui occaſione ordinariæ in integrum Reſtitutionis reſarciri debuiſſent juxta ſuam opinionem.

33.) C. 1. & 2. de in integr. Reſtit. in 6.

Ignorantia facti non est causa restituendi:

§. 638. His generalibus principiis præmissis, quasdam singulares quæstiones paucis attingimus. Cum ex rationabili causa Restitutionem etiam Majoribus concedi posse supponamus, movetur dubium, an ignorantia invincibilis sit justa causa restituendi etiam contra Præscriptionem longissimi temporis. Ignorantiam *juris* posse subvenire personis imperitis, uti rusticis, in quibusdam negotiis tenet MOLINA 34.) cujus opinio facile transmitti potest: ignorantiam *facti* esse causam restituendi Majores contra Præscriptionem longissimi temporis, affirmant plurimi 35.). Sed magis placet sententia negans Restitutionem, cum Præscriptio quadragenaria ordinata sit ad sopiendas lites, omnem prorsus actionem, molestiam & inquietudinem excludendam, ut præscribens

---

34.) De J. & J. tr. 2. disp. 574. n. 5.

35.) DOMINIC. GALESIUS de Rest. in integr. cap. 8. n. 199. seqq. SFORTIA ODDUS in simili tract. quæst. 90. per tot. & alii apud hos citati.

bens pleniſſima munitione ſit ſecurus, quod ipſum extenditur ad Præſcriptionem triennalem Mobilium & decennalem Immobilium cum titulo 36.): hæc Legum intentio vix ullum haberet effectum, ſi concederetur Reſtitutio contra præſcriptionem ex titulo ignorantiæ, quæ ſemper præſumitur in eo, contra quem præſcribitur; cum nemo cenſeatur jactare res ſuas, easque ſcienter in manibus alienis relinquere. Lites etiam eſſent perpetuæ, ſi poſt 60. centum, aut plures annos veniret quis in notitiam rei ſuæ ab alio poſſeſſæ, liceretque petere Reſtitutionem allegata ignorantia.

Etiam circa Minores & Cauſas pias.

§. 639. Extenditur hæc aſſertio etiam ad Eccleſias, aliasque cauſas, quæ gaudent privilegio Minorum. Nam circa hanc materiam Eccleſia comparatur Minori, qui pervenit ad Majorennitatem: ſicut igitur completis annis Minorennitatis datur adhuc quadriennium ad petendam in integrum Reſtitutionem; ſic etiam

36.) L. un. C. de uſucap. transform.

tiam Ecclesiæ conceditur idem tempus post læsionem, & remotum impedimentum, quo arcebatur ab actione: tale autem impedimentum non censetur esse ignorantia læsionis, cum Sacri Canones passim admittant præscriptionem contra Ecclesias, nec unquam attendunt ad ignorantiam, quæ tamen plerumque potest præsumi 37.): Leges Civiles autem tribuunt Præscriptioni robur suum, *nulla scientia vel ignorantia exspectanda, ne altera dubitationis inextricabilis oriatur occasio* 38.). Si quis igitur in favorem ignorantium usurpare vellet clausulam Prætoris, *si qua alia mihi justa causa esse videbitur &c.* attendat simul ad ultima Edicti verba: *quoad ejus per Leges - - Decreta Principum licebit*: Restitutio autem ex capite ignorantiæ, videtur aperte non licere per Leges & Decreta Principum, quæ Præscriptioni pro obtinenda

37.) *C.* 2. XVI. q. 4. C. 4. 6. 8. 9. de Præscript.

38.) L. ult. C. de Præscript. longi temp.

nenda tranquillitate publica ſummam vim tribuunt ſaltem pro foro externo. Unde neque Minores, quorum ætas ſecura eſt a præſcriptione ordinaria, reſtituuntur contra præſcriptionem longiſſimi temporis: quoad hanc enim comparantur Majoribus 39.): quoad Reſtitutionem autem Eccleſiæ comparantur Minoribus 40.).

§. 640. Controvertitur, an in Cauſis ſpiritualibus Minori concedatur Reſtitutio ex cauſa ætatis, quia vulgatum apud plurimos eſt principium, quod Minores XXV. annis habeantur pro Majoribus in Cauſis ſpiritualibus 41.). Nominatim dubitatur, an tempore minoris ætatis reſignantes Beneficium Eccleſiaſticum, poſſint reſtitui in integrum? ſupponendum eſt, *An minor reſtituatur in Cauſis ſpiritualibus?*

39.) L. 3. C. de Præſcript. 30. vel 40. annor. *Cum ad eos annos pervenerint, qui ad ſolicitudinem pertinent Curatoris, neceſſario eis ſimiliter ut aliis annorum 30. intervalla ſervanda ſunt.*

40.) C. 1. de in integr. reſtit.

41.) Arg. C. ult. de Judiciis in 6.

est, quod ejusmodi resignans sit notabiliter læsus: nisi enim probetur læsio, non conceditur Restitutio Si igitur minor in ipsa renuntiatione est læsus, Beneficium autem nondum est alteri collatum, videtur omnino concedenda esse Restitutio 42.). Probant id a paritate Feudi, a minore refutati & ad dominum devoluti, circa quod, uti & circa resignatum officium putant dari restitutionem. Efficacius assertio probatur ex eo, quod talis Restitutio nullibi reperiatur negata: nam Minor censetur esse Major in

42.) Boerius Decis. 350. n. 4. Caldas Pereyra ad Leg. si Curatorem. C. de in integr. rest. min. verb. læsis. m. fol. 385. seq. Joannes Mauricius de Rest. in integr. cap. 326. Minores non adeo facile restitui, quando agitur de lucro captando, videre licet apud Tiraquellum de Retract. gentil. §. 35. gloss. 2. n. 7. seqq. nihilominus dari restitutionem in materia Retractus, constat ex C. 8. de Rest. in integr. ubi æque agitur de lucro captando, ac in restitutione contra renuntiationem Beneficii.

in Cauſis ſpiritualibus ad hoc, ut agere poſſit in judicio per ſe, & per Procuratorem: non autem quoad alia, nec quoad hoc, ut non poſſit contra læſionem reſtitui; cum favor ipſi collatus, non debeat eſſe ipſi noxius 43.). Ulterius progrediuntur Scriptores, & Clericum Minorennem per renuntiationem læſum, reſtituendum cenſent, quando res non amplius eſt integra; ſed Beneficium jam eſt collatum alteri, quia caſus iſte non eſt exceptus a communi regula, quæ generaliter concedit Minoribus læſis Reſtitutionem. Exemplum ſumitur a Minore, qui poſt repudiatam hæ-

43.) Putat tamen PARISIUS de Reſign. Benef. lib 3. quæſt. 7. n. 25. non ſufficere, ut Minor ſit læſus ex negligentia ſua & fragilitate ætatis: ſed requiri, ut ſit læſus dolo adverſarii. Id etiam cavendum, ne per talem reſtitutionem lædatur potius Eccleſia, ſi reſignatio pro bono Eccleſiæ fuit admiſſa. legi meretur GALESII Commentar. ad C. 12. de RENUNT. ad finem Tract. de Reſtit. in integr.

reditatem reſtituitur, etiamſi res hæreditariæ jam ſint alienatæ a ſubſtitutis, vel gradu proximis, a quibus adita fuerat hæreditas 44.).

An contra Sponſalia de futuro?

§. 641. Controvertitur etiam, an Minor XXV. annis Reſtitutionem petere poſſit contra Sponſalia de futuro a ſe contracta? Quod Reſtitutio locum non habeat contra Matrimonium, aut Profeſſionem religioſam, aliunde certum eſt, cum iſti actus ex natura ſua ſint irreſcindibiles, ſi valide fuerunt peracti. Sponſalia de futuro tantam firmitatem non habent: in illis autem contrahendis occurrit imbecillitas judicii, lubricum ætatis minoris, & læſio ſæpiſſime major, quam in aliis negotiis: non igitur apparet, quare Minori deneganda ſit Reſtitutio, cum Sponſalia ipſa diverſam ab aliis negotiis naturam non habeant 45.).

§. 642.

44.) L. ult. C. de repud. hæred. PARISIUS loc. cit. n. 44. ſeqq. COVARRUV. lib. 1. variar. c. 5. n. 3. ſeqq.

45.) Hæc & plura per modum Appendicis adjunxi Diſſertationi de Sponſalibus Academicorum absque conſenſu parentum contractis.

§. 642. De Restitutione in integrum fuse scribunt. DOMINICUS GALLESIUS integro tractatu, DONELLUS Enucleatus cum Notis HILLIGERI lib. 21. cap. 4. seqq. SFORTIA ODDUS, FRANC. DE CALDAS PEREYRA, JOAN. MAURICIUS, & alii comprehensi quatuor Tomis de in integrum Restitutionibus. *Scriptores.*

§. 643. Hæc *de Jure Rerum Ecclesiasticarum* pro instituto hujus libelli dicta sufficiunt, qui ob amplitudinem materiæ in nimiam molem excresceret, nisi calamum identidem refrænaret monitum illud in *Præcognitis Juris Canonici §. 5.* datum, nempe primo studii Juridici anno, ad cujus usum hi libelli scribuntur, omnes quidem Juris Canonici materias, sed compendiosa tractatione percurrendas, & quasi digito tantum monstrandos esse spatiosos campos utilissimarum simul & jucundissimarum quæstionum, ad quos deinceps, post Intellectum primorum Elementorum cognitione probe imbutum, exspatiari licebit. Strictiore etiam calamo, *Conclusio.*

plerumque sine Legum allegatione aut probatione, ea attigimus, quæ in Juris Civilis Institutionibus tractantur, cum in eo loco scribamus, ubi explanari quidem oportet materias in V. Libris Decretalium contentas: Quæstiones tamen Juri Civili propriæ ab aliis exactius traduntur. Tyronum experientiæ relinquitur; an scopum intentionis nostræ attigerimus.

O. A. M. D. G.

P. ZECH.
DE. JUR. RER.
ECCLESIAST
PARS. POSTER.

Th 2 V.
5202

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN